60 i 35 8 (2)

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
8
55 B
12
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40
6
52

Digitized by Google

8-55 B 12

Digitized by Google

Auctor est Jo. de Neer Cassel
notatz, hæc propositio = Catholici
colunt Sanctos in cœlo commoran-
tes eo modo quo colunt Sanctos hic
in terris exulantes = . Idem est
Auctor operis alterius Tract. inscripti
= Amor pœnitens = qui damnatus
fuit ab Alex. VIII.

TRACTATUS
DE
SANCTORUM
Et præcipuè
Beatiſſimæ Virginis MARIÆ
CULTU,
AUTHORE
Perilluſtri ac Reverendiſſimo
DOMINO JOANNE
EPISCOPO CASTORIENSI,
VICARIO APOSTOLICO.

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ULTRAJECTI,
Apud ARNOLDUM AB EYNDEN.
M. DC. LXXV.

ADMONITIO
AD
LECTOREM.

QUi à *Catholica Eccleſia devii impugnant eum cultum, quem ipſa profitetur Sanctis ſine Dei injuria poſſe deferri, illi in ea impugnandi contentione haud inter ſe conveniunt. Qui* Confeſſionem Auguſtanam *ſequuntur, in ſuis Congregationibus Sanctos hymnis, imaginibus, & feſtis diebus concelebrant; verum illos non cenſent invocandos. Qui* Chriſtum *Deum negant, illi* Mariæ, *eam conſequenter negantes Deiparam, unà demunt iſtam gratiæ plenitudinem, quæ illi erat neceſſaria, ut digna*

Digitized by Google

Dei Mater exiſteret: & ob quam Catholici eam cultus ſocialis ſpecie nobiliori, quem Scholaſtici Hyperduliam *vocant, cenſent colendam, Plerique illorum, qui* Reformati *vocantur, fatentur Sanctos imitatione eſſe colendos, & Deiparam feminis in exemplum eſſe proponendam.* Unde Sluyterus *Miniſter in* Eibergen, *non ita pridem ejus dotes atque virtutes egregio carmine decantavit. Hi differunt à Catholicis in eo, quod Sanctorum honori imagines erigi, & eorum lipſana venerationi vetent exponi: neque Templa & Altaria ab illorum nominibus ſentiant appellanda: neque etiam in illorum memoriam, ſi* Anglicanam Reformationem, *quæ ab Epiſcopis regitur, excipias, dies feſtos credant ſervandos. Et præſertim in hoc differunt à Catholicis, quod invocationem, qua Sancti invocantur à nobis, ut pro nobis orent, attribuant ſuperſtitioni & idololatriæ. Quam-*

vis

vis autem hi in multis ad Sanctorum cultum ſpectantibus à nobis diſſentiant; quia tamen eos docent imitatione & laude illorum virtutibus debitâ eſſe honorandos, ac præſertim Deiparam vocent ſanctiſſimam, *nequaquam ipſos* Copronymi *hæredibus annumero. Alios enim iſto nomine non deſigno, quàm illos, qui* Mariam *contemptus ergò nunc vocant* Maphen Timmermans; *nunc eam vulgaribus feminis haud ſentiunt diſſimilem; nunc aſſerunt nato ex illa* Chriſto, *omnem ab illa diſceſſiſſe dignitatem.* Ut *hos in iſtis blaſphemiis præceſſit* Copronymus; *ita hos ſolos illius hæredes vocandos judicavi.*

CENSURA.

QUam rectè ac ſanctè Sanctos; & potiſſimum Sanctorum Reginam ſanctiſſimam Virginem MARIAM colat Sancta Mater Eccleſia, ſolidè, eruditè, ac piè admodum demonſtrat hoc ſuo de Cultu Sanctorum, & Beat: Virginis Tractatu Perilluſtris & Reverendiſſimus D. EPISCOPUS CASTORIENSIS. *Quiſquis illum ex ſtudio veritatis leget, nobiſcum ſentiet; Doctrinamque in eo propoſitam ac expoſitam deprehendet Catholicis, & Acatholicis perutilem. Diſcent illi (ſi qui neſciant) non benè à ſe honorari, aut coli* Sanctos, *niſi in illis honoretur & colatur Deus; noſterque erga illos amor ex Dei amore deſcendat, & in illum rurſus aſcendat. Hi verò (nempe Acatholici) clarè perſpicient, nihil in genuinâ* Sanctorum *veneratione meritò poſſe vituperari; nec per eam ullatenus violari illud mandatum:* Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. *Antverpiæ die* 17 *Octobris* 1674.

AUBERTUS VAN DEN EEDE,
Archidiac: Ant: & Librorum cenſor.

JUDOCUS HOUBRAKEN,
Eccleſiæ Cathed: Antverp: Canonicus, & Scholaſter, Epiſcop: Buſcod: Vicarius Apoſtolicus.

ANTONIUS HOEFSLACH,
dictæ Eccleſiæ Cathed: Canonic: Graduatus, & Seminarii Epiſcop: ejuſdem Præſes.

ARNOLDUS EYBEN,
Præſ: Eccleſiæ Canonicus.

Digitized by Google

JOANNES
Epiſcopus Caſtorienſis
Vicarius Apoſtolicus.

Gregi ſibi credito Sanctorum *imitationem & gloriam.*

CUm Illuſtriſſimus Antverpienſium Epiſcopus à me poſtularet, ut, ſi quis in me eſſet *ſermo ædificationis*, vice ſua in Act: 13. verſu 15. Feſtivitate Virginis aſſumptæ Dei verbum annunciarem; ejus petitioni non potui non aſſentire; tum quia plurimis nominibus me illius benevolentiæ agnoſco devinctum; tum quia recordabar Sanctioribus Eccleſiæ ſæculis frequens fuiſſe, ut Epiſcopus Diæceſanus ad oſtenſio-

**

nem

nem concordis Fidei & fraternæ charitatis peregrinum, à quo forſan inviſebatur, rogaret ſuggeſtum conſcendere, plebemque docere.

Cogitans autem coram quibus & qua de materia mihi dicendum foret, adverti non ſolum devotos MARIÆ Cultores, inclitæ Urbis Antverpiæ Cives, verum etiam non paucos à Sanctorum cultu ipſiuſque Deiparæ alienos concioni ad futuros; quippe ex Hollandia vicinoque illorum exercitu adductos Enceniorum ſolemnitate & quadam curioſitate videndi illa ſpectacula, quæ partim ad oblectamentum, partim ad oſtendendam Urbis potentiam, partim ad Religionis triumphum per plateas in Enceniis circumvehuntur.

Ut Hagiomachis meus ſermo utilis evaderet oſtendi honorem, qui Sanctis in cælo regnantibus exhibetur, tam nihil Divino honori officere, ac illi nihil officit is cultus,
qui

qui defertur Sanctis in terra viventibus, cum ut hi ita & illi in Deo & propter Deum amentur & honorentur. Et quia inter horum temporum Hagiomachos inventi ſunt, qui Deiparam cum *Copronymo* blaſphemant, quaſi Deus corpus ejus & animam Spiritu Sancto non præparaſſet, ut dignum filii ſui habitaculum effici mereretur, de virtutum ejus excellentia fusè tractavi. Et quia calamo plura ad laudem Virginis congeſſeram, quàm unius horæ anguſtia vocis miniſterio depromere poteram, ea Typis credidi evulganda, ut ex illis diſcerent Hæredes *Copronymi* MARIAM, quia fuit & vixit ſumma humilitate tanquam uxor fabri, minime eſſe ſpernendam, ſed potius inde maximè eſſe honorandam; non ſecus ac Dei filius eo charior nobis eſſe debet, quo faber & fabri filius amore noſtri fuit & haberi voluit. Decet Judeorum perfidiam & gentium cæci-

Matt: 13. verſu 55. Joann: 6. verſu 42.

Matt: 13. verſu 55. Marc: 6: 3.

tatem, ut Chriſtus crucifixus & illis
1 Cor: 1. verſu 23. ſcandalum & iſtis ſit ſtultitia: ſed
decet fidem & lumen Vocatorum
ſive Chriſtianorum, ut Chriſtus
1 Cor: 1. verſu 24. *crucifixus* ab illis colatur tanquam
Dei virtus ac ſapientia. Bene convenit cum Hagiomachorum typho,
ut MARIAM contemnant, quia
Luc: 2: 7. *uti humilis* conjux fabri non invenit in diverſorio locum. Verum
optimè convenit cum Orthodoxorum miti ſapientia ut MARIAM
tanto magis ſuſpiciant, quo ſubli-
miſſimum Divinæ Maternitatis honorem, incredibili modeſtia libenter abſcondit ſub apparenti vilitate
vinculi conjugalis cum fabro *Joſeph*.
Non contemnitur ergo à Chriſtianis, quia fuit fabri uxor, verum eâ
de cauſa ſublimius honoratur.

Alio Tractatu quem pronunciavi apud Patres Dominicanos in *feſto Roſarii*, oſtendi coram Illuſtriſſimis
ſectæ Calviniſticæ, cor & religionem Catholicorum non dividi inter
Deum

Deum & ſanctos Servos ejus, quamvis & hunc & illos colant, ſicuti nec cor & amor noſter inter Deum & proximum diſcerpitur, dum ex Dei mandato proximus diligitur. Iſto eodem Tractatu ſategi exponere quid Maria contulerit ad Redemptionem Generis humani, & quo Jure dicatur contriviſſe Serpentis caput. Illa ſi quieto animo legant Hagiomachi, facilè percipient nullas à Catholica Eccleſia in Deiparam laudes congeri, nullum ab ea illi deferri honorem quem non mereatur, & qui unà non tendat in Dei honorem; nec etiam Catholicos à Chriſto jubente, ut *laborantes & onerati* ad ſe veniant, magis recedere, quam à Deo recedant aut infantes dum refectionis cauſa ad Matrum ubera, aut ægri dum valetudinis ergo ad opem Medicorum, aut pauperes dum ſtipis cauſa ad Divitum confugiunt liberalitatem; vel quam à Deo is deflectat, qui ad illa ſe in-

Matt: 11. verſu 28.

ſtrumenta ſive media convertit, quibus ſapientia ejus ſua hominibus Dona ac bona ſolet elargiri; Sanctos autem eſſe inſtrumenta, per quæ Deus ſæpe elargitur nunc ægris ſalutem, nunc claudis greſſum, nunc cæcis viſum, nunc mortuis vitam, nunc peccatoribus pœnitentiam, nunc juſtis conſolationem, nunc ſuæ Eccleſiæ contra Dæmones Dæmonumque cultores, tutelam ac numimen, teſtantur Auguſtinus *lib. 22. de Civitate Dei cap.* 8. Chryſoſtomus *lib. cont. Gentiles quod Chriſtus ſit Deus*, Theodoretus *lib.* 8. *de curatione græcanic. affect.* Baſilius *Homilia de quadraginta Martyribus.* Nazianzenus *Oratione* 18. Aliique Sancti, qui citantur apud illos qui contra Hagiomachos libros ediderunt. Quæ cum ita ſint, certo licet concludere Catholicos divino honori minime detrahere, nec à Deo recedere, dum Sanctos invocant perſuaſi certiſſimis documentis

mentis

mentis Deum invocantibus Sanctos ſuos plurima ſæpe dona elargiri. Hæc ferè in ſecundo Tractatu deducuntur, & in illo elucidantur.

Hiſce autem tractatibus ejuſdem ferè argumenti alius accedit tractatus, in quo diſſeritur, qua ratione Sancti ac præſertim Deipara ſit amanda, laudanda, invocanda, quove externo colenda apparatu. Ex iſto tractatu Hagiomachi diſcent nec amorem, nec amoris & honoris titulos, nec internum aut externum cultum, quibus Catholici Sanctos proſequuntur, Amori, laudum titulis, & cultui quibus Deus amandus, laudandus & colendus, ullatenus officere: neque etiam ab Iconoclaſtis quiddam contra Imaginum cultum objici, quod non eos ipſos potius quam Catholicos feriat. En fructus quos Acatholici ex iſtis tractatibus percipere poterunt.

Vos vero Catholicæ Eccleſiæ filii ex his diſcere poteritis: *Primò*, neminem

minem Sanctos colere, qua ratione colendi ſunt, qui cum Sanctis non ſit in propoſito Deum colendi; & de ſuo erga Beatos amore ſibi ipſis male blandiri eos, quibus nullum ſtudium colendi Sanctorum Dominum, quibuſque ejus mandata ſervandi nullus conatus; externaque erga Sanctos obſequia in tantum profutura, in quantum cum interna virtute conjunguntur; nec unquam ipſos melius honorari, quam dum illorum opera nobis ſunt exemplar & norma vivendi.

Secundò, in veſtram gratiam grex mihi credite, hiſce Tractatibus exploſi, licet antea ſæpius exploſa, quæ non ita pridem *Vltrajecti* evulgata ſunt, ut Catholici arguantur, dum ſanctos Sanctorumque ac ipſius Chriſti colunt Imagines, non eſſe de Idololatria prorſus immunes.

Tertiò, Vobis ſub Acatholicorum dominio viventibus perſuadere ſtudui, ut pia dona libentius in paupe-

res

res erogetis quam in prætioſum divini cultus apparatum; certi Catholicam fidem inter Acatholicos magis propagari eleëmoſynis, quam aureis vaſis, Deoque gratius eſſe ut vivant ſui pauperes, quam ut auro & gemmis altaria ſplendeant; nec ordini charitatis ſat congruere, ſi Uniones & Paramenta minime neceſſaria Oratoriis ſerves, quando, ſi illa erogares, à fidei naufragio eriperes egenos. Unde Divinæ miſericordiæ ſupplico ut vobis Fratribus meis concedat magis magiſque intelligere ſuper egenum&pauperem, Pſal: 40.
ut in die mala vos liberet Dominus.

Antequam autem huicce Epiſtolæ finem imponam, noto duo eſſe argumenta quibus Hagiomachi Sanctorum Invocationem ſolent præcipue impugnare. Primum in eo poſitum eſt, quod Sanctos dicant noſtras preces nec audire nec ſcire. Ad hoc repoſui tertio, tractatu duo, primum ipſos Hagiomachos,

 machos,

machos, dum iſtud dicunt, eſſe temerarios: nam nimium de ſua ſcientia præſumentes audent definire quid non ſciant beatæ animæ

Tob: 12. versu 12. à carne ſolutæ. Profectò ſi attenderent Angelos noſtras preces noſſe dum eas Deo offerunt, Apoſtolum

1 Cor: 4. verſu 9. Deo, Angelis & hominibus fuiſſe ſpectaculum, eum coram Deo &

Epheſ: 3. verſu 10. Angelis teſtatum eſſe, ſapientiam Dei innoteſcere principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Ec-

Luc: 15. verſu 10. cleſiam, Angelos in cælis gaudere ſuper uno peccatore pœnitentiam

Marc: 12. verſu 25. agente; ſi etiam attenderent, Beatos in cælis Angelis eſſe æquales, procul dubio non tam ſecurè pronunciarent Beatos noſtrarum precum eſſe ignaros.

Dum *Auguſtinus* advertit *Helizæum* adhuc in terris peregrinan-

4 Reg: 5. verſu 26. tem dixiſſe ad *Gieſi* qui à *Naaman Syro* dona acceperat, nonne cor meum in præſenti erat quando reverſus eſt homo de curru ſuo. Hinc con-

concludit *lib. 22. de Civitate Dei cap. 29.* Quanto magis in illo corpore ſpirituali videbunt Sancti omnia, unde ſunt corpore abſentes. Hæc notent Hagiomachi.

Et licet *Auguſtinus libro de cura pro mortuis cap. 9. & ſeqq.* doceat mortuos ordine uſitato neſcire res humanas; tamen *cap. 15.* ejuſdem libri docet mortuos ſecundum ordinem inuſitatum, rerum humanarum non quidem omnia noſſe, verum illa, quæ ſcire tenentur, idque diverſis modis, quandoque relatione mortuorum ad inferos deſcendentium, quandoque Angelicis revelationibus, quandoque ipſo Spiritu Dei ipſis indicante, ſicuti & Prophetis Dei Spiritus futura & abſentia revelavit. Et quamvis *Auguſtinus* ibidem *cap. 16.* dicat ſe neſcire qualiter nos adjuvent Martyres, aſſerit tamen certum eſſe per eos adjuvari aliquos. *An ſcilicet,* inquit, *diverſis locis adſint, ut orantibus*

opitulentur, an vero ipſis Martyribus eos à quibus invocantur omnino neſcientibus, ſed generaliter tantum orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicuti nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, nec quid agant ſcimus; an inquam Deus omnipotens, qui ubique eſt præſens exaudiens Martyrum preces, nobis præbeat iſta ſolatia, quomodo vult & ubi vult, maximeque per eorum memorias, quia hoc novit expedire nobis, an etiam utroque modo, hoc *Auguſtinus* non definivit. Unde etiam in nominato ſuperius tractatu ſecundum meum reſponſum fuit non eſſe inutile invocare Sanctos quantumvis ſupponeretur eos neſcire quid à ſe poſtuletur. Quæ reſponſio tanto majoris ponderis apud Hagiomachos eſſe debet quod eam jam olim indicaverit *Auguſtinus*, & confirmaverit ac expoſuerit *Hugo Victorinus*, qui ob ſummam cum *Auguſtino* doctri-

næ conſenſionem vocabatur *ſui ſæculi Auguſtinus*.

Alterum, quod contra Sanctorum cultum ac præſertim invocationem Hagiomachi opponunt, eſt, quod is cultus non præſcribatur in Scripturis. Ut prætereamus quæſtionem illam, an & quomodo ex Scriptura ſacra probetur Sanctorum invocatio, ſuffecerit, ut hujus argutationis detegatur ineptia, advertere, Orthodoxis duplex eſſe inſtrumentum quo credenda continentur. Unum verbum Dei ſcriptum, alterum verbum Dei traditum. Utrumque pari veneratione proſequuntur. Unde dum ita argutantur contra Catholicos Acatholici, Sanctorum invocatio non continetur in Verbo Dei ſcripto, ergo aliena eſt à fidei Regula, tam inepti ſunt ac foret ille debitor, qui conventus ad ſolvendum pecuniam ex contractu mutui debitam, reponeret Creditori, nihil tibi debeo, quia

quia nil tibi debetur ex teſtamento Patris mei: vel etiam ſic exciperet, nihil à me ſolvendum ratione mutui quia nihil ſolvam ratione locationis.

Valeret hoc argumentum ſi probaſſent Acatholici ſolis Scripturis univerſa credenda contineri; ſed quando hoc probabunt? Nonne di-
2. Theſſ: 2. verſu 14. cit Apoſtolus, *Tenete Traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram?* Nonne
Hebr: 6: 1. Epiſtola ad Hebræos ſignificat plura eſſe de Sacramentis & fidei fundamentis à ſe aut tradita aut tradenda quam Epiſtola comprehenderat? *Quapropter*, inquit, *intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur; non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum Doctrinæ, impoſitiones quoque manuum ac reſurrectionis mortuorum, & Judicii æterni. Et hoc faciemus ſiquidem permiſerit Deus.* Nonne ex ipſis Apoſtolo-

ſtolorum Epiſtolis conſtat eos non ſcripſiſſe ut omnia fidei dogmata velut uno volumine comprehenderent, ſed potius illos pro occaſione nata nunc de hac nunc de illa materia ſcripſiſſe? Nonne etiam conſtat ex lectione Euangeliſtarum quod ſua Euangelia non ſcripſerint ut omnes fidei articulos velut in uno Syntagmate repræſentarent, ſed quod unus huic hæreſi contra fidem ab Apoſtolis prædicatam enaſcenti, alter alteri ſuum oppoſuerit Euangelium? Unde tam Apoſtoli quam Euangeliſtæ in ſingulis ſuis Epiſtolis & Euangeliis multa ſilentio prætereunt, quæ ſupponunt vivæ vocis miniſterio in fidelium cordibus & moribus eſſe conſcripta. Certe iſtud liquet ex laudato *Pauli* ad Hebræos teſtimonio. Nec objiciant Acatholici illud *Joannis*: *Conteſtor enim omni audienti verba Prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcri-* Apocal: 22. verſu 18.
ptas

ptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. Nam illa verba non denotant nihil eſſe credendum, quam quod in Apocalypſi continetur. Iſtud enim ſi præciperent, excluderentur plura fidei capita, quæ aut in Euangeliis aut in Epiſtolis continentur, & de quibus nulla fit mentio in Apocalypſi; ſed prohibent, ne quis aliquam partem huic Scripturæ inſerat tanquam foret *Joannis* quæ revera *Joannis* non erat, neque etiam detrahat aliquam partem quæ revera erat *Joannis*. Id enim facere, eſſet Scripturas ſive addendo ſive detrahendo falſare

Quod autem iſtis verbis non excludantur Traditiones, illud evadet manifeſtiſſimum, ſi comparentur
Deuter: 4. verſu 2. cum hac Deuteronomii ſententia: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Nam certiſſimum eſt iſtis verbis à *Moyſe* non

non vetari, ne quid crederent Judæi quod clarè in Pentateucho non foret expreſſum. Etenim ſi iſtud *Moyſes* præcepiſſet, præcepiſſet, ut Judæi nec crederent, nec beatitudinem æternam, nec etiam pœnas ſemper duraturas. Neutrum enim iſtorum in Pentateucho clarè expreſſum eſt, licet utrumque ſit creditu maximè neceſſarium, atque etiam tale, ut ſine illo ferè tota concidat Religio, nempe illis duobus tanquam ſuis præcipuis fundamentis inædificata. Cum ergo *Joannis* verba ſint verbis *Moyſi* ſimillima, & *Moyſi* verbis non excludantur Traditiones, ſequitur nec per *Joannis* verba illas excludi. Quod tanto certius inde conficitur, quod lex *Moyſis* in hoc opponatur novæ legi, quod illa ſit ſcripta in chartis, hæc in cordibus, illa atramento & litera, hæc ſpiritu in tabulis cordis carnalis. Si ergo lex ſcripta non continuerit præcipua Religionis fundamenta; quid

mirum ſi lex ſpiritus non omnia in ſcriptis contineat? Scripturas ergo in ſenſus alienos detorquent Hagiomachi dum ex illis conantur aſtruere, nihil eſſe credendum præter illud quod aut diſertis verbis continetur in Scriptura, aut quod evidenti ſequela ex illis concluditur.

Porro quamvis hæc regula: nihil eſt credendum, niſi quod aut diſertis verbis extat in Scripturis, aut clarè inde concluditur, ſit falſiſſima; fortiſſimè tamen eos ipſos premit, imo terribiliter condemnat, qui illam ſibi ipſis præfixerunt, uti eam ſibi præfixerunt Calviniſtæ. Etenim credunt, infantes necdum ratione utentes eſſe baptizandos, licet hoc nullis Scripturis probari poſſit. Imo licet *Philippus Actorum* 8. videatur ante baptiſmum exigere fidem tanquam neceſſariam ad illum præparationem: *Si credis*, inquit, *toto corde, licet baptizari*, Et licet etiam
Matt: 28. ipſe Chriſtus dicens: *Docete omnes*

gentes

gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, apparenter inſinuet, neminem eſſe capacem baptiſmi, qui ad illum non fuerit ſuſceptione Euangelicæ doctrinæ præparatus. Credunt etiam Calviniſtæ, baptiſmum collatum ab Hæreticis & Antichriſti Miniſtris & Præcurſoribus, pro qualibus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos & Præsbyteros ipſi habent, eſſe validum nec reiterandum, quamvis ex Scripturis probari non poſſit aliis quam veris Chriſti Apoſtolis & Miniſtris baptizandi poteſtatem eſſe collatam. Deinde credunt Calviniſtæ Euchariſtiæ ſumptioni præmittendum eſſe baptiſmum, cum tamen iſtud ex nullis Scripturis poſſit doceri. Tenent etiam baptiſmum per aſperſionem & infuſionem perinde valere ac illum, qui fit per immerſionem, tametſi id ex Scripturis nequeat oſtendi, imo licet ipſa ſignificatio vocis *baptiſmus* aliud inſinuet, ac

etiam aliud videatur exigere mors illa ſpiritualis quam baptiſmo ſigni-
Rom: 6: 3. ficari docet Apoſtolus, dicens: *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in* CHRISTO JESU, *in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.* Accedit quod teneant Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, tametſi hoc nullis Scripturis clarè probetur. Inſuper credunt Chriſtianis Dominicum diem eſſe obſervandum & non Sabbathum, quamvis expreſſa Dei lex dicat: Memento ut diem Sabbathi ſanctifices. Tandem firmiſſimè tenent, licitum eſſe Chriſtianis manducare ſanguinem & ſuffocata, tametſi Chriſtianis hanc legem fixe-
Actor: 15. verſu 28. rint Apoſtoli: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione, à*

quibus

quibus cuſtodientes vos benè agetis.

Cum ergo tot ac tanta credant prætenſè Reformati, quæ nullis continentur Scripturis; & cum contra mandata in Scripturis expreſſa Sabbathum non ſanctificent, nec abſtineant à ſanguine & ſuffocato; velim evigilent & advertant, num ſibi ipſis non turpiter contradicant, dum docent, & credunt, nihil eſſe credendum, quam quod ſcriptis continetur, & tamen multa credant, quæ nec diſertis verbis Scriptura complectitur, nec etiam ex illis evidenti ſequela poſſunt deduci. Nonne cum tanta credant & agant aut nullis expreſſa Scripturis, aut etiam expreſsè vetita in Scripturis, ſibi timere debent ab illis verbis: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ &c.* Nonne cum ipſi terribilem Apoc: 22. verſu 18.

hanc *Ioannis* ſententiam inceſſanter proferunt contra illos, qui præter Scripturam Apoſtolicas tenent traditiones, proprio judicio condemnati ſunt, credentes quæ nulla docet Scriptura? Quare dum Hagiomachi Catholicis inſultant, quod Sanctis ſupplicantes apponant ad Scripturas, & quod ideo apponet ſuper illos Deus plagas ſcriptas in libro iſto; tam veram in ſeipſos proferunt ſententiam quam in Catholicos falſiſſimam. Falſiſſimam enim in Catholicos proferunt ſententiam, quia falſiſſimum ſenſum *Ioannis* verbis affingunt. Veriſſimam vero in ſeipſos proferunt damnationis ſententiam; quia, quem putant eſſe veriſſimum Scripturæ ſenſum, directè impugnant multa credentes & profitendæ Religionis ergo multa agentes, quæ nullis ſunt expreſſa aut præcepta Scripturis. Quod ergo de Hæreticis omnibus pronunciat Apoſtolus, ipſos eſſe proprio judicio

con-

condemnatos, videant Calviniſtæ an non eos ipſos maximè afficiat.

Catholici vero dum Sanctos venerantur, dum illos invocant, ſive ipſis dicunt, ora pro nobis; ab intentatis per *Ioannem* minis ſecuri ſunt, quia nihil *Ioannis* libro addunt aut diminuunt, & poſtulantes Sanctorum pro ſe preces, id agunt quod egêre Viri Sanctiſſimi *Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius & Auguſtinus,* aliique Sancti; & quod fatetur *Dalæus* in ſuo *libro de Traditionibus Latinorum*, etiam quarto ſæculo à nativitate Domini apud Chriſtianos fuiſſe in uſu. Sicuti in hoc manifeſtiſſimæ veritati aſſentitur *Dalæus*, ita miſerrimè ſe ipſum decipit, dum ait initio quarti ſæculi conſuetudinem colendi & invocandi Sanctos natam fuiſſe: & injuſtè iraſcitur *Gregorio Nazianzeno* & *Ambroſio*, quod Sanctorum cultum ſuis ſcriptis & exemplis plurimum pro-

Dalæus *adverſus traditiones Latinor: de Relig: cult: object: lib. 4. cap. 23.*

promoverint. Nam clariſſimè conſtat quarti & quinti ſæculi *Patres* Sanctorum cultum & invocationem non ut rem novam ſed antiquam, non uti nuper inſtitutam ſed uti à majoribus receptam, non ut novè inventam, ſed ut ab Apoſtolis traditam habuiſſe, & obſervaſſe. Invocationis Sanctorum fit mentio in omnibus libris liturgicis etiam antiquiſſimis. Unde *Cyrillus Catech.* 5. *Myſtag.* Rogamus te omnes, & ſacrificium hoc offerimus tibi, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus eorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras. Hæc ibi *Cyrillus*. *Euſebius Cæſarienſis*, qui floruit quarti ſæculi initio in *lib.* 13. *præparationum Evangelicarum cap.* 7. contra Paganos Chriſtianam Fidem aſſerens, poſtquam ex Platone narraſſet Gentilium morem honorandi Heroes

Vide Auguſtinum *ſerm.* 7. *de verb. Apoſt.*

roes pro Patria interfectos, ſubinfert morem Chriſtianorum Sanctos colentium & invocantium. Hæc, inquit, & nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad eorum monumenta accedimus, vota ipſis facimus, tanquam Viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum nos juvari profitemur. Hæc *Euſebii* verba non *novum morbum Chriſtianorum quarti ſæculi*, uti *Dalæus* vocat ritum invocandi Sanctos, ſed eorum antiquos deſignant mores, quos *Euſebius*, qui eos deſcripſit, noverat optimè. Et *Chryſoſtomus Homil. 26. in 2. Epiſt. ad Corinth.* ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa, & complexurus ſepulchra faſtu depoſito ſtat Sanctis ſupplicaturus, ut pro ſe apud Deum intercedant ..... nec hoc tantum Romæ quis fieri viderit, ſed etiam Conſtantinopoli. Quid in iſtis verbis quod non potius denotet

Digitized by Google

morem antiquum quam recens inventum? Imo *Gregorius Nazianzenus* diſertis verbis ait *Iuſtinam* virginem invocaſſe Deiparam contra *Cypriani* faſcinum. *Iuſtinà* autem tertio ſæculo affecta eſt martyrio. Item *Aſterius Amazenus Homil. in ſanctos Martyres* refert mulierem, quæ martyrem invocabat, ei dixiſſe ut poſtulata facilius impetraret: *Tu ipſe antequam Martyr fores, Martyres invocaſti, & quærens inveniſti; nunc ſis liberalis, ditatus bonis quæ recepiſti.* Non ergo quartum ſæculum peperit morem invocandi Sanctos, ſed eum à tertio accepit ſæculo, ſicuti tertium illum acceperat à ſecundo & ſecundum à primo.

Et certè ſi tertio ſæculo credidiſſent Chriſtiani cultum & invocationem Sanctorum eſſe ſuperſtitionem & Idololatriam, quî fieri poteſt, ut illud nemo Doctorum, qui quarto ſæculo vixerunt, ſciverit, cum tamen

men milliones hominum tertii ſæculi debuerint vixiſſe cum hominibus ſæculi quarti? Quî fieri poteſt ut tam ſubitæ defectionis à vero Dei cultu in cultum Idololatricum nullum in antiquis monumentis extet veſtigium? Quî fieri poteſt, ut *Vigilantius* & *Aërius* impugnatores cultus Sanctorum ab *Hieronymo*, *Auguſtino* & *Epiphanio* tractentur ut Novatores & Hæretici, ſi ſæculo tertio credidiſſent Chriſtiani Sanctorum cultum eſſe Idololatriam? Eſtne credibile ut ritus publicus antiquæ fidei contrarius intra ſpatium viginti, triginta aut quadraginta annorum ita propagetur, ut nemo amplius recordetur antiquæ fidei, & omnes credant novam ſuperſtitionem eſſe fidem Antiquam, eſſe morem Majorum atque Apoſtolicum inſtitutum? Eſtne vel fando poſſibile, ut, qui tertio ſæculo credidiſſent ſolum Deum & Chriſtum eſſe colendos & invocandos, ingreſſi

Digitized by Google

greſſi quartum ſæculum omnino priſtinæ fidei ac moris fuiſſent obliti, vel, ſi illius fuiſſent recordati, nemo ſtetiſſet aut ſcripſiſſet pro more & fide Antiqua? Eſtne veroſimile, ut Eccleſia, quæ credidiſſet tertio ſæculo ſolum Deum eſſe colendum, nec ullius niſi unius Chriſti preces eſſe poſtulandas, nec ſine Idololatria Sanctos poſſe coli & invocari, initio quarti ſæculi dilapſa fuiſſet in manifeſtam Idololatriam nemine contradicente, nemine zelante pro gloria Dei, & pro honore unius Mediatoris Dei & hominum JESU CHRISTI? Eſtne etiam veroſimile quod Miniſtri, qui vixerunt decimo ſexto, aut etiam vivunt ſæculo decimo ſeptimo, melius noverint quid crediderit ſæculum tertium, quam illud norunt quarti & quinti ſæculi Scriptores, *Baſilius*, *Gregorius Nazianzenus*, & *Nyſſenus*, *Chryſoſtomus*, *Epiphanius*, *Auguſtinus*, ac præſertim *Hieronymus* qui

qui omnes præcedentium ſæculorum Scriptores diligentiſſimè legerat? Nullam ergo habet veriſimilitudinem quod tertio ſæculo credidiſſent Chriſtiani cultum & invocationem Sanctorum eſſe Idololatriam, & quod initio quarti ſæculi hanc fidem abjeciſſent & tempore laudatorum Patrum credidiſſent eorum cultum & invocationem eſſe Deo placitam, animabus utilem, nec recenter inſtitutam ſed ab Apoſtolis acceptam.

Porro ſi tertium ſæculum illud credidit de Sanctorum cultu quod credidit quartum ſæculum, in eadem fide etiam ſecundum & primum ſæculum vixiſſe cenſenda ſunt. Si autem omnium ſæculorum Chriſtiani crediderunt Sanctos venerandos & invocandos eſſe, certiſſimum eſt illam Fidem ab Apoſtolis dimanaſſe, eamque eſſe Fidem Catholicam, Apoſtolicam, & à Chriſto derivatam.

Etenim

Digitized by Google

Etenim ſi primorum ſæculorum Chriſtiani colendo & invocando Sanctos ſeſe Idololatriæ crimine polluiſſent, nullus ex morte Chriſti fructus extitiſſet, nulla facta redemptio Generis humani, nulla hominum à vanis ad Deum converſio, ſed tantum fuiſſet facta Idololatriæ cum Idololatria commutatio, & abjecti ſolummodo fuiſſent aliqui falſi Dii ut alii in eorum locum ſubrogarentur. Si ergo omnia ſæcula crediderunt Sanctos eſſe colendos & invocandos, manifeſtiſſimum eſt eam fidem eſſe Deo probatam, eumque cultum & invocationem non poſſe ſine manifeſta calumnia accuſari Idololatriæ aut etiam ſuperſtitionis.

His accedit quod Deus, ut cultum & invocationem Sanctorum ſibi teſtaretur eſſe gratiſſima, illa plurimis miraculis & quidem maximis & evidentiſſimis comprobaverit. Recenſet illa *Auguſtinus lib.* 22.

de

de Civitate Dei cap. 8. hoc eſt eo libro quem ſcripſit contra figmenta Gentilium, ut Chriſtianæ Religionis aſtrueret veritatem: quam profecto ſi mendaciis defendere voluiſſet, ab Ethnicis redargui potuiſſet. Ea enim narrat quæ dicit in Urbibus populoſiſſimis & in plurium patrata conſpectu. Deinde aliqua eorum narrat etiam *Ambroſius*, hoc *Epiſtola* 54. eſt Vir graviſſimus & fide digniſſimus.

Et ut quiſque magis videat *Auguſtinum* nihil ea in re voluiſſe mentiri, advertendum, quod ſummè ſemper fuerit eorum deteſtatus opinionem, qui docuerunt aliquando majoris boni cauſa vel etiam Religionis ergo mentiri licitum eſſe. Nam contra iſtum errorem compoſuit duos libellos, nempe unum de Mendacio, alterum contra Mendacium. Vera ergo ſunt quæ narrat *Auguſtinus* & *Ambroſius*. Si autem veriſſima ſint miracula, quæ illi narrant,

Digitized by Google

narrant, veriſſimum quoque eſt, Chriſtum non ſolum Sanctorum cultum & invocationem inſtituiſſe uti utilem, verum etiam ſignis ac prodigiis confirmaſſe. Unde etiam confidentiſſimè dico: ſi errent & peccent Catholici Sanctos venerando & invocando, hujus erroris & criminis Deum eſſe auctorem. Unde ſicuti Deus eſſe non poteſt erroris ant peccati auctor, ita cultus, & invocatio Sanctorum eſſe non poteſt aut error, aut ſuperſtitio, aut Idololatria. Et ſi nec error, nec ſuperſtitio, nec ſint Idololatria, quid ſunt Hagiomachi qui iſtum ob cultum Catholicos erroris, ſuperſtitionis & Idololatriæ accuſare non deſinunt? Nolim ego iſtud meis verbis eloqui, ipſi ſeipſos dijudicent, ne à Domino judicentur. Hoc illis opto tota charitate.

Vos autem Grex mihi credite, tenete, quas habetis de cultu Sanctorum ttaditiones, honorate illos,

Invocate illos, illos cum *Ambroſio* ambite Protectores, illos cogitate cum eodem ſancto vitæ actuumque veſtrorum præſules ac ſpeculatores: ac præſertim Deiparam, *ſanctorum Reginam*, colite & invocate frequentiùs ac ferventius; & dum illam colitis, ſpernite quod ſprevit, amate quod amavit, magnificate eum quem ipſius animam magnificavit, exultate in illo in quo ejus ſpiritus exultavit. Talis contemptus non erit ſuperbiæ ſed humilitatis. Talis amor non erit ſine bono, quod amat. Talis magnificatio creſcit ex eo, quem magnificat. Talis exultatio ſecura eſt, quia in eo exultat quem nemo auferat invito. In hac Deiparæ imitatione ejus cultus præcipue collocatus eſt. Iſtum commendat Eccleſia, quæ eſt columna veritatis. Iſtum docent Eccleſiæ Doctores, quos nobis dedit Dominus, ne circumferamur omni

vento doctrinæ. Illum aſſerit *Petri* ſucceſſor, *Chriſti* in terris Vicarius, Romanæ Antiſtes Eccleſiæ, cui Dominus oves ſuas tradidit paſcendas; & in cujus communione vobiscum vivere & mori opto, cujusque judicio ſenſus meos & placita humilis ſubmitto.

Tra-

Tractatus Primus.

Fecit mihi magna qui po= tens eſt. Lucæ 1: 49.

§. I.

Eſt hiſce temporibus de SANCTORUM *cultu contentio.*

EST hodie annuus Beatiſſimæ Virginis MARIÆ triumphus: quare de ejus cultu & gloria nunc præcipuè tractandum; idque eo magis, quod & inter Catholicos & Acatholicos (quos non paucos hîc nunc credo pręſentes) & inter ipſos Catholicæ Eccleſiæ filios contra ſe mutuo hocce tempore de cultu Virginis videatur quædam eſſe contentio, dicentibus aliis eſſe quid in eo nimium, aliis aſſerentibus nullum in ejus cultu eſſe exceſſum. Nec horum, nec

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

iſtorum argumenta depromam, ſed Eccleſiæ Doctrinam ſimpliciter proferam; tanta enim lux eſt Catholicæ veritatis, ut illa ſolummodo aptè propoſita ſine ullo pugnæ apparatu vincat ac triumphet, docens Acatholicos Divorum ac prȩſertim *Mariæ* honorem divino honori nequicquam prȩjudicare, & inſtruens Catholicos potiſſimum *Mariæ* cultum in virtutum ejus æmulatione eſſe collocatum. Unde hac die Virgini ſacra, in hoc templo ejus memoriæ dicato coram Clero & populo Deiparæ devotiſſimo, & vice Illuſtriſſimi Antiſtitis, qui & ex inſtituto ſui Ordinis & ſua propria propenſione eſt honoris *Mariæ* ſtudioſiſſimus, tractabo *primò* de differentia quæ eſt inter cultum Dei & cultum Sanctorum, ipſiuſque Deiparæ. *Secundò* de prȩcellentia, qua prȩcellit debitus Virgini honos aliorum divorum honorem.

§. II.

Sanctorum hominum in terris viventium veneratio licita; imò præcepta.

FAcile percipiunt Chriſtiani, ſive illi ſint Catholici ſive Acatholici, cultum, quo homines Dei in terra peregrinantes ab

iſtis

iſtis culti ſunt, qui cum illis viventes eorum fidem & in Deum charitatem venerati ſunt, minimè eſſe contrarium Religioni, qua unus Deus colendus eſt. Non divino honori detraxerunt primi Chriſtiani, quando Apoſtolos magnificabant, & Actor: 5.
in lectis ac grabatis ponebant infirmos, *ut ſaltem umbra* Petri *obrumbraret quemquam illorum.* Neque etiam in Deum fuerunt injurii, qui *Paulum* ſicuti Angelum, Galat: 4.
ſicut *Chriſtum Jeſum* excipiebant; aut qui verſu 14.
à corpore *Pauli* ſudaria & ſemicinctia deferebant ſuper languidos & Energumenos, Actor: 19. verſu 12.
& recedebant ab eis languores & ſpiritus nequam egrediebantur: certè in teſtimonium, quod is honor Apoſtolis impenſus Deo non diſplicebat. Dum Joppenſes *Petro* ſupplicant, ut pauperum nutricem *Dorcadem* reſuſcitaret, non obſcurarunt ſed potius *Chriſti* gloriam illuſtrarunt, tantam in *Petro* agnoſcentes poteſtatem, non quia *Petrus* erat ſed quia *Chriſti* ſervus erat. Ipſe *Paulus* non fuit injurius in unum Dei & hominum Mediatorem, quando invocabat Theſſalonicenſium orationis auxilium ſcribens illis: *orate pro nobis*. Nec putaverim quemquam ſuperſtitionis accuſaturum Judęos, quod Actor: 9. 2 Theſſ: 3. verſu 1.

Jer: 42: 2. *Jeremiam* invocaverint dicentes: *ora pro nobis ad Dominum Deum tuum.*

Imo tantum abeſt, ut Dei minueret honorem honos impenſus Apoſtolis & Prophetis, ut dicat ſe in illis ſperni & contemni, ſe non audiri nec recipi, dum illi non audiuntur aut recipiuntur. Econtra ſe ait in illis accipi, audiri & obſervari, ſeque reputare ſibi eſſe impenſum, quidquid ſuis ſervis impenderis. *Quamdiu*, inquit *Chriſtus*, *feciſtis uni ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis.* Et econtra, *quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.*

Lucæ 10. 16. Joan: 13. 20. Matt: 25. 40, 45.

Non arbitror quemquam eſſe Chriſtianum adeo dementem, ut ſibi perſuaderet, aut Angelum ſuo erga Deum obſequio defuiſſe, quando venerabundus dixit *Mariæ*: *Ave, gratia plena, Dominus tecum &c.* Aut *Eliſabetham*, quando honorans *Mariam* exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me!* & *benedicta tu inter mulieres.* Aut iſtam mulierem, quæ obſtupeſcens filii ſapientiam, ſanctimoniam ac miracula, hęc effudit in laudem Matris: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.*

Lucæ 1. Lucæ 11. 27.

§. III.

§. III.

Non eſt ſuperſtitio colere Sanctos in cælis regnantes.

SI ergo non fuerunt Idololatræ Chriſtiani, qui Apoſtolos hic in terra viventes coluerunt: ſi non fuit in Deum irreligioſus, aut Angelus *Gabriel*, aut *Eliſabeth*, aut alia femina, quando *Mariam* hic viventem venerati ſunt, cur quęſo nos Catholici habebimur ſuperſtitioſi, aut falſorum Deorum cultores, dum colimus Sanctos corporis vita defunctos?

§. IV.

Catholici eadem cultus ſpecie colunt Sanctos in terris peregrinantes, qua colunt in cælis regnantes.

AN fortè eos in cælis regnantes colimus honore, qui uni Deo debetur? qui hoc credit de Catholicis, magnam illis facit injuriam. Nam Catholici colunt Sanctos in cælo commorantes eo modo, quo colunt Sanctos hic in terra exulantes. *Populus autem Chriſt*: (teſte *Auguſtino*) *memorias Martyrum religioſa ſolemnitate cor-* *L. 20. cont.* Fauſtum *cap. 21.*

celebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuvetur: ita tamen ut nulli martyrum ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum, in locis Sanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, *aut* Paule, *aut* Cypriane? *ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit; ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus. Colimus ergo Martyres*, adde, Sanctos & *Mariam* Sanctorum Reginam, *eo cultu, dilectionis ac ſocietatis, quo in hac vita coluntur Sancti Dei homines, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus; ſed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt certamina ſuperata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in illa hucuſque pugnantes.* Hæc *Auguſtini* verba non accipienda ut verba, quæ unius *Auguſtini* ſententiam de cultu Sanctorum exponunt, verum æſtimanda ſunt ut teſtimonium, quo teſtatur *Auguſtinus* quis eſſet ſenſus Ec-

Eccleſiæ quinti ſæculi, qui, uti nullatenus differebat à ſenſu ſæculorum præcedentium, ita per omnia conſentit cum Eccleſia hujuſce ſęculi. Omnium ergo ſæculorum fides eſt, colendos eſſe Sanctos in cælis regnantes eo cultu dilectionis ac ſocietatis, quo coluntur Sancti Dei homines hic in terra certantes. Nequeunt ergo Hagiomachi, nos, dum Sanctos vita functos honoramus, ſuperſtitionis accuſare, niſi eodem crimine eos omnes aſpergant, qui Apoſtolos adhuc mortales, mortales venerati ſunt.

§. V.

Coluntur S*ancti cultu religioſo.*

SEd dicunt nos cultu religioſo venerari Sanctos vita functos. Fatemur iſtud non illibenter. Sed ſciant adverſarii etiam Sanctos hic certantes à Conſervis ſuis religioſo cultu fuiſſe honoratos, nempe quando eo modo culti fuerunt, quo eos *Chriſtus* coli voluit. Nempe uti ſuos Diſcipulos, ſuos Juſtos, ſuos Apoſtolos, ſuos Prophetas: uti Diſcipulos in quorum cordibus regnabat voluntas Magiſtri, Juſtos qui ſancta ſiti ac eſurie ſitiebant ac eſurie-

bant æternum juſtitiæ fontem, Prophetas qui contemptu præſentium bonorum cæleſtia ac futura quaſi oſtendebant ac commendabant, Apoſtolos qui morum ſanctimonia illi uni vivebant à quo miſſi erant, nec ab hominibus aliud cupiebant quam hominum ſalutem. Hunc Religioſum cultum *Chriſtus* Dominus commendabat, quando illi mercedem conſtituens dicebat: *qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui miſit me. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Et *quicumque potum dederit uni ex minimis meis tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Quid eſt autem Prophetam, Juſtum, Diſcipulum, in nomine Prophetæ, Juſti, ac Diſcipuli recipere, niſi eos recipere? non ob ſpeciem corporis, non ob carnis & ſanguinis propinquitatem, non ob generis claritatem, non ob opes & mundi dignitates, non ob ſcientias profanas, ob quæ bona cum magna Dei injuria ſæpe impii coluntur ab impiis; verum hoc eſt recipere Prophetas, Juſtos, & Diſcipulos in nomine Prophetæ, Juſti, ac Diſcipuli,

Matt: 10. 40.

eos

eos recipere ob amorem & honorem ejus à quo miſſi, juſtificati, & illuſtrati ſunt. Talis autem Sanctorum cultus vocatur Religioſus, quia talis Prophetarum, Juſtorum, & Diſcipulorum honor tranſit ad Dominum, & hæret in Domino.

§. VI.

Quando colantur Sancti cultu profano.

VErum ſi Diſcipuli, ſi Juſti, &c. honorentur vel ob ſpeciem corporis, qualiter à luxurioſis colebatur *S. Agnes*; vel ob mundi opes & gloriam, ob quæ Sanctus *Henricus* Imperator, *Stephanus* & *Ludovicus* Reges ab avaris & ambitioſis honorari & obſervari potuerunt; vel ob eloquentiam, quæ *Chryſoſtomum* & alios ſanctos Patres Gentilibus reddidit venerandos; vel ob medicam ſcientiam, ob quam *Coſmus* & *Damianus* etiam à ſuis Perſecutoribus culti fuiſſe videntur; vel ob miraculorum gloriam, ob quæ *Simon Magus Petrum* ſuſpexit: tunc cultus ſervis exhibitus eſt profanus cultus & plerumque in Dei tendens injuriam, utpote procedens aut ex turpi libidine, aut ava-

ritia, aut ambitione, aut curioſitate quæſtuoſa, aliove fonte vitiato.

§. VII.

Aſſeritur cultus religioſus Sanctorum in cælis regnantium.

EX his clarum eſt per cultum Religioſum, quem Catholici Sanctis dicunt eſſe exhibendum, non intelligi alium cultum, quam qui Sanctis exhibetur eo titulo & nomine, quod ipſi ſint ſervi & cultores Dei noſtri, cujus etiam ſunt filii, quia illi ſerviunt non timore ſervili, ſed libera charitate. Si autem Sancti hic viventes tunc ſolum eo modo, qui Deo placet, honorantur, quando non alia de cauſa honorantur, quam quia ejus ſervi, filii, & dilecti ſunt: quæ Dei injuria eſt? quæ ſuperſtitio? quæ divinæ Majeſtatis violatio, ſi demortuos ejus ſervos colamus ob amorem, laudem & Religionem, quibus ipſi Dominum Deum noſtrum in terris coluere, & in cælis nunc colunt & colent in æternum? Si Angelus cultu religioſo *Mariam* ad huc mortalem ſalutavit *gratia plenam*; cur eodem cultu eam in cælis triumphantem nunc non licebit ſalutare?

lutare? ſi viventis hic *Mariæ* precibus licebat nonnihil fidere, quod crimen, ſi confidam regnantis *Mariæ* preces mihi profuturas? ſi mortalis precum auxilium, dicendo *ora pro nobis*, licebat invocare? cur immortalis *Mariæ* precum auxiliarem manum non itidem licebit invocare? quæ major injuria in *Chriſtum* mediatorem, ſi implores glorioſæ in cælis *Mariæ* orationis ſuffragium, quam ſi in terris miſeræ invoces orationis Patrocinium?

§. VIII.

Sancti colendi tametſi cultum ſibi impenſum neſciant.

SEd fortè neſciunt in cęlis quis ſibi honor exhibeatur in terris? Non hęc cura torſit *Paulum*, quando ad Hebræos 11. Patriarchas alioſque Sanctos, qui ante *Chriſti* adventum vixerunt, illuſtri proſequitur Elogio, ut eos fidelibus proponat in exemplum quod imitentur. Non iſta objectio cohibuit *Jacobum*, ne ſuis Jac: cap: 2. laudibus coleret *Abrahæ* fidem, illique hoc tribueret encomium: *Pater noſter Abraham nonne ex operibus juſtificatus eſt offerens* Iſaac *filium ſuum ſuper altare?* Non

etiam

etiam obſtitit, quo minus Act. 7. *D. Stephanus* longe ordine celebraret merita Patriarcharum ac Prophetarum, ut malis aut ad pœnam aut ad emendationem, & bonis forent ad virtutem non ſegnè incitamentum.

§. IX.

Licitum Sanctos invocare.

NEc dicant Hagiomachi licere quidem cultus Religioſi ea parte defunctos colere, quæ collocata eſt in laude, amore, ac imitatione earum virtutum, quibus Sancti claruerunt in terris, & nunc magis clareſcunt in cælis, minimè vero licere eos invocare; quod invocatio ſupponat, quod is, à quo auxilium poſtulas, ſciat quid ab ipſo poſtules; alia vero pars Religioſi cultus id minimè exigat. Ad hæc repono, *Primò* quod Catholici ex magna parte intentionem ſuam conſequuntur, quando hoc ipſis dant adverſarii, quod Sanctos liceat honorare, eorum virtutes celebrare, licet ipſi neſciant, nunc eos honores an vituperes. Nam non ſolum eam honoris partem, quæ in invocatione eſt collocata, ſed etiam illam, quæ poſita

eſt in celebranda illorum memoria videntur habere adeo exoſam, ut nec ullos Sanctorum celebrent natales, nec fas putent Apoſtolos vocare Sanctos, ne vel tantillum ipſis honoris impendant. *Deinde* peto ab adverſariis, cur non vanum eſt eos laudare, magnificare ac imitari, qui neſciunt utrum eos honores an contemnas? ſi dicant utile eſſe eorum memoriam celebrari, eo quod Deus, qui Remunerator eſt, ſciat quid ſervis ſuis impendatur, tametſi ipſimet iſtud neſciant. Idem ſibi ipſis reſpondeant, dum de precibus agitur, nempe eas eſſe utiles, tametſi eas neſciant Sancti, modo eas ſciat, qui eorum, quæ à Sanctis poſtulantur, auditor & elargitor eſt Deus.

§. X.

Tametſi ſupponeretur contra veritatem Beatos neſcire preces ad ſe directas, tamen utiliſſimum foret eos invocare.

UNde licet contra Sanctorum Patrum, & communem fidelium ſenſum, cui animitus aſſentio & devotus accedo, ſuppo-

poneretur Sanctos plerumque neſcire preces ad ſe directas, earum tamen fructum crederem eſſe maximum. Vix dubium mihi eſt, quin in illa ingenti ægrorum & à ſpiritibus immundis vexatorum turba, quæ per plateas jacebat expoſita, ut *Petri* umbra obumbraret quemquam illorum, plurimi fuerint, quos ignoravit *Petrus*, vel quinam eſſent, vel quid à ſe poſtularent; quibus tamen ad *Petri* commendationem, quod conſequi à *Petro* cupiebant, *Petri* Dominus concedebat. Unde etiam non exponebantur in lectis & grabatis ægri, ut *Petrus* eos noſceret, aut eorum audiret deſideria, *ſed ut ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum.* Minus crediderim illos omnes vel illorum vota *Paulo* nota fuiſſe, quibus applicabantur ſemicinctia & ſudaria ab ejus corpore deſumpta, & nihilominus exitus comprobavit Deo placita, & ipſis proficua fuiſſe illa vota, quibus per *Pauli* merita & ſemicinctia ab ejus corpore delata ſanitatem conſequi cupiebant.

§. XI.

§. XI.

Licitum petere à Deo, ut nobis Sanctorum in cælis regnantium preces faciat prodeſſe.

Sit ergo certum Sanctos ritè coli cultu Religioſo, eoſque ſive viventes in terris ſive regnantes in cælis eſſe honorandos, & poſſe ſine ulla Dei injuria, imo utiliter & ſapienter invocari, tametſi neſciant à quibus colantur aut invocentur. Nam cum ex Scripturis certum ſit, nec Adverſariorum doctiſſimi negent Sanctos in cælis regnantes orare pro fratribus ſuis, quos ſciunt in terra exulare & periclitari; cur non licebit à Deo petere, ut, quod ipſi in Patria, nempe in cęlis, pro exulibus generatim poſtulant, iſtud nobis ſpeciatim faciat prodeſſe? quod crimen erit rogare Deum, ut Sanctorum ſuorum meritis precibuſque concedat, ut in omnibus protectionis ejus muniamur auxilio, noſque illis annumeret, pro quibus Sancti in cælis ſuas preces inceſſanter offerunt.

Quiſpiamne eum accuſet ſuperſtitionis aut dementiæ, qui credens eſſe Sanctorum communionem animitus optat, ut

poneretur Sanctos plerumque neſcire preces ad ſe directas, earum tamen fructum crederem eſſe maximum. Vix dubium mihi eſt, quin in illa ingenti ægrorum & à ſpiritibus immundis vexatorum turba, quæ per plateas jacebat expoſita, ut *Petri* umbra obumbraret quemquam illorum, plurimi fuerint, quos ignoravit *Petrus*, vel quinam eſſent, vel quid à ſe poſtularent; quibus tamen ad *Petri* commendationem, quod conſequi à *Petro* cupiebant, *Petri* Dominus concedebat. Unde etiam non exponebantur in lectis & grabatis ægri, ut *Petrus* eos noſceret, aut eorum audiret deſideria, *ſed ut ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum*. Minus crediderim illos omnes vel illorum vota *Paulo* nota fuiſſe, quibus applicabantur ſemicinctia & ſudaria ab ejus corpore deſumpta, & nihilominus exitus comprobavit Deo placita, & ipſis proficua fuiſſe illa vota, quibus per *Pauli* merita & ſemicinctia ab ejus corpore delata ſanitatem conſequi cupiebant.

§. XI.

§. XI.

Licitum petere à Deo, ut nobis Sanctorum in cælis regnantium preces faciat prodeſſe.

Sit ergo certum Sanctos ritè coli cultu Religioſo, eoſque ſive viventes in terris ſive regnantes in cælis eſſe honorandos, & poſſe ſine ulla Dei injuria, imo utiliter & ſapienter invocari, tametſi neſciant à quibus colantur aut invocentur. Nam cum ex Scripturis certum ſit, nec Adverſariorum doctiſſimi negent Sanctos in cælis regnantes orare pro fratribus ſuis, quos ſciunt in terra exulare & periclitari; cur non licebit à Deo petere, ut, quod ipſi in Patria, nempe in cęlis, pro exulibus generatim poſtulant, iſtud nobis ſpeciatim faciat prodeſſe? quod crimen erit rogare Deum, ut Sanctorum ſuorum meritis precibuſque concedat, ut in omnibus protectionis ejus muniamur auxilio, noſque illis annumeret, pro quibus Sancti in cælis ſuas preces inceſſanter offerunt.

Quiſpiamne eum accuſet ſuperſtitionis aut dementiæ, qui credens eſſe Sanctorum communionem animitus optat, ut

ut ſibi proſint non ſolum gemitus Eccleſiæ militantis, ſed etiam læta oratio Eccleſiæ triumphantis, licet contra Sanctorum Patrum ſententiam ſupponeretur, quod nec hæc nec illa ſciat quæ ipſum premat neceſſitas, aut quid in ſpecie deſideret?

§. XII.

Verbum, ora pro nobis, non exigit, ut Sanctus, quem exprimis, illud audiat.

NEc dicant Adverſarii verbum *ora pro nobis* omnino exigere, ut is, quem alloqueris, te audiat loquentem: nam illud poſt *Hugonem à Sancto Victore* negant celebriores Scriptores, aſſerentes ſufficere, quod Deus audiat, propter quem Sanctos oramus. Facilius hoc capient adverſarii, ſi advertant quod docet in *Syſtemate fidei Franciſcus Davenportus*, nempe quod confugere ad orationes, opem auxiliumque Sanctorum, idem ſit quod orare Deum, ut interceſſiones ſive orationes Sanctorum nobis applicet. *Et certè*, inquit, *quoad hoc perinde eſt, ſive dirigamus preces ad Deum; ſive etiam in recto ad ipſas animas,*

Franciſcus Davenport. *ſive à* Sancta Clara *in Syſtem. fidei c.* 44. *n.* 9.

animas, ſeu ſpiritus beatos: ſi enim ſubſtantiam rei ſpectemus, non aliud intendimus per unum vel alterum orandi modum, quam ut Deus ad orationes ipſorum nos juvare dignetur. Ex his (proſequitur paulo poſt idem Auctor) *facile colligitur nullas habere vires Achillem illum adverſariorum* (ſcilicet argumentum petitum à neſcientia Sanctorum) *quia illo dato nihil evinceretur; licet conformius ſit principiis etiam Philoſophiæ ..... animas beatas* (etſi de fide non ſit) *eas omnino audire preces ſupplicantium.* Hucuſque *Davenportus*, qui licet dicat non eſſe de fide quod beatæ animæ ſupplicantium preces audiant, ſummo tamen jure dicitur principiis Philoſophiæ ac præſertim Traditioni eſſe conformius, quod beati ſciant quid à ſe poſtuletur. Hęc dixerim in gratiam Hagiomachorum: nec dubito, ſi ulla in ipſis ſinceritas, & ad ea, quæ diximus, ſit attentio, quin admiſſuri ſint, nihil eſſe in cultu, quo Beatos proſequimur, quod aut impietatis aut ſtultitię accuſari queat; ſiquidem Sanctis hac vita functis non impendimus alium honorem, quam qui etiam ipſis approbantibus impenditur illis, quos hic in terris advertimus Deo eſſe devotos, eique ſervire amore caſto.

Ibidem. Num. 15.

§. XIII.

Talis eſt differentia inter cultum Dei ac Sanctorum in cælis regnantium, qualis eſt inter cultum Dei & Sanctorum in terris viventium.

CUm ergo Beatos colamus eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo coluntur Sancti Dei homines hic peregrinantes, tantum eſt diſcrimen inter cultum Dei & Sanctorum in cęlis triumphantium, quantum eſt inter cultum Dei & Sanctorum in terris peregrinantium, hoc eſt, tam magnum, quam eſt magna diſtantia inter honorem Dei ac rationabilis & obedientis creaturæ ejus; inter cultum Domini ac ſervi; inter amorem ipſius Beatitudinis & Beatificati aut beatificandi; ſive quanta eſt diſtantia inter eum, qui propter ſe amatur & colitur, & inter eum qui propter alium diligitur & honoratur. Cum ergo juxta Catholicos tanta ſit diſtantia inter utrumque Cultum, ipſos calumniantur Hagiomachi, quando ajunt quod colendo Sanctos Dei gloriam ad Dei transferant Creaturas.

§. XIV.

§. XIV.
Dei ſervitus Sanctorum Laus præcipua.

Nec putet quis rudis Catholicus eos demiſſe ſentire de Sanctis, qui docent ideo præcipue vel unice colendos, quia Deum ſuum ipſi coluerunt in terris, & nunc perfectius colunt in cælis. Certiſſima enim eſt veritas nihil in Sanctis eſſe grandius amore quo Deo ſerviunt, Deo adhærent, illum laudant ac adorant. *Charitas enim omnium arx eſt virtutum, hæc promiſſio Regni, hæc præmium ſummum eſt ſanctorum in Cælo: quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto amore: quem quia præſentem vident, ſuavius diligunt & dulcius fruuntur ipſo bono.* Ex his verbis *Auguſtini* optimè concluditur cum *Bernardo*. *Ergo quantitas cujusque animæ æſtimetur de menſura charitatis quam habet, ut, verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna ſit: quæ parum, parva: quæ verò nihil, nihil: dicente Paulo ſi charitatem non habuero, nihil ſum.* Sit quis Rex, ſit Dominus Mundi, nihil eſt ſine charitate; imo ſit quis Rex non

Aug. *Serm. 53. de tempore.*

Bernard. *Serm. 27. in Cantica.*

ſolum hominum ſed etiam ſanctorum, ſicuti fuit *Nero* & *Domitianus*, & quod magis eſt, ſit quis Rex, & Imperator ipſius *Chriſti*, ſicuti fuere *Herodes*, *Auguſtus* & *Tiberius*, & charitatem non habeat nihil eſt, ſicuti nihil ſunt modo *Herodes*, *Auguſtus*, & *Tiberius*, niſi quod ſint magni in tormentis. Auſim dicere, quod ipſa Dei Mater nihil fuiſſet, ſi Mater ſine charitate fuiſſet. Quæ ergo Mariæ præcipua dignitas? quod amore caſto Deo ſervierit, & ejus mandata corde bono & optimo

Tract. 10. *in Ioannem* ſervaverit. *Beata Virgo Maria*, inquit *Auguſtinus*, *quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnificavit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Propterea cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens ſigna & Prodigia, & oſtendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: felix venter, qui te portavit. Et ille: imo felices, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. Hoc eſt, dicere: Et Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix quia verbum Dei cuſtodit: non quia in illa verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, ſed quia cuſtodit ipſum verbum Dei, per quod facta eſt, & quod in illa caro factum eſt.*

§. XV.

§. XV.

Beatior MARIA *audiendo & cuſtodiendo Verbum Dei, quàm quia Verbum in illa caro factum.*

UNde hæc verba, *quin imo Beati qui audiunt* &c. non protulit Chriſtus, ut Matris ſuæ minueret dignitatem, ſed ut oſtenderet, in quo illa præcipuè ſita foret. *Et Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei cuſtodit; non quia in illa verbum caro factum eſt.* Quare optime annotat *Eſtius*, illud: *quin imo beati qui audiunt*: non eſſe *quin imo* corrigens quod mulier dixerat, ſed certius aliquid affirmans... „Unde ipſa Dei Mater magis „beata fuit audiendo & cuſtodiendo verbum Dei, quam ſecundum carnem „verbum Dei concipiendo uti *Auguſtinus* „teſtatur. Ob quam cauſam *Eliſabeth* „accepta Virginis ſalutatione, non dixit: „Beata quæ concepiſti, ſed Beata quæ „credidiſti. Hoc autem, quod iſta mulier „dicit, ita dictum eſt quomodo ipſe *Chriſtus* capite præcedenti: *Beati oculi qui* „*vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis.* Si enim Beati oculi „viden-

Eſtius *in Lucam Cap.* 11. 28.

„ videntes & aures audientes; quanto „ magis beatus venter qui portavit ac „ genuit, & ubera quæ Ille ſuxit? Noluit „ tamen *Chriſtus* applaudere verbis Mu- „ lieris, dicendo: verè *Beatus venter qui me* „ *portavit*, ne hujusmodi verbo ſe ipſum „ laudare videretur. Quare illud ſubjecit, „ in quo certior erat beatitudo, quodque „ poteſt omnibus eſſe commune, quod eſt „ audire, & facere verbum Dei, quaſi „ dicat potiori ratione *Beati, qui audiunt* „ *verbum Dei & cuſtodiunt illud*. Et tale „ erat quod *Eliſabeth* repleta Spiritu San- „ cto dixit ei: *Beata quæ credidiſti*. Hæc *Eſtius*, ex cujus verbis conſtat, quod illa beatitudo *Mariæ*, quæ collocata eſt in propinquitate Materna aliquatenus ſimilis ſit illi Beatitudini, quæ contigit illis, qui *Chriſtum* viderunt & audierunt loquentem. Sicuti autem hæc felicitas videndi & audiendi ſeparata à fide, & amore, & obedientia erga *Chriſtum* multis magis fuit ad damnationem quam ad ſalutem; ita, difertis verbis ait *Auguſtinus*, *Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde quam carne geſtaſſet*. Ita etiam poſt *Auguſtinum Beda*: *Eadem Dei genitrix & inde quidem Beata, quia Verbi*

Aug. *de ſancta Virginitate cap.* 3.

L. 4. *c.*49. *in Luc.*

Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis; ſed inde multo Beatior, quia ejuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna. Illa ergo felicitas, quæ poſita eſt in propinquitate materna, profuit *Mariæ*, quia conjuncta fuit majori felicitati, nempe illi, qua in Deum credidit & Dei mandata ſervavit.

§. XVI.

Beata Virgo unde præcipuè colenda.

EX quo *Mariæ* ſumma dignitas eſt conſtituta in ejus devotiſſimo erga Deum obſequio, nemini dubium eſſe poteſt, quin ob hoc etiam maximè colenda ſit *Maria*, ſicut ob hoc ejus obſequium eam ipſe *Chriſtus* maximè coluit ſive laudavit, prout ſtatim *Auguſtinum* & *Bedam* audivimus docentes. Unde *Maria* non tam colenda, quia Mater, quam quia fuit digna Mater: fuit autem digna Mater, quia fuit devotiſſima Domini Ancilla. E contra *Auguſtus*, *Tiberius* & *Herodes* non colendi quia fuerunt Imperatores & Reges *Chriſti*, ſed deteſtandi, quia non fuerunt Imperatores *Chriſto* ſervientes. Veneranda Chriſtianis *Maria* in *Chri-*

ſtum poteſtas, quia fuit religioſa poteſtas; deteſtanda vero *Auguſti*, *Tibery*, *Herodis* & *Pilati* in *Chriſtum* poteſtas, quia fuit irreligioſa poteſtas: atque ſicut virtutes ad ſe ipſas relatę ſuperbæ ſunt virtutes, ita pariter poteſtas *Chriſto* non ſerviens ſuperba atque adeo execranda eſt poteſtas quantumvis fuerit ſublimis; nec illud *Chriſti*: *Quod altum eſt coram hominibus abominabile eſt apud Deum*, ullibi magis verum, quam in ſummis dignitatibis, quæ Deo non ſerviunt.

§. XVII.

Nemo cultor MARIÆ, *qui non eſt cultor Dei.*

QUia ergo Sancti & *Chriſti* Mater Sanctorum Regina præcipuè colendi ſunt, quia Deum coluerunt in terris & nunc colunt in cælis, hinc clariſſimè ſequitur neminem eſſe cultorem *Mariæ* aliorumve ſanctorum, qui idem non ſit cultor Dei. Nemo poteſt honorare Religioſos *Benedictinos*, *Bernardinos*, *Norbertinos*, *Dominicanos* & *Franciſcanos*, quia ſunt Diſcipuli, imitatores, & cultores divi *Benedicti*, *Bernardi*, *Norberti*, *Dominici*, & *Franciſci*, niſi idem ſit cultor & amator *Benedicti*,

Benedicti, *Bernardi*, *Norberti*, *Dominici*, & *Franciſci*. Certum igitur eſt, quod nemo poteſt colere *Mariam*, quia Dei verbum cuſtodit, niſi & ipſe aliquatenus Dei verbum amet & optet cuſtodire. Atque hoc eſt, quod docet *Auguſtinus*, dum ait, *Sanctos cultu dilectionis & ſocietatis eſſe colendos*. Quid eſt enim eos cultu dilectionis colere, niſi ipſos magni facere, diligere? & qua quæſo dilectione? Nonne ea qua in Deo diliguntur? & quid eſt diligere in Deo? *Ideo diligere*, inquit, *Hugo Victorinus*, *quia Deum habet non in divitijs ſuis, non in fortitudine ſua, non in pulchritudine ſua, ſed in juſtitia ſua, in ſanctitate ſua, in bonitate ſua. Illa enim, & quæ à Deo ſunt, extra Deum diligi poſſunt: & ſæpe, cum diliguntur, avertunt & pervertunt mentem diligentium ſe, ne Deum diligant. Idcirco pro eis laudandus eſt Deus, quia cum dantur ab ipſo dantur, & dona ejus ſunt: ſed in iis non eſt amandus proximus, quia virtus ejus non ſunt, neque bonum faciunt iſta hominem etiamſi abundaverint: neque, ſi defuerint, malum. Bonitas autem bonum facit & juſtitia juſtum, & veritas verum. Et hæc cum adſunt, Deus adeſt, quia Deus bonitas eſt, & juſtitia, & veritas. Ideo in* De Sacramentis *l.* 2. *part.* 13. *cap.* 6.

bonitate, juſtitia & veritate diligendus eſt homo; & quando in iſtis diligitur, in Deo diligitur, quia Deus bonitas eſt, & juſtitia & veritas. Hæc *Victorinus.* Ex quo clariſſimè conſtat, neminem ſanctos & ſanctorum Reginam *Mariam* colere cultu dilectionis, quo ſolo rectè coluntur, niſi etiam Deum diligat. Siquidem neceſſe eſt, ut omnis dilectio, qua Sancti & Sanctorum Regina coluntur, ex Dei, in quo diliguntur, dimanet dilectione. Nemo ergo ſibi de cultu Virginis, aliorumve Sanctorum blandiatur, niſi Deum diligat, nec quis credat ſe Deum amare, qui Dei præcepta contemnit. Nihil verius iſtis *Chriſti* Oraculis, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Et qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Ubi ergo non eſt obſervatio mandatorum Dei, ibi nec Dei, nec Sanctorum dilectio, & ubi nec Dei nec Sanctorum dilectio, ibi nullus aut Deo, aut Divis gratus eſt Cultus.

Joan. 14. 23.

§. XVIII.

§. XVIII.

Inſcriptio in Sodalitatibus non conſtituit verum Sanctorum cultorem.

QUid ergo? ebrioſi, fornicatores, adulteri, perjuri, blaſphemi, injuſti, detractores, ambitioſi, qui ſodalitiis & fraternitatibus ad honorem Deiparæ inſtitutis reperiuntur inſcripti, ſecluduntur ne illi è numero & ſocietate verorum Virginis cultorum? ſecluduntur in tantum à Virginis cultu, in quantum ſecluduntur à cultu Dei. In quantum ebrioſos, molles, fornicatores, adulteros, avaros, detractores, raptores, ambitioſos, ſuperbos, Dei cultoribus annumeras, in tantum licet eos Virginis cultoribus annumerare. Colitur Virgo cultu dilectionis, qua in juſtitia, veritate, ſanctitate, bonitate & ſapientia, hoc eſt, in Deo diligitur. Poteſtne ergo in juſtitia, veritate, ſanctitate, bonitate & ſapientia diligi, niſi ſapientia, juſtitia, veritas, bonitas & ſanctitas diligatur? Ab impuris ergo non colitur *Virgo puriſſima*: nec ab injuſtis *ſpeculum juſtitiæ*: nec à perjuris *Virgo fidelis*; nec ab impru-

denti-

dentibus, qui æterna temporalibus poſt ponunt, *Virgo prudentiſſima*: nec à vindictæ cupidis *Virgo clemens*: nec à ſtultis, qui malunt in hoc ſeculo quam in æternum florere, illa quæ eſt & ſalutatur *ſedes ſapientiæ*; niſi quatenus impuri, injuſti, imprudentes, iracundi & ſtulti à Deo excitati, ut vitiis renuncient, eam invocent, ut ejus orationis auxilio vitia excutiant & à virtutum Domino virtutes acquirant. Quæ certè invocatio non eſt ſine quodam æternæ juſtitiæ ac incommutabilis veritatis, ſapientiæ ac puritatis Dei noſtri amore.

§. XIX.

Pia Virginis invocatio, non eſt ſine aliquo motu divini amoris.

ET verè niſi invocatio Virginis ex quodam Dei amore proflueret, nullius eſſet pretii, nec tam deleret peccata quam fieret ipſa in peccatum. Non eſt enim fructus boni operis, qui non ſurgit *Humil: 27. in Euang.* de radice charitatis. Sive ut *Gregorius* ait, *nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non maneat in radice charitatis.* Nam

regnat

regnat carnalis cupiditas, in moribus, in orationibus, in ſtudiis, omnibuſque actionibus, *ubi non eſt Dei charitas*. Non colitur ergo Deipara iſto cultu dilectionis, quo colenda, niſi ejus cultus ex quodam Dei cultu ſive amore profluat. *Auguſtinus in Enchred. cap. 117.*

§. XX.

Quid ſit Sanctos colere cultu ſocietatis.

FIet hoc magis perſpicuum, ſi advertamus, quid ſit Virginem, alioſve Divos colere cultu ſocietatis: quod ut capiatur advertendum, quod illi dicantur ſe mutuo colere cultu ſocietatis, qui ob idem propoſitum ac commune ſtudium, in quo iſta ſocietas fundatur, vel quod iſtorum ſociorum nexus ac vinculum eſt, ſe mutuo colunt & honorant. Diſcipuli & imitatores *Divi Ignatii* dicuntur eſſe in eadem ſocietate, quia ſunt in communi propoſito quęrendi majorem Dei gloriam juxta regulas à *Divo Ignatio* præſcriptas. *Dominicani* ſunt ſibi invicem ſocii, quia eadem ſunt illorum vota, eadem profeſſio, nempe juxta exemplar & regulam Divi

Do-

Dominici Deum honorandi. Socii ſunt *Carthuſiani*, quia communis ipſis ſolitudinis amor & mundi fuga. Diſcipuli & imitatores *Divi Ignatii* colunt ſe invicem cultu ſocietatis, quando ſe invicem colunt ob commune votum promovendi divinam gloriam per ea inſtituta, quæ ſuus ipſis Patriarcha præfixit. Pariter *Dominicani* & *Carthuſienſes* ſe invicem cultu ſocietatis proſequuntur, quando nec hi nec iſti ſuos reverentur ſodales ob carnis prærogativam aut mundi dignitatem; verum eos venerantur,ob conſonam voluntatem colendi Deum ex prẹſcripto aut *Divi Dominici*, aut *Sancti Brunonis*. Uti ergo illi ſpeciali quadam ſocietate junguntur, qui, ut communia Chriſtianis prẹcepta ſervent perfectius, ſibi invicem concordant in eodem voto colendi Deum juxta regulam hujus iſtiuſve Sancti: *Ita omnes homines*, prout loquitur *Auguſtinus*, *& omnes ſpiritus humiliter Dei gloriam quærentes non ſuam, & eum pietate ſectantes ad unam pertinent ſocietatem.* Ut ergo quis Sanctos colat cultu ſocietatis, neceſſe eſt, ut cum Sanctis ſit in eadem ſocietate. Ut autem quis cum Sanctis ſit in eadem ſocietate, neceſſe quoque eſt, ut cum Sanctis ſit in

De Catechiſ. rudibus. cap. 19.

eodem

eodem propoſito quęrendi gloriam Dei, eumque pietate ſectandi: nam tale propoſitum vinculum eſt iſtius ſocietatis. Cuicumque ergo deeſt animus humiliter quęrendi gloriam Dei, eumque pietate ſectandi, is extra hanc ſocietatem conſtitutus eſt: qui autem extra eam conſtitutus eſt, in illa conſtitutos colere non poteſt cultu ſocietatis. Ut ergo ſcias, num ſis in eadem ſocietate cum Sanctis, vide an cum Sanctis quæras gloriam Dei, eumque pietate, quæ à Deo non quęrit niſi Deum, non vero cupiditate, quæ Deo ſeruit propter aurum & opes, conſecteris. Si invenias quod cum Babylonicæ turris ædificatoribus velis nomen tuum in ſæculo celebrare, aut agrum agro adjicere, veſtiri purpura & byſſo, epulari ſplendidè, aliis præferri; tantum abeſt, ut ſpectes ad ſocietatem Sanctorum, ut potius pertineas ad ſocietatem Dęmonum. *Nam*, uti ait *Auguſtinus*, *omnes homines amantes ſuperbiam, & temporalem Dominationem cum vano typho & pompa arrogantiæ, omneſque ſpiritus, qui talia diligunt, & gloriam ſuam ſubjectione hominum quærunt, ſimul una ſocietate devincti ſunt.* Qui ergo amant in ſęculo eminere aliiſque dominari, *Ma-* *Vbi ſuprà.*

riam

riam alioſve Sanctos non colunt cultu ſocietatis: nam nec Deipara nec alii Sancti in iſta excellendi & dominandi libidine nobis ſocii eſſe poſſunt: quod ſi ſocii eſſe non poſſunt; ergo nec cultu ſocietatis coluntur à nobis. Tunc etenim Sancti coluntur cultu ſocietatis, quando ob commune nobis cum ipſis ſtudium coluntur, nempe quærendi gloriam Dei, eumque pietate ſectandi: qui in hoc ſtudio cum ſanctis conveniunt, colunt ſanctos tanquam in illo ſtudio eminentes & veluti quoſdam iſtius ſtudij anteſignanos. Et quo quis ardentior eſt in hoc ſtudio cum Maria quærendi Gloriam Dei, eo eam colit devotius, tanquam illam cujus *anima* perfectiſſimè magnificavit & *magnificat*, & ſemper magnificabit *Dominum*; & cujus *Spiritus*, nec in laudibus hominum, nec in corporis dilicijs, nec in ulla re creata, ſed ſemper *exultavit in Deo ſalutari ſuo*. Ab illis ergo ſolis colitur Maria cultu Societatis, à quibus colitur ob ſummum amorem & pietatem qua Deum Deique gloriam quæſivit. Hic autem cultus Dilectionis & Societatis eſt cultus ſpiritualis & totus ſpectans ad Dei gloriam; nam totus naſcitur ex amore & veneratione iſtarum

iſtarum virtutum, quibus ſancti & ſanctorum Regina Deum coluerunt in terris, & nunc ſanctius colunt in cælis; adeo ut una & ſola ratio, cur eos veneremur, in eo poſita ſit, quod ipſi hic in terris Deum amaverint & magnificaverint, & nunc in cælis illum puriori amorè diligant atquè glorificent.

§. XXI.

An Judæi colant ſuos Patriarchas cultu Societatis.

PEtes an Judæi non colant *Abrahamum* cultu dilectionis & ſocietatis, quando illo tanquam Patre gloriantur? An non rite colant *Moyſem*, *Aaronem* & *Davidem*, quando eos ideo honorant, quia cum ipſis ſunt in eodem propoſito colendi Deum per eaſdem ceremonias ab eadem Lege præſcriptas? Ex Evangelio conſtat, quod *Chriſtus* tam parvi fecerit iſtam carnis ſocietatem ſive propinquitatem, quæ Judæis eſt cum *Abrahamo*, ut ipſos non *Abrahæ* filios, ſed dixerit eſſe *ex Patre diabolo*; nec enim prodeſt cum *Abrahamo* in eadem carne ſocietas, ubi

cum dæmone in eiſdem moribus, ſuperbia, invidia & livore conſortium. Habent veri Chriſtiani ſocietatem cum Patre & Filio ejus *Jeſu Chriſto*; & cum illo non habent ſocietatem Judæi, ex quibus *Chriſtus* ſecundum carnem natus: Spiritus eſt Deus, nec attendit ad carnis, ſed ad ſpiritus, ſive ejuſdem ſtudii & amoris ſocietatem. Ita nec cum ſanctis habetur ſocietas, niſi idem nobis ſit cum ſanctis deſiderium Deum amandi ac honorandi. Uti *Paulus* neminem noverat aut æſtimabat ſecundum carnem, ita ſancti minimi faciunt carnis appendices: ſi quem ſibi conjunctum æſtimant, eum ſibi æſtimant conjunctum, quo-cum junguntur ſtudio & amore *Chriſtum* colendi. *Non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus neque fæmina.*
Gal: 3. 23. *Omnes enim vos*, inquit Paulus, *unum eſtis in* Chriſto Jeſu. *Si autem vos* Chriſti, *ergo ſemen* Abrahæ *eſtis*, *ſecundum promiſſionem hæredes*. Hoc eſt, non laudantur, non æſtimantur, non conſiderantur ſervi Dei ſecundum nationis, conditionis aut ſexus prærogativas. Unum in ipſis attendendum, nempe quod *Chriſti* ſunt, quod in ſtudio amandi & honorandi *Chriſtum*

ſtum conveniunt ſive unum ſunt. Atque hoc ſtudium honorandi *Chriſtum*, eos reddit ſemen *Abrahæ*, hoc eſt, filios *Abrahæ*, non ex carnis traduce natos, ſed ex propagatione ejuſdem pietatis. Licet ergo Judæi ſint ſecundum carnem *Abrahæ* propinqui, ab *Abrahæ* tamen ſunt ſocietate ſecluſi, quia non ſunt in eodem cum *Abraha* propoſito amandi Deum, eumque ſolum, non opes, non voluptatem, non ulla ſæculi bona conſectandi. Quando namque Judæi *Abrahamum* colunt, non eum colunt illius cultu ſocietatis, cujus ſocietatis vinculum eſt commune ſtudium humiliter quęrendi gloriam Dei, eumque pietate ſectandi. Pariter quantumvis Judęi externam quamdam ſocietatem habeant cum *Moyſe*, *Aarone*, *Davide* &c. Quia ſcilicet per ſimiles ceremonias & non diſſimilia Sacramenta Deum colunt, nulla tamen ipſis interna & æterna cum iſtis Sanctis ſocietas, quia in ſimilibus Sacramentis cor ipſis diſſimillimum, ſeu, quia nulla ipſis cum hiſce Sanctis conjunctio in caſta dilectione, qua Deo veluti juſtitiæ fonti adhæretur ac ſervitur. Quantumvis ergo Judęi *Moyſem*, *Aaronem* & *Davidem*, laudent, illos tamen non colunt cultu iſtius

ſocietatis, quæ in ſtudio humiliter quęrendi gloriam Dei, eumque pietate ſectandi fundatur. Tali enim cultu *Moyſem*, *Aaronem* & *Davidem* celebrare ſolorum eſt fidelium, qui cum iſtis Sanctis dicunt, *non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

§. XXII.

Nihil prodeſt ſocietas Sacramentorum, niſi adſit ſocietas charitatis, ſive divini amoris.

INnumeri ſunt Chriſtiani, etiam Catholici, quibus cum Sanctis ejuſdem fidei ſocietas, eorumdem uſus Sacramentorum, & eorumdem myſteriorum ſcientia, qui, quia eandem charitatem cum Sanctis non habent, nihil ſunt, & minimè pertinent ad illam ſocietatem, ad quam illi pertinebant quibus Apoſtolus dicebat: *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum & domeſtici Dei*: cujus civitatis cives, cujus domus domeſtici inter ſe præcipue confœderantur amore Regis & legis æternæ veritatis Dei ſui. Hic amor iſtius civitatis ac domus fortitudo: hic illius gloria:

Epheſ. 2. 19.

gloria: hic munimen atque ſecuritas: hic omne civium decus ac nobilitas: hic illorum pax & gaudium: ob hunc amorem iſti cives ſe mutuo colunt, & tanto quemque æſtimant ſublimiorem coluntque ſubmiſſius, quanto iſtum amorem vident in illo ardentiorem. Et quia Deipara in hoc amore cæteris flagrantior, ideo ab omnibus concivibus ſuis maxime honoratur, extollitur ac celebratur. Qui vero non ſunt cives & domeſtici civitatis ac domus, in qua *Chriſtus* Rex & Pater-familias, tam parum B. Virginem alioſve Sanctos colunt cultu dilectionis ac ſocietatis, quam parum pertinent ad civitatem Dei ſive cæleſtem, quam conſtituit amor Dei uſque ad contemptum ſui, ſicuti terrenam ſive diaboli civitatem conſtituit amor ſui uſque ad contemptum Dei. *Vide* Aug: *lib. 14. de civit. Dei cap. 28.*

§. XXIII.

Ut quis ſciat, num bene colat Deiparam, videndum an diligat Deum.

SCiet quiſque an nihil, an parum, an multum cultu ſocietatis & dilectionis colat divos divorumque Reginam,

nam, dum videbit, quam aut nihil, aut parum, aut multum amet Deum ſuum. Si in ſe nullum divini amoris motum ac deſiderium inveniat, certus ſit, quod nullatenus pertinens ad civitatem ſive ſocietatem Dei, virginem nullatenus colat cultu S. ſocietatis ac dilectionis; ſi quoſdam in ſe ſentiat divini amoris igniculos, & per illius motum cæleſti civitati ſive ſocietati incipiat propinquare, ſibi ipſi optime conſulet, ſi Virginis imploret ſuffragium, ut ejus meritis ac interceſſione magis in ſe moriatur amor ſęculi, & magis vivat amor Dei. Jam tertio ſæculo, uti narrat non aliquis obſcurus aut ſuſpectæ fidei auctor, ſed Theologorum Princeps *Hieronymi*
Orat: 18. Magiſter *Gregorius Nazianzenus*, experta eſt virgo *Juſtina*, quam in invocatione Deiparæ ſit ſalubre antidotum contra faſcinum impuri amoris. Nam cum *Cyprianus* magus adhiberet magica incantamenta, ut in illius caſtiſſimo pectore turpem accenderet libidinem, invocatâ Deiparâ magicarum artium & impuri amoris evaſit faſcinationem. Ut ergo Dominus auferat à nobis amorem ſæculi, ut extirpet cupiditatem, & plantet charitatem, invocetur *Mater pulchræ dilectionis* & *ſanctæ ſpei*. Si autem

autem flamma ſancti amoris adeo in nobis creſcat, ut alijs amoribus prędominetur, tum gratulemur nobis ipſis & Deo gratias agamus, quod ſuam in cordibus noſtris diffundendo charitatem nos cæleſtis civitatis ſive Sanctorum cives & ſuos fecerit domeſticos, reddideritque aptos, qui concives noſtros & concivium ſublimiſſimam honoremus cultu ſocietatis ac dilectionis.

§. XXIV.

Concluditur contra Hagiomachos cultum Sanctorum non obſtare cultui Dei.

HÆc dicta ſufficiant *primo*: ut probetur contra Hagiomachos divino cultui non magis obſtare cultum, quo Sancti in cęlis regnantes coluntur à mortalibus, quam illi obſtet cultus, quo Sancti Dei homines, dum hic vivunt mortales, coluntur à Dei ſervis. *Secundo*: ut oſtendatur neminem poſſe divos colere cultu ſocietatis & dilectionis, quo ſolum dignè coluntur, niſi is idem eos in Deo diligat, & cum ipſis ſit in propoſito, vel ſaltem in

deſiderio humiliter quęrendi gloriam Dei eumque pietate ſectandi.

§. XXV.

MARIA *colenda Hyperduliâ, quia ejus ſanctitas longe excellentiſſima.*

QUibus probatis atque confectis ſupereſt, ut oſtendamus Deiparam non ſolum mereri, ut cum cæteris Sanctis colatur cultu ſocietatis & dilectionis; verum eam inſuper mereri, ut præ omnibus Sanctis, etiam Angelis, colatur ſocialis cultus ſpecie nobiliori, ſive, uti loquitur *S. Thomas*, *Hyperdulia*.

3. part: queſt: 25. a 5.

Ut oſtendatur, *Mariam* præ omnibus Sanctis ſublimiori cultu eſſe colendam, oſtendam eam omnibus Sanctis eſſe ſanctiorem, Deo præ omnibus ſublimi humilitate magis ſubditam, Deo præ omnibus caſto amore magis conjunctam, Deo colendo præ omnibus religioſo obſequio magis intentam. In quibus virtutibus Sanctorum præcipua dignitas: ſine his nihil proſunt cętera: hæ ſolæ ſi adſint, nihil obeſt, tametſi cętera deſint: ſine his Deo placere non poſſumus, cum his ſolis placere poſſumus.

mus. Ob has ergo Sancti coluntur cultu religoſo. Quamvis in præcedentibus dixerimus, quod beatior fuerit *Maria* percipiendo fidem *Chriſti*, quam concipiendo carnem *Chriſti*. Et quod, ſicuti fratribus ejus, ideſt, ſecundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, nihil profuit illa cognatio: ſic & materna propinquitas nihil *Mariæ* profuiſſet, niſi felicius *Chriſtum* corde quam carne geſtaſſet; nunc tamen probabimus, quod, quia Deus eam non ſolum matrem, verum voluerit dignam ſui filii matrem, inde ſequatur, quod præ omnibus Sanctis ſublimiſſimam habuerit gratiam ac præclariſſima virtutum ornamenta.

Vide Auguſtinum de Sancta Virginitate cap. 4.

§. XXVI.

Maria *præ omnibus Sanctis maximam habuit gratiam, quia per electionem amoris, & non ſolum dominii electa fuit, ut eſſet Dei mater.*

HOc ut aſtruam, utar argumento *D. Thomæ*, qui ſcribens *in caput octavum Epiſtolæ ad Romanos lectione quinta*, ita

 loqui-

loquitur: *unicuique*, nempe Deus, *dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur: ſicuti homini* Chriſto *data eſt gratia excellentiſſima, quia ad hoc eſt electus, ut ejus natura in unitatem Perſonæ divinæ aſſumeretur; & poſt eum habuit maximam gratiam beata* Maria, *quæ ad hoc eſt electa, ut eſſet Mater* Chriſti: hæc Angelicus Doctor, qui loquitur ibi de electione gratiæ, non dominii. Elegerat electione dominii Deus & *Augnſtum*, & *Tyberium*, & *Herodem*; ut forent non ſolum Reges, ſed etiam Reges *Chriſti*, qui eſt Rex Regum & Dominus dominantium. Verum cum tanta dignitate non tantam gratiam ſunt adepti, ut *Chriſtum* cognoſcerent, amarent & adorarent. Electus fuit à Deo *Cyrus* in Regem & in ſui populi liberatorem, ſed cognovitne illum

Iſaiæ 44. 28. à quo fuerat electus? Amavitne eum, qui ad illum nondum natum ita loquitur: *dico* Cyro: *paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis?* Audi quid ſequenti capite ipſi dicat Deus. *Vocavi te nomine tuo, aſſimilavi te, & non cognoviſti me. Ego Dominus & non eſt amplius: extra me non eſt Deus; accinxi te & non cognoviſti me.* Electus ergo fuit *Cyrus*, ut omnem Dei com-

compleret voluntatem, ſed compleret neſciens, compleret ſine iſtius, quam complebat, voluntatis amore; compleret ſine ullo ſuo merito, ſive ſine ulla interiori ſua dignitate aut ſanctitate. *Nam omnis creatura, velit nolit, uni Deo & Domino ſuo ſubjecta eſt... Juſtus liberaliter ſervit, injuſtus autem compeditus ſervit. Omnes tamen divinæ providentiæ ſerviunt, ſed alii obediunt tanquam filii, & faciunt cum ea quod bonum eſt: alii vero ligantur tanquam ſervi, & fit de illis quod juſtum eſt. Ita Deus omnipotens Dominus univerſæ creaturæ, qui fecit omnia, ſicut ſcriptum eſt bona valde, ſic ea ordinavit, ut & de bonis & de malis benefaciat.* Uti *Cyrus* neſciens ſervivit Deo, ita quoque *Cæſar Auguſtus* inſcius divinæ voluntatis ei tamen ſervivit, quando *exiit ab eo edictum ut deſcriberetur univerſus orbis*, & irent & profiterentur ſinguli in civitatem ſuam. Dum autem *Joſeph* & *Maria* huic edicto obedientes proficiſcuntur in *Bethlehem*, parit ibi *Maria* & completur Dei voluntas de naſcituro in *Bethlehem* ſuo Filio. Electus ergo fuit *Auguſtus*, ut per ſua edicta divinæ ſerviret voluntati, nec non naſcituro *Meſſiæ*, qui Bethlehemiticum ſtabulum in locum ſuæ nati-

Aug: *de Agone Christ: cap. 6.*

Luc: 2. 1.

nativitatis elegit : verum in condendo hoc edicto divinæ voluntati ſervivit neſciens, ſuæ vero dominandi ſuperbiæ ſervivit & ſciens & volens. Quamvis ergo *Auguſtus* electus fuerit, ut ejus imperatoria majeſtas atque edicta *Chriſto* ſervirent, non tamen hęc ejus electio ipſum dignum reddidit, qui mente illuſtrata & humili, ac devota voluntatė illi ſerviret; nam hęc ejus electio non fuit electio amoris, quæ eligendo efficit dignum, ſed providentiæ cuncta regentis, & de malis bona facientis. Non igitur quęcumque electio eum, qui eligitur ad magnum munus, dignum reddit; ſed ea ſolum, quæ eſt electio amoris ac gratiæ, quę ſolet etiam per antonomaſiam vocari *electio.*

§. XXVII.

Maria *vixit ſine peccato etiam veniali.*

Hâc amoris electione *Maria* fuit electa, ſicuti ex eadem electione fuit in unitatem divinæ Perſonæ aſſumpta *Chriſti* humanitas. Quod ergo Deus ab æterno eam elegit, ut foręt filii ſui digna Mater, hinc

illam

illam tanta gratia prævenit, ut vitam omnis peccati, etiam venialis vixerit expertem. Huic ſententiæ ſubſcribit ſummus Eccleſiæ Doctor *Auguſtinus*, quando volens probare hanc eſſe omnium Sanctorum vocem: *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; omneſque Sanctos, qui vel maximè à juſtitia commendantur, vel immoderatius aliquando riſiſſe, vel animi remiſſione jocatos eſſe, vel vidiſſe aliquid ad concupiſcendum, vel aliquando immoderatius poma decerpſiſſe, vel pluſculo cibo crudiores fuiſſe, vel quando orarent aliquid cogitaſſe, unde eorum in aliud avocaretur intentio, vel in adverſis nonnulla puſillanimitate aut impatientia fuiſſe dejectos, vel in proſperis nonnulla vanitate fuiſſe elatos; his inquam omnibus peccatorum nævis Deiparam *Auguſtinus* vult eſſe exemptam. *Excepta*, inquit, *ſancta Virgine* Maria, *de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: unde enim ſcimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*: hęc *Augu-*

1Ioan. 1:8.

Lib. de nat. & Grat. cap. 36.

Auguſtinus. Deinde Eccleſia diligentius expendens Sanctorum ſenſum de ſanctitate *Mariæ*, in *Concilio Tridentino* tenet eam ſpeciali privilegio vitam ab omni actuali, etiam veniali peccato vixiſſe exem-
Seſſ. 6. can. 23. ptam. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit* &c. *poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum in beata Virgine* Maria *tenet Eccleſia, anathema ſit.* Quam ob cauſam *Mariæ* hoc conceſſum privilegium, niſi, ut ait *Auguſt.*, *propter honorem Domini*, ſive niſi ut foret digna Domini Mater? unde etiam mihi perſuadeo, quod Angelus, quando ſalutavit *gratia plenam*, locutus fuerit de tanta plenitudine gratiæ, quæ ſeipſam effuderit, ut eam ſanctificaret, ad omnes motus mentis & cordis, ad omnia verba & opera, quæ ad iſtud uſque momentum, quo Angelus loquebatur, ex *Maria* proceſſerant, & quæ deinceps ab illa procederent. Quare etiam, quando Angelus illi dixit: *Dominus tecum*, puto perinde fuiſſe, ac ſi diceret: *Dominus tecum* in utero, ut te ſanctificaret: *Dominus tecum* in infantia, ut illi te ipſam in templo offerres. *Dominus tecum* in pueritia, ut nihil pueriliter gereres: *Dominus*

tecum

tecum in juventute tua, ut creſcentibus annis ſuus in te creſcat & amor: *Dominus tecum* in omni tempore, *tecum* in omni loco, *tecum* in omni opere, ut eum ubique & in omnibus magnifices, in illo ſemper & ubique exultet ſpiritus tuus.

§. XXVIII.

Eſt diverſa gratiæ plenitudo.

ET quamvis illa vox, *plenus*, non ſemper eam denotet gratiæ plenitudinem, quæ totam vitam & totius vitæ ſtudia, conatus, vèrba & opera ſanctificet; tamen aliquando in iſta accipitur amplitudine. Quando *Stephanus* deſcribitur fuiſſe *plenus fide & Spiritu Sancto*, ſermo non eſt de tanta fidei & Spiritus Sancti plenitudine, quæ omnia vitæ ejus momenta, omnes ejus cogitationes & operationes peccato exemerit, ſed quæ ipſum poſt delapſum in ſe Spiritum Sanctum à lapſibus gravioribus præſervaverit. Dum vero de *Christo* dicit Euangeliſta: *vidimus eum quaſi unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis*, tanta exprimitur plenitudo, quæ ſe ipſam propagaverit ad omnia ejus vitæ momen-

Act: 6. 5.

Jon: 1. 14.

momenta, ad omnes cordis motiones, ad omnes oculorum nutus, ad omnes omnium ſenſuum perceptiones, ad omnem ejus laborem & quietem. Unde docent *Theologi*, quod nulla fuerit aut cogitatio aut actio *Chriſti*, quæ non fuerit infiniti pretii ſive meriti, & quæ non fuerit fons gratiarum ac veritatis, de cujus fontis plenitudine acciperemus omnes gratiam ſanctè cogitandi, appetendi, loquendi, & agendi.

§. XXIX.

Gratiæ plenitudo, quæ in MARIA *celebratur, extendit ſe ad omnes ejus affectus & opera.*

PORRO cum Eccleſia teneat *Mariam* omnis peccati, etiam venialis vitam vixiſſe expertem, neceſſe eſt, ut etiam ejus gratiæ plenitudo ſeſe extenderit ad omnes ejus operationes, eaſque ſanctificaverit & Deo conſecraverit. Nam ſine gratia, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Si ergo *Maria* fuit expers peccati venialis, uti tenet Eccle-

ſia;

ſia; neceſſe etiam eſt ut fateamur plenitudinem gratiæ, quam in ea deprędicat Angelus, in omnes ejus voluntates & opera influxiſſe, & Dominum ita fuiſſe cum illa, ut ſemper mentem ejus ſuo lumine illuſtraverit ne unquam peccaret ex ignorantia; & ejus voluntatem ita ſuo ſpiritu accenderit, ut ſemper in illa fuerit delectatio & dilectio ſummi illius atque incommutabilis boni, neque etiam illi ullo momento quicquam libuerit niſi quod Deo ſuo placuit. Itaque gratiæ plenitudo & cum Deo conjunctio, quas in *Maria* veneratur Angelus, dum dicit: *Ave gratia plena*, *Dominus tecum* intelligendæ ſunt de tanta gratiæ plenitudine & tam indiviſſa cum Deo conjunctione, ut omnes *Mariæ* cogitationes & opera ſanctificaverint, in Dei gloriam retulerint, & officio & fine reddiderint perfecta.

Atque hęc dicta ſunto de ea plenitudine gratiæ, qua Deus primo corpus & animam beatæ Virginis pręparavit, ut dignum filii ſui habitaculum effici mereretur.

§. XXX.

Quos Deus elegit ad grandia munia, eos paulatim ad illa præparat.

SIcuti autem Deus eligens beatam Virginem, ut filii ſui eſſet digna mater, ejus animam ab ipſa illius infantia, imo ab utero & in utero ſua gratia prçvenit, & inceſſabili ſuæ lucis & amoris illuſtratione perfudit, & ſemper magis magiſque decoravit: ita quoque conſuevit divina providentia eos, quos eligit ad officia, quæ ſine excellenti gratia non poſſunt rectè adminiſtrari, prius præparare & ſuis donis inſtruere, ut prçparatis & inſtructis deinde dignitates & officia conferat. Nonne quia *Moyſem* prædeſtinaverat, ut ſuum populum educeret ex Ægypto, ſuaſque illi leges promulgaret, prius totis octoginta annis
Act: 7. 22. eum tanto muneri præparavit? Nonne illum primo inſtruxit in omni ſapientia Ægyptiorum? Nonne illum primo potentem reddidit in verbis & operibus? Nonne illi prius contulit tantam fidem, ut ſe
Hebr: 11. 24. negaret eſſe filium *Pharaonis* & eligeret magis affligi cum populo Dei, quam temporalis

poralis peccati habere jucunditatem, & majores divitias æſtimaret theſauro Ægyptiorum improperium *Chriſti*? Nonne ut in dignum populi Dei ducem, divinæ voluntatis interpretem, ſummæque Majeſtatis evaderet ſacerdotem, depoſito principatu in deſerto quadraginta annis egit? ſed quid? opilionem agens atque ita quadraginta annorum humili ſervitute diſponitur, ut quadraginta annis ſine faſtu gerat ſacerdotium ac principatum. Nonne *Samuel* electus à Deo, ut aliquando loco *Heli* judicaret populum Dei, naſcitur ex matre Sancta? Nonne infans Deo offertur & manet in templo? Nonne adhuc 1 Reg: 1.
puer divinis revelationibus tam copioſè illuſtratur, ut cognoſceret totus Iſrael quod fidelis *Samuel* eſſet Propheta Domini? Nonne ipſe Dominus *Jeſus*, ut duodecim è ſuis Diſcipulis redderet aptos orbis Magiſtros, totis tribus annis illos in ſuo tenuit contubernio, ſuis inſtruxit ſermonibus, excitavit exemplis? Nonne poſt reſurrectionem per quadraginta dies apparens illis loquebatur de regno Dei? Nonne poſt aſcenſionem fuerunt perſeverantes in oratione uſque dum acciperent ſpiritum Sanctum, eoque accepto ad

ſuam ipſorum aliorumque ſalutem divini verbi fierent Prçcones, Gentium Doctores ac orbis Magiſtri? Hic ordo divinę providentiæ, ut, quos ad grandia deſtinat, miſericors paulatim prçparet. Qui hoc neglecto ordine ſacerdotium ambiunt, & ante fiunt Magiſtri, quem fuere diſcipuli, & vix ullo argumento de divina erga ſe gratia edocti miniſterium reconciliationis audent uſurpare, merito timere debent ſe ad iſtud munus non eſſe divinitus electos, nec iſtas conſecuturos gratias, ſine quibus tantum munus digne non exercetur: ſibi aliter perſuadere, quid eſt hoc, ut cum *Gregorio* loquar, *Niſi de ordinatiſſima Dei miſericordia inordinatè confidere?* Hunc divinæ miſericordiæ ordinem præ oculis habuit *Concilium Tridentinum* quando ſanxit, ut ad Eccleſiarum regimen, onus Angelicis humeris formidandum, aſſumantur, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordiis uſque ad perfectiores annos per diſciplinæ munera Eccleſiaſticæ laudabiliter acta teſtimonium prębeant, quique eos tanto muneri teſtentur eſſe pares. Sicuti ergo *Maria*, ut digna fieret Dei mater, ad hoc per totam vitam fuit diſpoſita, ita, ut dignus

In cap. 3. lib. primi Regum.

Seſſ. 6. de Reform. cap. primo.

dignus quis fiat ſacerdos vel etiam presbyter, *providendum eſt*, quemadmodum loquitur *Pontificale Romanum*, *ut cæleſtis ſapientia, probi mores & diuturna juſtitiæ obſervatio ad id electos commendent.* *In ordinatione presbyteri.*

§. XXXI.

Magna affinitas inter MARIÆ, *& ſacerdotum officium.*

NOn difficulter hoc illi admittent, qui advertent eſſe magnam affinitatem inter *Mariæ* & ſacerdotum officium: virgo *Chriſtum* concepit, geſſit in utero, peperit mundo, tulit brachio, pavit uberibus. Ex ſacerdotum ore, ſi fas eſt ita loqui, naſcitur quotidie *Chriſtus*, ipſi illum ſuis manibus attrectant, ipſi ſeipſos & fideles illo nutriunt, ipſi eum ſuo pectore tenent incluſum; ubi ergo tanta ſacerdotum cum *Maria* in munere conjunctio, ibidem etiam ſit in præparatione ad tantum munus nonnulla conjunctio. Hęc diſcant ſacerdotes ex *Mariæ* pręparatione, qua exculta fuit, ut fieret digna Domini ſui mater.

§. XXXII.

Monet omnes Chriſtianos Sanctimonia MARIÆ, *ut ſint à criminibus liberi.*

EX illa autem ejus tam perfecta morum ſanctimonia, ut nequidem venialiter peccaverit, diſcant Chriſtiani omnes, tam laici quam Eccleſiaſtici, ſeipſos ſaltem à criminibus compeſcere, & continuata ab eis libertate aliquo uſque imitari Virginis Sanctimoniam ab omni nęvo peccati, etiam minimi prorſus liberrimam. Hęc à criminibus exemptio eſt primus libertatis gradus. *Prima libertas eſt*, inquit Auguſtinus, *carere criminibus... Sicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cætera hujuſmodi. Cum cœperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis Chriſtianus homo) incipit caput erigere ad libertatem.* Non poſſumus *Mariam* imitari libertate à peccatis venialibus, ſed imitemur eam libertate à criminibus; nam illa non habere debet omnis Chriſtianus homo. Quod ſi ea committat, quantumvis exte-

Tract. 41. *in Ioannem*

exteriora frequentet pietatis officia; quantumvis ceremonijs ac ritibus Deum Deique matrem ſatagat honorare; quantumvis aſſiduus ſit in Miſſis audiendis; quantumvis liberalis ad eleemoſynas diſtribuendas; quantumvis diligens in obſervatione Feſtorum; nihilominus non erit amplius bonæ ſpei Chriſtianus. Nam nihil verius iſta ejuſdem *Auguſtini* ſententia: *talia* namque crimina ſive peccata mortalia *non facit bonæ fidei & bonæ ſpei Chriſtianus, ſed illa ſola, quæ quotidiano orationis peniculo terguntur.* Nihil certius illis *Jacobi* verbis: *quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixerit: non mœchaberis. Dixit & non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Nihil indubitatius apud Chriſtianum hac *Joannis* ſententia: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat*, nempe fornicatione, pollutione, immunditia, non peccat ebrietate, non invidioſis detractionibus, non calumniis. Hæc omnino non committit, qui natus ex Deo fuerit, non futurus, inquit *Tertullianus*, Dei filius ſi admiſerit. Et ſi non futurus Dei filius, nec manſurus Virginis filius, nam uti filii

Serm: 29. de verbis Apoſt.

Jacobi 2. 10.

1 Epiſt. cap. 5. 18.

De pudicit cap. 19.

Abraham faciunt opera *Abraham*, ita veri Virginis filii faciunt opera Virginis. Ut ergo ejus ſanctimoniam venereris, ejus ſanctimoniam oportet imiteris.

§. XXXIII.

Quando MARIÆ *obumbrabat virtus Altiſſimi, tunc ei acceſſit major gratiæ plenitudo.*

HIs dictis ad morum inſtructionem, redeundum eſt ad virtutes Virginis, quibus Domini ſui digna mater, & hominum ac Angelorum regina effecta eſt. Licet *Maria* ſemper fuerit *gratia plena*, attamen, quando fiebat mater Dei, longè copioſior illi acceſſit gratiæ plenitudo. Nec enim ſpiritalis plenitudo cogitanda inſtar corporeæ plenitudinis. Corporalis plenitudo onerat & arctat; gratiæ plenitudo ſublevat & dilatat: gratiæ plenitudo eſt plenitudo cognitionis & amoris Dei; ſcientia non excludit ſcientiam, ſed potius mentem parat ut altioris ſcientiæ ſit capax. Pariter Dei amor ſua diffuſione cor dilatans, illud ad magis amandum reddit idoneum. Quamvis ergo ante

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti incarnationem fuerit gratia plena, ipſo tamen incarnationis momento, & poſt incarnationem copioſior in eam influxit gratiæ plenitudo. Atque hoc eſt quod illi promittit Angelus dicens: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Fuerat ſemper cum illa Dominus, & nihilominus promittit Angelus quod Spiritus Sanctus ſuperveniret in illam, illique virtus Altiſſimi umbram faceret. In illam jam Spiritu Sancto plenam ſupervenit Spiritus Sanctus, ut, dum ſingulari & maximo privilegio ad ejus Virginitatem accedit fęcunditas, & quidem fęcunditas Deum conceptura, in tanta excellentia ne minima quidem titillaretur excellendi libidine. Obumbrat illi virtus Altiſſimi,ut ſine carnis æſtu in ea naſceretur Dei filius. Illa ergo umbra non fuit umbra excludens lumen, ſed excludens carnis ardorem; non umbra tenebrarum ſed umbra refrigerii, ſed umbra protectrix Virginitatis, ſed umbra auctrix fęcunditatis, ſed umbra, quę carnem Virginis fęcundans eam unit divinitati, &, quæ ejus mentem afficiens, eam tanta imbuit humilitate, ut facta Dei mater ab illo eligat pendere, ſicut umbra pendet à Luc: 1. 33.

 cor-

corpore, cujus omnes nutus ſubſequitur, nullum habens ex ſe aut motum aut ſtatum, quem non à corpore mutuaverit. Atque hoc eſt, quod virgo indicat dum ait: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Agnoſcit ſe factam matrem Dei, ut Deo demiſſius ancilletur: non cogitat de dato ſibi imperio, ſed de impoſito ſibi obſequio, ait ergo: *ecce Ancilla Domini, fiat mihi*, non ſecundum vota hominum, non ſecundum voluntatem meam, ſed *fiat mihi ſecundum verbum tuum*, hoc eſt, verbum Dei mei, cujus tu miniſter es & nuntius.

§. XXXIV.

Cadunt Angelorum & hominum primi, quia magis principatu, quam ſubjectione delectantur. Stat MARIA, *quia facta Dei mater, magis cogitat de obſequio, quam imperio.*

PRimus Angelus & primi homines contemplantur principatum, in quo creati erant. Illè, dum ſe aſpicit ut primum Angelorum, vult per poteſtatem *Altiſ-*

Altiſſimo eſſe *ſimilis*: Iſti vero, dum ſe ipſos intuentur tanquam viſibilis mundi præſides, quibus terra ſubjaceret, & qui dominarentur piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram, ſibi complacent in iſto principatu, & magis gaudent ſe Domino Deo per imperium eſſe ſimiles, quam illi per obſequium eſſe ſubjectos; atque ita cadunt hominum & Angelorum primi. Quia ergo defuit illis fundamentum humilitatis, cecidit culmen ſublimitatis. Virgo autem, quia altiſſimum in ſe jecerat fundamentum humilitatis, ſine ſuo lapſu ſuſtinet diviniſſimum maternitatis honorem, nec tam gaudet, quia Deo veluti mater erat prępoſita, quam gaudet, quia illi tanquam Ancilla erat ſubjecta: *Ecce*, inquit, *Ancilla Domini*. Septuaginta duo diſcipuli in damnatos Spiritus accipiunt poteſtatem, & tantillo ſe extollunt imperio, *reverſi ſunt*, inquit ſcriptura, *ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubyciuntur nobis in nomine tuo*. Sed quid ait illis Dominus eorum reprehendens vanitatem, *nolite gaudere*, inquit, *quia Spiritus ſubyciuntur vobis: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt*

Lucæ 10. 17.

in

in cælis. In privata enim, ait doctiſſimus Romanorum Pontificum, *& temporali lætitia mentem poſuerant, quia de miraculis gaudebant. Sed de privata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam revocantur, quibus dicitur: in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in Cælo. Non enim omnes electi miracula faciunt, ſed tamen eorum omnium nomina in cælo tenentur adſcripta. Veritatis enim diſcipulis eſſe gaudium non debet, niſi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent.* Hinc etiam Spiritus Sanctus in Virginem ſuperveniens ita eam reddit Dei matrem, ut ſe humilius agnoſcat & devotius profiteatur Dei ancillam; & veritatis mater ac diſcipula gaudeat de eo bono, quod commune cum omnibus habet, & in quo finem lętitiæ non habet, nempe in cognitione & amore, quibus Deo ſervit, fruitur & cum omnibus electis adhęret in æternum. Ut ergo ſit digna Dei mater, ſit Dei ſui humilior Ancilla: & dum ſit Angelorum hominumque Regina, ſuæ voluntati omnino renunciat dicens Angelo: *fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

Gregorius *l.9. indict. 4. epiſt.58.*

§. XXXV.

§. XXXV.

Maria *dicens: fiat mihi ſecundum verbum tuum, renunciat omnibus.*

Et ut videas, quod dicens Angelo: *fiat mihi ſecundum verbum tuum*, omni honori, omni in ſeculo exiſtimationi renunciet, advertendum quod hoc dicat, quantumvis prævideat, quod habens in utero periclitetur de fama & apud *Joſephum* adulterii futura ſit ſuſpecta. *Fiat*, ait *mihi ſecundum verbum tuum*, quantumvis inde meæ famæ periclitetur integritas, & adulterii pęna immineat. Si mea ignominia Deo ſit ad gloriam, *Ecce ancilla Domini*. Si *Joſeph* me gravidam agnoſcens relinquet aut repudiabit, nihilominus *Ecce ancilla Domini*. Non timeo ab homine repudiari, ſi Deo meo ut *Ancilla* poſſum famulari. Quo igitur à Deo magis exaltatur, eo demiſſius ſeſe illi ancillam ſubdit.

§. XXXVI.

Fert Maria *ſuæ famæ periculum.*

Fert humillima patientia ſe à *Joſepho* ſuſpectam haberi de adulterio; ut honori

nori ſuo conſulat, non detegit unde ſit fęcunda; nec ſeipſam ex famæ periculo, nec *Joſephum* eripit ex anxietate in qua erat, quia virgo de ſeipſa modeſtiſſimè ſentiens, judicat non tantam eſſe ſuam auctoritatem, ut ſui unius teſtimonio, ſibi uni de re tam incredibili crederetur: ſuæ ergo & famæ & vitæ curam, & *Joſephi* inſtructionem circa illud, quod Spiritus Sanctus in ſuo utero effecerat, divinæ providentiæ committit tranquilla.

§. XXXVII.

MARIA *ſilet ſuas laudes, nec ſe ſinit ab* Eliſabeth *laudari.*

NOn loquitur ad ſuæ famæ & vitæ defenſionem dum *Joſeph* timet ne ſit adultera; & loquitur, dum ab *Eliſabeth* ſalutatur *Mater Dei.* Silet humilis & loquitur humilis; ſilet ne ſuas loquatur laudes, loquitur ne ſuas audiat laudes. Di-

Luc. 1. 43. cit illi *Eliſabeth*: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? commendabat*, inquit *Bernardus*, *& vocem ſalutantis, adjiciens, ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in*

utero

utero meo, & beatificabat fidem credentis dicens: Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Magna quidem præconia, ſed devota humilitas, nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis univerſa refudit, cujus in ſe beneficia laudabantur. Tu, inquit, *magnificas Matrem Domini, ſed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultaſſe in gaudio, ſed exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: & ipſe quoque tanquam amicus ſponſi gaudet ad vocem ſponſi. Beatam eſſe dicis quæ credidiſſet: ſed credulitatis & beatitudinis cauſa reſpectus eſt ſupernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia Ancillam humilem & exiguam reſpexit Deus.*

Sermon: ultimo de Aſſumpt: B. Mariæ.

§. XXXVIII.

Maria *obedit Ethnico Principi & mundo vivit ignota.*

NEc hic ſe ſiſtit *Mariæ* humilitas. Quantumvis ſeipſam agnoſceret Dei ſui Matrem, attamen tanta eſt ejus demiſſio animi, ut non illibenter Ethnico Principi obediat, non obmurmuret quod tanquam in-

indigna rejiciatur, à diverſoriis relegetur ad ſtabula, Deum cæli reclinet in prȩſepio, inops fugiat in Ægyptum, ærumnoſum ferat exilium, redux in patriam non majorem obtineat honorem, quam ſolet obtinere pauperis fabri pauperrima conjux: & videns quod filius ſuus non major vult haberi quam fabri filius, hinc gaudet ſe non majorem haberi, quam uxorem & matrem fabri; advertit quod filius vult
Iſaia 45: 5. manere *Deus abſconditus*, hinc vult & ipſa manere Dei ſui Mater abſcondita.

§. XXXIX.

In MARIÆ *humilitate nihil eſt obſcurum, ſive ſimulatum.*

NOn eſt ſicuti hypocritæ, qui decipientes ſe ipſos, ſub prȩtextu divinæ gloriæ, publicant ſi quid in ipſis laude dignum, & ſtudioſe abſcondunt ea, quibus in hominum æſtimatione fiunt minoris. Non cogitat apud ſe: dicam me eſſe Matrem Dei, me de Spiritu Sancto concepiſſe, me ſalva virginitate peperiſſe, ut mundo innoteſcat filius meus, & in illo, quem meretur, obtineat honorem. Non

hæc

hæc cogitat à ſuis laudibus aliena; Deo relinquit, ut ipſe modis ſibi placitis publicet filii ſui dignitatem: non vult ejus conſilia prevenire ſed ſequi. *In vera humilitate nihil*, inquit *Proſper*, *obſcurum*, *nihil turbidum*, *nihil inquietum*. Veritas hujus ſententiæ in Virginis humilitate clariſſime fulget. Quia in illa nihil obſcurum ſive fictum; hinc non cupit, quod in ſe vile, abſcondere, &, quod in ſe venerandum, quæſito colore divinæ gloriæ hominibus propalare. *Omnis*, inquit, Auguſtinus, *ſuperbus fictus eſt*, *quod in ſe vile*, *non vult videri*; *quod in ſe honorandum*, *omnibus oſtentat*; *& ut negotium vanitatis tegat ſub pallio ſanctitatis*, *fingit ſe ſolo divinæ gloriæ zelo ſua dona publicare*. Non ſic virgo, non erubeſcit videri quod erat, nempe uxor pauperis *Joſeph*: Et, quia *Mariæ* ſufficit ſuæ humilitatis ſacrificio divinam celebrare majeſtatem, ſummopere probat, ut *virtus Altiſſimi*, quæ ſibi fecerat umbram, ut ſub ejus refrigerio ſine æſtu libidinis conciperet, ſibi etiam faciat umbram, ne clareſcens in mundo mundanæ laudis inardeſcat amore. Nihil ergo obſcurum in humili Virgine, nihil in ea turbidum.

Epiſtola ad Demetriadem.

E §. XL.

§. XL.
In humilitate MARIÆ *nihil turbidum.*

TUrbatur quidem ejus humilitas, dum audit : *Ave gratia plena*, *Dominus tecum*: verum iſta turbatio non ejus mentem confudit ſed permovit, ut ſapientius
Luc: 1: 29. expenderet, *qualis eſſet iſta ſalutatio.* Dum ait Proſper, *quod in vera humilitate nihil ſit turbidum*, loquitur de turbatione quæ mentem obſcurat, conſilia pręcipitat, loquendi & agendi ordinem confundit; talis turbatio in ſuperbis & puſillanimibus tunc naſci ſolet, quando aut reprehenduntur, aut parvi fiunt, aut quando pericula aut eorum vitæ, aut famæ, aut opibus imminent. Non turbatur Virgo, dum in nuptiis Canæ Galilęæ ſupplicans Filio ab illo quaſi repulſa & contempta
Joan: 2: 4. audit: *Quid mihi & tibi mulier?* quinimo tunc mente & animo tranquilliſſima, & gloriæ Filii ſui omnino intenta hanc ſuis ſupplicibus legem fixit: *Quæcumque dixerit vobis Jeſus* meus, *facite.* Quare putas non turbatur hoc Filii reſponſo? non turbatur, *quia in vera humilitate nihil turbidum*:

bidum: humilis non refugit, ſed amat humiliationem, &, dum illi, quod amat, accidit, potius lætatur. Turbamur nos ad verbum minus urbanum, turbamur ad reprehenſiones, turbamur ad opprobria, in quantum ſuperbi ſumus. Nihil enim verius hoc effato: non erubeſcit vultus, niſi ſuperbi. Si ergo amemus mentis conſtantiam & cordis tranquillitatem, diſcamus exemplo Virginis eſſe humiles, nam *in humilitate nihil eſt turbidum.*

§. XLI.

In humilitate Deiparæ nihil inquietum.

Veluti nihil in ea turbidum, ita quoque nihil in ea inquietum. Datur mandatum *Joſepho*, ut accipiat puerum ac matrem ejus, ac fugiat in Ægyptum. Matt:2:13
O quam quieto corde hoc *Maria* audit prçceptum! non quærit inquieta curioſitate, unde vivam in exilio pauper, an ibi vel ſtabulum inveniam, aut quamdiu mihi erit exulandum? Nihil iſtorum quærit, ſed devotiſſima Domini Ancilla memor voti ſui, *fiat mihi ſecundum verbum tuum*,

quietiſſima mente proficiſcitur ad Angeli verbum. Non interrogat inquieta ſciendi prurigine: cur Salvator mundi indiget *Joſepho* quaſi Salvatore, ut eum Herodianis machinationibus eripiat? Humillima Virgo non ſcrutatrix, ſed adoratrix eſt Majeſtatis. Non dijudicat judicia divinæ providentiæ, ſed illis ſimplex obedit. Deteſtatur illud inquietum & ſuperbum Ser-
Gen: 3: 1. pentis, *cur præcepit vobis Deus?* Dicit
Pſal: 118. Deo ſuo cum *Davide*, *omnia mandata tua æquieas.* Non cupio ſcire, cur pręceperis, ſed quid pręceperis. Non rationem mandati tui poſco, quia me Ancillam agnoſco, cui debet ſufficere ſcire quid præcipias, tametſi ignoret, cur præcipias. Virgo in exilio conſtituta non urgetur inquieto redeundi deſiderio: manet ibi mente placidiſſima donec audiat *Joſeph*:
Matt:2:10. *Surge & accipe puerum ac matrem ejus & vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Totis triginta annis Virginis *Jeſus* manet in ſui putatitii patris officina mundo incognitus, non dicit *Maria*, *Jeſu*, ut dicebant ſuperbi
Joann:7:4. fratres ejus, *manifeſta te ipſum mundo*; verum imperturbata tranquillitate expectat donec veniat hora ejus. Mortuo *Jeſu* omnes

omnes Diſcipuli ſunt anxii & inquieti: ipſa toto tempore, quo erat in ſepulchro, tam certa erat de futura ejus reſurrectione, ac ſi jam videret redivivum. Et cum reſurrexiſſet *Jeſus*, non diſcurrit cum feminis & Diſcipulis, ut videat *Jeſum*; illum in ſuo ſeceſſu quieta adorat, & amat, illoque fruitur placidiſſima charitate. Non viſitatur corporali ejus præſentia, congaudet aliis, quibus iſte favor impenditur: ſufficit *Mariæ Jeſum* ſuum poſſidere in corde ſuo, in mente ſua, & Virgo tota ſpiritualis ſpirituali amplexu contenta eſt. Et merito *Virgo ſapiens* illo contenta es, nam corporalis amplexus non poteſt eſſe diuturnus, ſpiritualis poteſt eſſe indeficiens. Optimam ergo partem elegiſti *Maria*, quæ non auferetur à te in æternum. Te non viſitat *Jeſus* tuus per intervalla, ſed ſemper tecum eſt. Diſcipulis adhuc carnalibus ſuæ carnis impendit ſolatium, ut paulatim ipſos ad puriorem provehat amorem; tibi ipſis Angelis puriori præſens eſt uti verbum Patris, ut jam non ſolum verum ſit dicere: *Verbum erat apud Deum*, ſed etiam liceat prędicare: Verbum erat, eſt & ſemper erit apud Matrem. Benè ergo manes quieta,

quia is ſemper in te quieſcit, qui *eſt pax noſtra.* Et ille ſemper in te quieſcit, quia tam ipſe, quam Spiritus ejus quieſcit *ſuper humilem.* Perverſi filij *Adam* inquieti eſtis, quia vos cruciat ambitio: inquieti eſtis, quia vos vexat ſciendi libido: inquieti eſtis, quia vos torquet auri cupiditas; inquieti eſtis in proſperis mundi, quia mundana proſperitas non tam ſatiat quam proritat libidinem: Inquieti eſtis in adverſis, quia ſuperbia eſt adverſitatis impatiens: ubique inquieti eſtis, dum ubique inordinati eſtis. Inordinata enim inquieta ſunt; ordinata quieſcunt. Ordina te ſub Deo tuo, illi te ipſum committè regendum, ſub illo ſis humilis, & eris quietus, *In humilitate enim nihil eſt inquietum.*

§. XLII.

In humilitate Deiparæ nihil vile.

P*Orro* ſicuti *in humilitate nihil eſt inquietum, ita & in humilitate nihil eſt vile*: Siquidem vera humilitas conjuncta eſt magnanimitati. Qui amant hominum æſtimationem, qui potentum ambiunt favores, qui magnas cupiunt habere divitias, illi ſunt

ſunt animi abjecti; nam timent quicquid illis id quod amant, poteſt eripere. *Ioannes Baptiſta* non timet *Herodem*, quia præ animi magnitudine famam, gratiam Principis, ipſamquè contemnit vitam; nihil ipſi grande, niſi quod æternum; nihil ipſi pretioſum quam quod invito auferri non poteſt. Puſilli ſunt & viles animæ, quæ moritura & peritura diligunt, quæ famæ vanitate & temporalis gloriæ typho delectantur: tales animæ cedunt illis, à quibus ſibi damna timent inferri. Humilis vero magnus eſt, quia contemnens mundi bona & gloriam, non habet in mundo, quod metuat. Reprehendit *Ioannes Herodem*, quia nihil reputat *Herodem* ſibi poſſe auferre. *Herodes* forſan illi poterat auferre æſtimationem, ſed ſi ita expediat divinæ gloriæ, gaudet *Ioannes* jactura famæ: poterat auferre corporis libertatem; illam parui facit *Ioannes*, modo ſpiritu liber ſit: poterat eum in carceribus fame cruciare, ſed non timet *Ioannes* famem, quia Deus illi cibus eſt: poterat auferre vitam, ſed credit *Ioannes*, quod mortuus vivet, & quod nulla ſit mors timenda prẹter eam, qua animæ vita Deus amittitur. Magnus ergo *Ioannes*, quia humilis, quia non

 timet

timet in mundo eſſe abjectus.

Excellentis animæ erat *Maria* quia nihil creatum grande putabat: carnem & carnis appendices, & mundi gloriam, non pluris quam fænum, non plus quam florem fæni æſtimabat. Neque minori in pretio habet ſuum *Ieſum*, quia illum videt in mundo paruulum, pauperem & abjectum. Videt in illo æternam Deitatis majeſtatem, quæ ſublimior eſt, quam ut à mundi opibus, potentia & gloria ullum poſſit decus accipere. Et quamvis mariani corporis oculus nihil regium, nihil altum, nihil videat in filio ſuo de Throni *Davidici* ſplendore; attamen *Mariæ* fidei oculus nihil videt in filio ſuo, quod *Regi ſæculorum*, æternæ ſapientiæ, omnipotenti verbo, incommutabili juſtitiæ non maxime conveniat.

§. XLIII.

MARIÆ *humilitas magnanima.*

QUemadmodum ſapientia & juſtitia auro non emuntur, ita nec auro ornantur: nec eget pompis ſeculi majeſtas *Ieſu*, quia *omnia portat verbo virtutis ſuæ*:

& ſe-

& ſeipſo magnus eſt; non vero per creaturas ſuas. Non requirit ergo *Maria* in filio mundi bona, quia videt ipſum eſſe bonum omnis boni. Et dum omnes ejus *Ieſu* inſultant, illum uti vilem contemnunt, illum uti reum condemnant, illum uti ſeductorem crucifigunt: ipſa omnium contemnit judicia, ipſa omnes ſtultos æſtimat. Et veritati, filio ſuo, firmiſſime innixa judicum ejus condemnat iniquitatem, &, ſicuti loquitur Divus *Paulinus*, *Sancta ſuperbia* vituperat, quæ ipſi venerantur, & adorat, quem ipſi blaſphemant, divinaque quadam ſingularitate ſe ab omnium ſtudiis & moribus ſeparat, ut uni Deo ſuo, æternæ ſapientiæ & veritati incommutabili ſubdita hęreat. Divinè ergo ait *Bernardus* agens de *Mariæ* humilitate. *Agit hoc, nimirum in cordibus electorum, gratiæ prærogativa divina, ut eos nec humilitas puſillanimes faciat, nec magnanimitas, arrogantes: magis autem cooperentur ſibi, ut non ſolum nulla ex magnanimitate ſubintret elatio, ſed hinc maxime provehatur humilitas, ut inveniantur eo amplius timorati & largitori munerum non ingrati; ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſubrepat; ſed quo minus de ſua quiſque vel in*

Serm: ultimo de aſſumptione.

minimis præſumere conſuevit, eo amplius etiam in magnis quibuſque de divina virtute confidat. De hac virtute magnanima confidit *Maria*, quando ſui unius judicium omnium pretulit judicijs, etiam Apoſtolorum, qui mortuo *Chriſto* fidem noſcuntur perdidiſſe. Veri humiles honorant homines, ſed poſt Deum & propter Deum; unde, quando homines ipſos ſuorum errorum volunt eſſe ſequaces, tunc ſancta ſuperbia homines contemnunt, juxta il-
Eccl: 4.27. lud ſapientis: *Ne verearis proximum in caſu ſuo.* Veri humiles offendere homines timent, ſed infinities magis timent offendere veritatem, ſueque conſcientiæ vulnus inferre. Veri humiles ſemper au-
Eccl: 4.26. diunt iſtud ſapientiæ oraculum: *Non accipias faciem adverſus faciem tuam, nec adverſus animam tuam mendacium.* Et, ut verbo dicam, veri humiles ſeipſos humiliant, ſed nunquam humiliant veritatem. Hec fuit magnanima Virginis humilitas: Non reveretur Sacerdotes, non judices, non Reges, non Apoſtolos, dum priores *Ieſum* morti ſceleratiſſime addicunt, & dum alteri, quam de *Ieſu* habuerant, fidem infeliciter perdunt. Reveretur homines quando iſtud poſtulat veritas: Non reve-

reverетur homines, quando ipſos jubet contemni. Depreciat ſeipſam Virgo humillima, ſed nunquam depreciat veritatem. Fuit ergo tenaciſſima hujus præcepti: *Noli eſſe humilis in ſapientia tua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris.* Eccl: 13. 11.

§. XLIV.

Optandum ut regnet in Chriſtianis magnanima Virginis humilitas.

UTinam hæc magnanima Virginis humilitas ſit in Chriſtianis! multæ feminæ imagine Virginis auro & gemmis incluſa ſuum ſinum adornant. Laudo illud, ſi id faciant, ut ejus vivant ſemper memores, ejuſque exemplum ſibi præfigant imitandum. Laudo illud, ſi id faciant, ut imagine caſtiſſimæ Virginis ſuum pectus contra impuras muniant libidines. Laudo illud, ſi imago Virginis non ſerviat luxui, nec placeat, quia aurea, ſed quia mariana. Verum magis laudo, ſi iſta magnanima Virginis humilitas in Chriſtianorum regnet pectoribus. ſi eligant ſe non conformare huic ſæculo, ſed ſanctâ ſe ſingularitate ſeparare à ſæculo. Si ſe non

non ſinant vehi vel rapi damnato flumine
1 Reg: 8. 20. moris humani. Si non dicant, *erimus nos quoque ſicuti omnes gentes*, pugnantes pro honore noſtro, malum pro malo reddentes, æternorum incurii, præſentium cupidi. Magis laudo, ſi non dicant: potabimus, ſi honor & ſæculi leges velint, ut bibamus hauſtus æquales. Epulabimur ſplendidè, ſi mos ſæculi jubeat, ut lauta inſtituamus convivia. Nihil dabimus pauperibus, ſi conſuetudo & honor mundi exigat ut celebremus nomen noſtrum, ſtudentes familię ſplendori. Magis laudo ſi ſancta ſuperbia nos perditis ſęculi moribus opponamus, & plus apud nos valeat veritatis, quam moris auctoritas. Tum, tum erimus digni Virginis cultores. Tum, tum licebit de illius erga nos amore pręſumere. Amat illa laudabilem ſuperbiam
Epiſtola 21. *ad Amandum.* quæ, ut *Paulini* verbis utar, *huic mundo ſuperbit, & contemnit hoc ſæculum, omnibuſque magnis ejus, & dulcibus, ac ſpecioſis abutitur, intenta cœleſtibus & præceptis ſubjecta divinis.* Illam vero puſillanimitatem, quæ tam vilis eſt, ut magis ex aliorum ſententia quam ſua vivat conſcientia, Virgo ſapientiſſima ubique deteſtatur: unde iratis oculis aſpicit eas puellas, quæ,

ut

ut ſtultarum puellarum ſequantur morem, ſinum denudant, faciem ceruſſa, oculos ſtibio adornant. Qui ergo magnanima humilitate Virginem ſtudet imitari, eam execretur humilitatem, quæ *humilitas humanam gratiam magis quam ſuam ſalutem curat, mendacii famula, veritatis inimica, libertatis expers.* Paulinus *ibid.*

§. XLV.

Excellens Virginis charitas.

CUm non pauca modo diſſeruerimus de Virginis humilitate, nunc agendum de ejus charitate, quæ quam ſublimis fuerit in Virgine, dijudicari poterit ex ſenſu, quo Angeli *Christum* annuntiantis verba intellexit. Verba Angeli hęc ſunt. *Ecce concipies in utero, & paries* Luc: 1. 36. *filium. & vocabis nomen ejus* Jeſum. *Hic erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem* David *Patris ejus, & regnabit in domo* Jacob *in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Promittitur illi Filius, qui erit Salvator, ſive *Ieſus*, magnus, Altiſſimi Filius, donandus *Davidico* throno ſive ſede, regnaturus

in

in domo *Iacob* in æternum. In his verbis nihil terrenum, nihil faſtuoſum, nihil eorum, quæ alta ſunt apud homines, Virgo intellexit. In verbo, *Salvator*, non cogitavit libertatem à mundi ęrumnis, ab opprobriis, paupertate, & morte. In voce, *magnus*, nil ſibi propoſuit de *Alexandrorum* aut *Cæſarum magnitudine*, qui fuêre magni occidendo homines, evertendo urbes, expilando Regna. In nomine, *Altiſſimi Filius*, nihil ejus menti obverſatum fuit de altitudine, quæ conſtat opum poſſeſſione, ſervorum caterva & clientum ſequela. In verbis, *Dabit illi Deus ſedem* David *Patris ejus*, nihil ſibi finxit de debellandis Philiſthæis, de expugnandis Ammonitis, & exſcindendâ eorum Regiâ; nihil de deliciis & pompis *Salomonicis*. In vocibus, *regnabit in domo* Jacob *in æternum*, & *Regni ejus non erit finis*, nihil cogitavit de imperiis, quæ ferro firmantur & ferro vincuntur; quęque corporibus magis, quàm animabus dominantur. Quare autem nil carnalis commodi, aut mundanæ magnitudinis, terreſtriſve imperii intellexit in verbis Angeli? quia tam magna ejus erat anima, ut nullam altitudinem in terrenis Regnis, nullam

nullam ſufficientiam in terrenis opibus, nullam amplitudinem in mundi agnoſceret imperiis. Nil Virgini altum in terrenis Regibus, quibus morbi & mors perinde ac cæteris hominibus dominantur: qui non majorem habent poteſtatem, quam quod ipſi mortales alios mortales poſſunt occidere; quod etiam febris, quod æque malus fungus, quod magis poteſt aër peſtilens. Hæc eſt ergo ſumma Regum poteſtas, quod hoc poſſunt quod poteſt febris, quod poteſt malus fungus, quod poteſt peſtilentia. Nullam Virgo in terrenis bonis agnoſcit ſufficientiam, quia cupiditatem non tam ſatiant quam proritant: quia videt, quod eis nec cęcus viſum, nec æger ſalutem, nec ſtultus ſapientiam, nec timidus magnanimitatem, nec mortalis emere poſſit immortalitatem vel etiam vitam diuturniorem. In imperiis non videt amplitudinem, quia homines & ipſa Regna moriuntur: quia is, quem plurimi timent, plurimos timeat neceſſe eſt: & quia is, qui plurima poſſidet, plurima poteſt perdere: & ſicut magna corpora morbis & vulneribus magis ſunt obnoxia, ita ingentia regna plurimis patent injuriis, & plerumque

mole

mole ruunt ſuâ. Quæ ergo ibi amplitudo, ubi neceſſe eſt, ut timoribus angaris, idque eo magis, quo plura invito poſſunt auferri? ſi cui ergo in terrenis opibus, regnis & imperiis, quędam videatur ineſſe ſufficientia, magnitudo & amplitudo, id facit cęca cupiditas & quędam faſcinatio nugacitatis, quæ, homini abſcondens veram ſuam ſublimitatem, magnitudinem & ſufficientiam, rebus perituris ac mortalibus, neſcio, quam affingit amplitudinem, abundantiam ac majeſtatem. Quia vero mundi cupiditas in Virgine, aut omnino ſuppreſſa, aut erat extincta, hinc nihil, quod non eſt æternum & internum, grande agnoſcebat.

§. XLVI.

In verbis Angeli CHRISTUM *annuntiantis virgo nil ſapit terrenum.*

QUare in verbis Angeli grandiſſima ſibi credens promitti, nil in illis terrenum, nil intellexit periturum. Illa ergo ſibi Angelum credidit polliceri, quę charitati, non quę cupiditati magna videntur.

Cha-

Charitati vero nil magnum, niſi Deus: nil magnum, niſi animæ & Spiritus Deo ſuo per caſtiſſimum amorem adhærentes, & mundi opibus, gloria & imperiis minime indigentes, atque ideo mundanis omnibus ſuperiores, tantoque magis mundanorum domini, quanto ab illorum cupiditate & indigentia magis abſoluti.

Dum ergo Angelus Virgini dicit; *erit magnus & filius Altiſſimi*, facit Virginis charitas, ut ſibi credat promitti filium, qui Deo intimè adhęreſcens omnibus creaturis erit ſuperior. *Altiſſimum* eum intelligit, qui, ut ſit altus, non eget aut miniſterio aut ſubjectione creaturarum; ſicut egent Reges hujus mundi: unde etiam eorum ſublimitas non eſt niſi ab hominibus pendula, & mendicata ſublimitas. Filium ergo *Altiſſimi* eum intelligit, qui eſt filius ejus, qui mundum condidit, mundo minime egens. Et regnum filio ſuo promiſſum credit Virgo fore regnum charitatis, hoc eſt, quo in illis regnabit animabus, quæ renunciant omnibus quæ poſſident & quæ omnia detrimentum faciunt; & arbitrantur ut ſtercora, ut *Chriſtum* lucrifaciant. Quemadmodum enim regibus

 mundi

mundi ſerviunt homines per cupiditatem, qua temporalia bona, opes & honores ab illis conſequi ſperant; ita regi *Chriſto* adhęrent Chriſtiani per charitatem, quæ terrena contemnens inhiat æternis. Unde vir eminentis ingenij *reges ſæculi* appoſite vocat *reges cupiditatis*, *Chriſtum* vero *regem charitatis*, quod illis mortales terrenorum ambitione ac avaritia, huic ſui ſubditi ſolo cæleſtium amore agglutinentur. Virgo itaque in regno *Chriſti* non cogitat cupiditatis, ſed charitatis imperium.

Virgo audiens ſe parituram filium, qui erit ſalvator mundi, in verbo, *ſalvator*, non carnis ſed mentis intelligit ſalutem: quod ſi etiam carnis intelligat ſalutem, eam cogitat, quæ à ſanitate animæ redundabit in corpus, ut illud afficiat immortalitate. *Immortalitas enim, & incorruptio corporis*, inquit *Auguſtinus*, *de ſanitate animi exiſtit: ſanitas autem animi, eſt firmiſſime adhærere potiori, hoc eſt, incommutabili Deo. Cum vero etiam iis, qui ſibi naturaliter pares ſunt, hoc eſt, hominibus Dominari affectat, intollerabilis omnino ſuperbia eſt.* Illum ergo ſalvatorem ſe credit Virgo parituram, qui dirumpens cupiditatis vincula, quibus terrenis rebus alligamur, dat liber-

Lib. 1. de Doct: Chriſtiana cap. 23.

libertatem & ſanitatem, qua firmiſſime adhæreſcimus potiori, hoc eſt, incommutabili Deo.

§. XLVII.

Certiſſima veritas eſt, quod Virgo in verbis Angeli nil abjectum & periturum cogitavit.

QUod autem Virgo Angeli verba hoc ſpirituali ſenſu intellexerit, non ſolum pia eſt præſumptio, ſed certiſſima veritas. Nam ſi credidiſſet ſibi promitti filium, qui in hac temporali vita à miſeriis libertatem ſuis ſequacibus foret conceſſurus, terrenamque celſitudinem; & vaſtiſſimum ac ſuperbum poſſideret imperium, ſe ab Angelo deceptam conquereretur, quando repulſa à diverſoriis, eum parit in præſepio: quando cum illo fugit in Ægyptum: quando redux in Iſrael vivit pauperrima cum *Ieſu* pauperrimo: &, præſertim, quando eum videt in cruce morientem & à morte quaſi ſuperatum: & quando, illo jam ſedente ad dexteram Patris, ipſa adhuc peregrinatur in mundo; ac toties novo doloris gladio tranſverberatur, quo-

ties ea non ignorante Apoſtoli, aliique filii ejus Diſcipuli, aut includuntur carceribus, aut extenduntur eculeis, aut lapidibus obruuntur, aut gladiis detruncantur. Verum in his omnibus miſeriis nihil credit Angelicæ pollicitationi eſſe adverſum. Se reputat à *Ieſu* ſuo eſſe liberatam, quia in ſtabuli paupertate atque anguſtiis mente liberrima cæli deguſtat delicias. Non querula eſt in exilii moleſtia, quia ubique habitat in adjutorio Altiſſimi.

§. XLVIII.

Virgo judicat CHRISTUM *aſſumpſiſſe apparatum novo Teſtamento, quod revelabat, maximè congruum.*

NIhil abjectum, nihil infirmum, nihil non *Altiſſimi* filio digniſſimum videt in faſciis *Ieſu*, in ejus fame ac ſiti, laboribus & cruciatibus, cæteriſque ærumnis. Nam intelligebat Virgo ſapientiſſima iſta paupertatis, exilii, injuriarum, & tandem ignominioſa mortis tormenta decere filium ſuum, qui veniebat novum Teſtamentum, ſive gratiam ſpiritualem, quæ

ante

ante ejus adventum paucis Patriarchis & Prophetis nota fuerat, manifeſtaturus omnibus gentibus: ne quiſquam Dominum niſi gratis coleret, non viſibilia præmia ſervitutis ſuæ & prǫſentis vitæ felicitatem, ſed ſolam vitam æternam, in qua ipſo Deo frueretur, ab illo deſiderans. Ut ergo huic officio congruum apparatum aſſumeret, intus fuit plenus gratia & veritate, foris ſaturatus opprobriis, hominum noviſſimus, imo vermis & non homo. „ Itaque, ut cum *Auguſtino* loquar, novum „ Teſtamentum hæreditatis ſempiternæ „ manifeſtans, in quo renovatus homo „ per gratiam Dei ageret novam vitam, „ hoc eſt, vitam Spiritalem; ut vetus oſten„ deret primum, in quo carnalis populus „ agens hominem veterem, exceptis pau„ cis intelligentibus Patriarchis & Pro„ phetis, & non nullis latentibus ſanctis, „ carnaliter vivens, carnalia præmia deſi„ derabat à Domino Deo, & in figura „ ſpiritualium bonorum accipiebat. O„ mnia ergo bona terrena contempſit „ homo factus, Dominus *Chriſtus*, ut con„ temnenda monſtraret; & omnia terrena „ mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipie„ bat, ut neque in illis quæretur felicitas,

De Catechizandis rudibus cap. 22.

F 3 „ neque

„ neque in iſtis infelicitas timeretur. Na-
„ tus enim de matre, quæ, quamvis à viro
„ intacta conceperit, ſemperque intacta
„ permanſerit, Virgo concipiens, Virgo
„ pariens, Virgo moriens, tamen fabro
„ deſponſata erat, omnem typhum carna-
„ lis nobilitatis extinxit. Natus etiam in
„ civitate Bethlehem, quæ inter omnes
„ Judeæ civitates ita erat exigua, ut hodie
„ villa appelletur, noluit quemquam de
„ cujuſquam terrenæ civitatis ſublimitate
„ gloriari. Pauper etiam factus eſt, cujus
„ ſunt omnia, & per quem creata ſunt
„ omnia, ne quiſquam, cum in eum crede-
„ ret, de terrenis divitiis auderet extolli.
„ Noluit Rex ab hominibus fieri, qui hu-
„ militatis viam oſtendebat miſeris, quos
„ ab ea ſuperbia ſeparaverat: quamvis
„ ſempiternum ejus regnum univerſa
„ creatura teſtetur. Eſurivit, qui omnes
„ paſcit; ſitivit, per quem creatur omnis
„ potus, & qui ſpiritualiter eſt panis eſu-
„ rientium, fons eſt ſitientium. Ab itinere
„ terreſtri fatigatus eſt, qui ſe ipſum nobis
„ viam fecit in cælum. Velut obmutuit &
„ obſurduit coram convitiantibus, per
„ quem mutus locutus eſt, & ſurdus audi-
„ vit: vinctus eſt, qui nos de infirmitatum
„ vin-

„ vinculis ſolvit: flagellatus eſt, qui omni-
„ um dolores & flagella de hominum cor-
„ poribus expulit: Crucifixus eſt, qui
„ cruciatus noſtros finivit: mortuus eſt,
„ qui mortuos ſuſcitavit: ſed & reſur-
„ rexit nunquam moriturus, ne ab illo
„ quiſquam ſic diſceret mortem contem-
„ nere, quaſi nunquam victurus. Has rationes ab *Auguſtino* expoſitas ad oſtendendum decuiſſe *Chriſtum*, ut pauper & abjectus naſceretur & viveret, & tandem miſerior moreretur, Virgo Deipara melius & clarius, quam *Auguſtinus*, mente percepit. Et quia eas aliaſque plures optimè cognoſcebat, nihil videt in *Jeſu* ſuo, aut Angelicis promiſſis adverſum, aut non dignum gratiæ ſive charitatis regno, qua veniebat in cordibus regnaturus.

§. XLIX.

Virgo Angeli verba intelligit in ſenſu ſublimiſſimo, quia ſublimiſſima ejus erat anima.

VErum quidem eſt, quod ſi hęc verba, *erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus* ſedem Da-

vid *patris ejus &c.* audita fuiſſent ab animo terrenæ felicitatis cupido, ea de regno terreno intellexiſſet. Verum Virgini non niſi incommutabile bonum, Deum ſuum, perfectiſſime adamanti id ſolum magnum, altum & regium eſt, quod à creaturis independens eſt. In ſenſu ergo ſublimiſſimo verba Angeli interpretata eſt, quia anima ejus Deo adhęreſcens erat ſublimiſſima: amor ei ſenſum aperuit, & per ſuam charitatem ingreſſa eſt in Dei veritatem. Idem Virgini cum Angelo ſenſus, quia idem Virginis cum Angelo amor. Angelus promittens naſcituro *Mariæ* filio *ſedem David*, intellexit non typicam ſed veram, non temporalem, ſed æternam, non terrenam, ſed cæleſtem. Idem ſentit *Maria*, Angelus promittens, quod *Mariæ* filius regnaret *in Domo Jacob*, loquitur de *Domo Jacob* non ſecundum carnem ſed ſecundum Spiritum: eadem quoque mens Virginis. Sed utinam foret quoque idem amor & ſenſus noſter, qui amor & ſenſus Virginis! utinam cuperemus eſſe iſta *Davidis ſedes* & *Domus Jacob* ſpiritualis, in quibus regnabit *Chriſtus*! „Solos igitur, inquit *Bernardus*, qui „in fide *Jacob* perfecti inveniendi ſunt, „reputa

Homil. 4. ſuper miſſus.

„ reputa in *Domo Iacob*, vel potius ipſos „ noveris fore ſpiritualem & æternam „ *Domum Iacob*, in qua regnabit Domi- „ nus *Ieſus* in æternum. Quis ex nobis „ eſt, qui juxta interpretationem nominis „ *Iacob*, ſupplantet diabolum de corde „ ſuo, luctetur cum vitiis & concupiſcen- „ tiis ſuis: ut non regnet peccatum in ſuo „ mortali corpore, ſed regnet in eo *Ieſus*, „ & nunc quidem per gratiam, & in æter- „ num per gloriam? Beati in quibus *Ieſus* „ regnabit in æternum, quia & ipſi cum eo „ regnabunt, & regni ejus non erit finis. „ O quam glorioſum eſt regnum illud, in „ quo reges congregati ſunt, convenerunt „ in unum, ad laudandum ſcilicet & glo- „ rificandum eum, qui ſuper omnes eſt „ Rex Regum, & Dominus Dominan- „ tium: de cujus ſplendidiſſima contem- „ platione fulgebunt juſti ſicut ſol in „ regno Patris eorum! O ſi & mei pec- „ catoris meminerit *Ieſus* in beneplacito „ populi ſui, cum venerit in regnum „ ſuum! O ſi me in illa die, quando tra- „ diturus eſt regnum Deo & Patri, viſita- „ re dignabitur in ſalutari ſuo, ad viden- „ dum ſcilicet in bonitate Electorum ſuo- „ rum: ad lętandum in lætitia gentis ſuæ,

„ ut laudetur etiam à me cum hęreditate
„ ſua! veni interim Domine *Jeſu*, aufer
„ ſcandala de regno tuo, quod eſt anima
„ mea, ut regnes tu, qui debes, in eâ. Ve-
„ nit enim avaritia, & vendicat in me ſibi
„ ſedem: jactantia cupit dominari mihi:
„ ſuperbia vult mihi eſſe Rex: luxuria di-
„ cit: ego regnabo: ambitio, detractio,
„ invidia & iracundia certant in me ipſo
„ de meipſo, cujus ego potiſſimum eſſe
„ videar. Ego autem, quantum valeo,
„ reſiſto; renitor, quantum juvor; Do-
„ minum meum *Ieſum* reclamo, ipſi me
„ defendo, quia ipſius me juris agnoſco.
„ Ipſum mihi Deum, ipſum mihi Domi-
„ num teneo, & dico: non habeo regem
„ niſi Dominum *Ieſum*. Veni ergo Do-
„ mine, diſperge illos in virtute tua, &
„ regnabis in me, quia tu es ipſe Rex meus,
„ & Deus meus, qui mandas ſalutes *Iacob*.

§. L.

Oſtenditur puritas charitatis, quæ arſit in Deipara.

HIs per digreſſionem dictis, redeamus ad amorem, quo Deipara Deum dilexit: qui, ut videas, quam purus fuerit; adver-

tas

tas velim, quod nullam ſibi, nec in mundo, nec in æternitate ſuper proximos ſuos excellentiam poſtulaverit; neque in ullis ſuis priuilegiis ſibi ipſi vanè-complàcuerit. Mater filiorum *Zebedæi*, vel quia *Jeſum* cum aliis mulieribus ſequens, illum ſuis facultatibus alebat, vel quia adverterat filios ſuos cæteris Diſcipulis præferri, quando, excluſis aliis Apoſtolis, excepto *Petro* ipſi duntaxat Archiſynagogi filiæ reſuſcitationi, & ipſius *Chriſti* glorioſæ interſunt Transfigurationi, hinc, inquam, *Ioannis* & *Iacobi* mater audet prece ambitioſa à *Ieſu* petere, *ut* in Regno ſuo *ſedeant duo filii* ejus, *unus ad dexteram*, Matth. 20.
& unus ad ſiniſtram. *Maria* vero licet 21.
benedicta inter mulieres, licet uti Mater *Ieſum* ſuo ſanguine & lacte diu nutrierit, eum ſuis ulnis geſtarit, & cum illo triginta annis in eadem domo vixerit, nihilominus nullam ſuper alios ſive mulieres ſive viros excellentiam, ſive in terris, ſive in cælis prætendit; tantum abeſt, ut cupiat proxima latus ejus claudere. Unum, quod cupit, eſt, amare & ſervire *Ieſu* ſuo, parata quocumque loco collocari in ejus familia, modo non extra limen.

§. LI.

§. LI.

Deipara non concupivit eſſe ſingularis.

MAria, licet ſingulari privilegio conceperit *de Spiritu Sancto*, pepererit Virgo, & eum quidem filium, qui ſimul erat Deus & Dei filius, non tamen dicit cum Phariſæo: Gratias tibi ago, quia non ſum ſicuti cæteræ mulieres, quæ, ſi con-
Luc:18.11. cipiunt, concipiunt æſtu libidinis; ſi pariunt, pariunt & in doloribus & in ſordibus; ſi Virgines ſunt, matres non ſunt; aut ſi ſunt matres, nec ſunt Virgines, nec Deiparæ. Non in his excellentiis phariſaica ſibi ſuperbia complacet, nec illas amat, quia ad ſuam, ſed quia ſpectabant ad Dei gloriam. Hinc leges purgationis ſubit, ſe æquans mulieribus, quæ proles
Luc: 2. 22. ſuas concipiunt in peccatis, & pariunt in ſordibus. *Magnificat* quidem *anima* ejus *Dominum*, & *exultat ſpiritus* ejus in *Deo ſalutari* ejus, nempe, quia fecerat illi *magna qui potens eſt*: verum non ideo præcipue *magnificat Dominum*, quia ei fecerat, quod ulli necfecerat, nec faciet unquam: in tam ſingulari & eminenti honore, non ſuum, ſed unius Dei attendit honorem.

Pha-

Digitized by Google

Phariſæus amabat virtutes, non quia illis Deo ſubdebatur, ſed quia illæ eum cæteris hominibus præferebant: Virgo non amat ſua privilegia, quia illis cæteros homines excellit: hoc enim eſſet non bono communi, ſed (quod proprium eſt ambitioſorum) ſuo privato bono gaudere. Quid ergo amat in ſuis privilegiis? Dei erga ſe miſericordiam. Quid in virtutibus? ſuum erga Deum obſequium, ſuam ſubjectionem. Æſtimat ſe à Deo magnificatam, non quia caro ejus pepererat *Chriſti* carnem, ſed quia fecit voluntatem Patris. Reputat ſe inde felicem, quia Verbum Dei cuſtodit, non quia in ipſa Verbum Dei caro factum eſt, & habitavit in nobis. Agnoſcit quod ſibi materna propinquitas nihil profuiſſet, niſi felicius *Chriſtum* corde quam carne geſtaſſet; ſicuti fratribus *Chriſti*, id eſt, ſecundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, nihil profuit illa cognatio. In hoc ergo *Maria* ſe reputat felicem, quia Deum ſuum cognoſcit & amat: hoc eſt enim ejus verbum cuſtodire, eum cognoſcendo amare, & amando ejus voluntatem adimplere. In hac cognitione & amore Deiparæ beatitudo collocata eſt. Nec enim

aliud

aliud Virginis ſummum bonum, quam hominum reliquorum. Non ergo in cognatione aut maternitate, quæ carnis & ſexus appendices ſunt; ſed in cognitione & amore Dei, quæ ſunt mentis operationes, perfectiſſimæ Virginis eſt ſumma felicitas.

§. LXII.

Virgo fuit Dei Mater digniſſima, quia æternæ veritati adhæſit ſemper.

QUia ergo Deipara non ſingulari ſuo privilegio, ſcilicet Virginea maternitate, ſed communi bono, nempe cognitione & amore Dei, maximè, vel potius, unicè delectata eſt, inde vel maximè agnoſcitur *Chriſti* ſui eſſe mater digniſſima; ſublimiſſimam enim Deiparæ maternitatis dignitatem in ſeipſa agnoſcere, & tamen eam mente tranſcendere, ut ſola æterna & incommutabili veritate, quæ omnibus caſta, omnibus integra eſt, perfruatur, argumentum eſt charitatis prorſus defæcatiſſimæ ſive puriſſimæ; qualis certe non fuit nec in Angelorum primo, nec in primis hominibus, qui, ut aſpexerunt ſuum

ſuum primatum ſive conditionis excellentiam, ejus amore & delectatione capti ſunt, & omnis boni fontem Deum ſuum deſeruerunt. Non hæret Deipara in contemplatione ſuę maternitatis; ad grandiora aſcendit: hæret mens ejus in Deo ejus, *exultat Spiritus* ejus *in Deo ſalutari* ejus, non vero in carnis ejus eminentiſſima dignitate. Tam ingentis animi mater decebat Dei filium.

§. LIII.

Quid Maria *in filio ſuo præcipuè dilexerit?*

Porro hunc ſuum filium non ideo præcipue dilexit *Maria*, quia ejus caro de ſua carne propagata eſt. Nam iſta dilectio etiam in pecoribus invenitur. *Scitis iſtos paſſeres & hirundines, quemadmodum diligant conjuges, ſimul ova foveant, ſimul pullos nutriant, grata quadam & naturali bonitate, nulla cogitata mercede. Non enim dicit paſſer: nutriam filios meos, ut, cum ſenuero, paſcant me. Nihil horum cogitat, gratis amat, gratis paſcit, affectum parentis exhibet, retributionem non requirit.* Dilexit *Maria* filium, ſicut ſeipſam: dilexit *Ma-*

Aug: *Serm.* 14. *inter eos quos edidit ſirmund.*

ria filium ſuum, quatenus homo eſt, ſublimiori amore, quam paſſeres amant pullos ſuos. Dilexit illum, ſicuti ſeipſam diligebat. Seipſum autem nemo diligit, quia ſibi ipſi aut Pater, aut Mater, aut ſoror eſt. Qui ſeipſum rationali amore diligit, ſeipſum diligit, quia homo eſt, quia Dei capax eſt. *Maria* diligens filium ſuum quatenus homo eſt, dilexit illum non præcipue ob carnem, ſed ob mentem rationalem: non ob ſanguinis propinquitatem, ſed ob rationis ſocietatem: nec ejus mentem dilexit, quia Dei gratia & veritate poterat repleri, ſed dilexit tanquam plenam *gratiæ & veritatis*. Unde ſicuti *Paulus* ait, *& ſi cognovimus ſecundum carnem* Chriſtum, *ſed nunc jam non novimus*, id eſt, ſi aliquandò magnum & glorioſum putavimus, quod *Chriſtus* ſecundum carnem gentilis noſter eſſet, & quod eſſem Judæus, ut ille: jam illis terreſtribus affectibus mortui ſumus, & de *Chriſto* auguſtius ſentimus; & eum tantum novimus ſecundum Spiritum, ideſt, ut hominem divinum orbis Redemptorem, auctorem gratiæ & ſalutis; atque ut tali vivimus & ſervimus; talemque toto orbe prædicamus. Ita Virgo ſemper dicere poteſt, quod

Vide Auguſt. *epiſtola* 52.

2 Cor: 5. 16.

quod *Chriſtum* nunquam noverit ſecundum carnem, hoc eſt, quod ejus amor illi non adhęſerit eo modo, quo paſſeres ex ſe natos paſſeres, lupi lupos ex ſe natos noſcuntur amare; ſed quod illum ſemper in Deo dilexerit, utpote ut *plenum gratiæ & veritatis*: ut illum, qui divinitati in unitate perſonæ junctus erat. Unde etiam Virgo ſe multo glorioſiorem ſemper exiſtimavit, quia de plenitudine *Chriſti* ſemper accipiebat gratiæ plenitudinem; quam quia *Chriſtus* de ejus carne carnem acceperat.

§. LIV.

Virgo neminem noſcit ſecundum carnem.

POrro, ſi Virgo nec filium ſuum ſecundum carnem noverit & amaverit, verius dicere poteſt, quam *Paulus*: *neminem novimus ſecundum carnem*, id eſt, ſpeciem externam, ſcilicet quod ſibi cognatus ſit, amicus, Judæus, nobilis, doctus, hanc aut illam gerat veſtem, has aut illas fraternitatum teſſeras; his affectibus ſuperior eſt, quia Deo ſuo intimè unita eſt: illi ſoli vivit, & omnes in ipſo ſecundum chari-

tatis ſpiritum amat, non vero ſecundum carnem, aut carnis affectiones.

Quam inepti ergo ſunt, qui ſe putant placere *Mariæ*, vel ob veſtium colorem, aut figuram; vel, neſcio, ob quam teneram erga eam affectionem, qua in illa diligitur vel quędam feminei ſexus mollities, vel iſtius generis patientia in protegendis peccatoribus, de qua cum *Bernardo* dicere poſſes: *O patientia omni digna impatientia! non poſſum, fateor, non iraſci huic patientiæ.* (*Epiſtola* 7.) Dicit *Auguſtinus*, quod nihil *Mariæ* materna propinquitas profuiſſet, ſi non *Chriſtum* felicius corde, quam carne geſtaſſet. Et neſcio quî homines ſibi perſuadent, quod multum ſibi proderit, aut brachium roſario, aut collum Deiparæ imagine, aut pectus & ſcapulas pannis ad virginis honorem ſacratis obtexiſſe, licet in illorum corde nullus timor Domini, nullum divini honoris ſtudium, nullus divinæ legis amor vivere noſcatur. Inepta eſt fiducia illis exterioribus pietatis ſignis innixa, niſi illis adjunctum ſit ſtudium colendi Virginis filium religioſa mandatorum obſervantia. Fruſtra Virginis ſymbola geruntur in carne, niſi Virginis filius geratur in corde. Nec hęc dico, ut

iſta

iſta ſymbola depreciem, ſed ut perverſam in illis fiduciam caſtigem. *Paulus* non depreciat aut Angelorum linguas, aut prophetiam, aut ſcientiam, aut fidem, aut Eleemoſynas, quando ob illa dona inflatis, & ex illis ſalutem ſibi pollicentibus hoc ingerit, *ſi linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & noverim omnia myſteria, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 1 Cor: 13.

§. LV.

Nulla teſſeris, in honorem Deiparæ ſacratis, fit injuria, ſi dicas ſine charitate nihil profuturas.

NUllam Virginis maternitati *Auguſtinus* infert injuriam, quando ait: *nihil materna propinquitas* Mariæ *profuiſſet, ſi non felicius* Chriſtum *corde quam carne geſtaſſet.* Ita quoque nulla roſariis, nulla

ſcapularibus, nullą funiculis aut cingulis, nulla Deiparæ imaginibus fit injuria, ſi quis dicat, hæc nihil profutura, ſi deſit charitas, ſi *Chriſtum* non felicius corde, quam hęc ſymbola carne geſtemus. Scri-
Matt: 12. ptum eſt in Euangelio, quod mater & fratres *Chriſti*, hoc eſt, conſanguinei carnis ejus, cum de illis nunciatum fuiſſet, quod foris expectarent, quia non poſſent eum adire præ turba, ille reſpondit: *quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? & extendens manum ſuper Diſcipulos ſuos, ait: Hi ſunt fratres mei: & quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & mater & ſoror eſt. Quid aliud*
Lib. de *nos docens*, inquit Auguſtinus, *niſi car-*
ſancta vir- *nali cognationi genus noſtrum ſpirituale præ-*
ginitate *ponere: nec inde beatos eſſe homines, ſi*
cap. 3. *Juſtis & Sanctis carnis*. adde veſtis, aut ſymboli, aut etiam divinorum Sacramentorum, *propinquitate jungantur, ſed ſi eorum doctrina ac moribus obediendo atque imitando cohæreſcant.*

§. LVI.

§. LVI.
Proſunt Teſſeræ pietatis, ſi adſit charitas.

PRoderit Virginem Roſarii, Scapularis, Funiculorum geſtatione venerari, ſed ſi Virginis præcepto, *omnia, quæ dixerit vobis, facite*, virginiſque moribus obediendo atque imitando cohęreſcamus. Sicuti linguæ Angelorum & hominum, fides, myſteria, ſcientia, eleëmoſynæ & martyrium ſummam afferunt ſalutem, ſi illis juncta ſit charitas; ita prodeſt Roſarii uſus, Funiculi & Scapularis geſtatio; ſi ille uſus proficiſcatur ex ſtudio Virginis virtutes imitandi, & cum virgine virginis Filium amandi & honorandi. At ſi illorum ſymbolorum uſus ab omni interna pietate ſejunctus ſit, ſi ex nullo motu Spiritus Sancti, ſi ex nullo pœnitendi & ſeſe convertendi deſiderio proficiſcatur, illis rebus fidere, ob illa ſalutem præſumere, non tam Chriſtianum quam Phariſaicum eſt: nec hoc aliud eſt quam carne & non ſpiritu ſervire Deo. *Carne enim*, inquit *Auguſtinus*, *ſervit Deo, qui de rebus carnalibus ſperat ſe placere Deo.* *Serm. 15. de verbis Apoſtolis.*

G 3 §. LVII.

§. LVII.

Multi abutuntur externis pietatis ſymbolis.

NEc quis ſibi perſuadeat iſtis exterioribus ſymbolis aut ſignis ad cultum Deiparæ inſtitutis nullos aut paucos abuti. Non hæc ſymbola feliciora, quam ſunt Sacramenta à *Chriſto* inſtituta: quantus tamen in illis abuſus? Non hæc ſymbola feliciora, quam fides: & quot ſunt, qui illa abutuntur, dum vel unius fidei merito ſe credunt ſalvandos, vel, dum eam turpi vita dedecorant? Non hæc ſymbola feliciora quam ſcientia: & quam frequens in illa vanitas, dum plures illa magis inflantur, quam ædificantur? Non hæc ſymbola feliciora, quam eleëmoſynæ: & quanta in multis ſępe perverſitas, qui Deo ſua per manus pauperum, & ſeipſos per libidines donant diabolo; vel, dum diſtributuri eleëmoſynas, canunt tuba ante ſe, ut videantur ab hominibus? Non hęc ſymbola feliciora, quam Ordines ſacri, quam Presbyteratus & Epiſcopatus, aut quam ſolemnis vitæ Religioſæ profeſſio: & quam lugendi, quam deteſtandi abuſus in rebus ſanctiſſimis? Audiamus *Bernardum*

dum iſtud enarrantem: „ Videas, *inquit*, *Homil: 4. ſupermiſſus.*
„ plerosque in Eccleſia de ignobilibus
„ nobiles, de pauperibus divites factos,
„ ſubito intumeſcere, oblivisci abjectio-
„ nis, genus quoque ſuum erubeſcere, &
„ infimos dedignari parentes. Videas &
„ homines pecunioſos ad honores quoſ-
„ que Eccleſiaſticos pervolare: moxque
„ ſibi applaudere ſanctitatem, veſtium
„ duntaxat mutatione, non mentium: &
„ dignos ſe æſtimare dignitate, ad quam
„ ambiendo pervenerunt; quodque (ſi
„ audeo dicere) adepti ſunt nummis,
„ attribuere meritis. Omitto autem de
„ his quos excęcat ambitio, & honor ipſe
„ ſuperbiendi eis materia eſt. Sed video
„ (quod magis doleo) poſt ſpretam ſæculi
„ pompam, nonnullos in ſchola humili-
„ tatis ſuperbiam magis addiſcere, ac ſub
„ alis mitis humiliſque magiſtri gravius
„ inſoleſcere; & impatientes amplius
„ fieri in clauſtro, quam fuiſſent in ſęculo.
„ Quodque magis perverſum eſt, pleri-
„ que in domo Dei non patiuntur haberi
„ contemptui, qui in ſua non niſi contem-
„ ptibiles eſſe potuerunt: ut quia videli-
„ cet, ubi à pluribus honores appetuntur,
„ ipſi locum habere non meruerunt, ſal-

„tem ibi honorabiles videantur, ubi
„ab omnibus honores contemnuntur.
„Video & alios, quod non ſine dolore
„videri debet, poſt aggreſſam *Chriſti*
„militiam rurſus ſæcularibus implicari
„negotiis, rurſus cupiditatibus terrenis
„immergi, cum magna cura erigere mu-
„ros, & negligere mores, ſub prętextu
„quoque communis utilitatis: verba ven-
„dere divitibus, & matronis ſalutationes;
„ſed & contra Imperatoris ſui edictum
„concupiſcere aliena, & ſua cum lite re-
1 Cor: 6. „petere, non audientes Apoſtolum ex
„imperio regis tubicinantem: hoc ipſum,
„inquit, delictum eſt in vobis, quod cau-
„ſas habetis: quare non magis fraudem
„patimini? ita neque mundum ſibi, & ſe
„mundo crucifixerunt, ut, qui antea vix
„in ſuo vico, vel oppido cogniti fuerant,
„modo circumeuntes Provincias, &
„curias frequentantes, Regum notitias,
„Principumque familiaritates aſſecuti
„ſunt? Quid de ipſo habitu dicam, in
„quo jam non calor, ſed color requiritur,
„magiſque cultui veſtium, quam virtu-
„tum inſiſtitur? pudet dicere, vincuntur
„in ſuo ſtudio mulierculæ, quando à mo-
„nachis pretium affectatur in veſtibus,
non

„ non neceſſitas: nec ſaltem forma Reli-
„ gionis retenta in habitu, ornari, non ar-
„ mari appetunt milites *Chriſti*: qui dum
„ ſe præparare ad prælium, & contra aë-
„ reas poteſtates prætendere paupertatis
„ inſigne debuerant (quod utique adver-
„ ſarii valde formidant) in mollitie veſti-
„ mentorum pacis potius præferentes in-
„ dicium, ultro ſe hoſtibus ſine ſanguine
„ tradunt inermes: nec aliunde hæc o-
„ mnia mala contingunt, niſi quod illam,
„ qua ſęculum deſeruimus, deſerentes
„ humilitatem, dum per hoc cogimur ine-
„ pta denuo ſectari ſtudia ſæcularium, ca-
„ nes efficimur, revertentes ad vomitum.

§. LVIII.

Abuſus præcipuè poſitus in nimia de ſignis externis fiducia.

Hæc præſumptio de externis fuit in Judæis.

EX his licet conficere, nihil Roſario, nihil Scapularibus, nihil Cingulis, nihil detrahi aliis ſymbolis ad conſervationem & augmentum pietatis inſtitutis, ſi dicas non paucos eſſe, qui illis abutuntur, præſertim nimia in illis fiducia.

Non ſolis Judæis illud vitio dandum, quod, dum negligerent majora legis mandata, nihilominus de minoribus, quæ ſibi ſervare videbantur, plus æquo preſumerent. Magnam ſpem divinæ erga ſe benevolentiæ conſtituebant Judei in Circumciſione, in propinquitate *Abrahæ*, in Sacrificiis, in Templo ſuo, in Jejuniis, in Decimis, aliiſque externis ceremoniis, quibus ſe credebant de Deo bene mereri: ut hanc illorum fiduciam everteret Deus, nunc illis exprobrat, quod *omnis*
Jerem: 9. *domus Iſrael incircumciſi eſſent corde.* Nunc,
26. Ezech: 16. quod *Pater* illorum eſſet *Amorrhæus*, *&*
3. *mater Cethæa.* Nunc, quod ſibi *fruſtra*
Iſaia 1: 13. *ſacrificium offerrent: incenſum eſſet ſibi abominatio: neomeniam, & ſabbatum, & fe-*
Jerem: 7. *ſtivitates alias non ferret.* Nunc ait: *nolite*
4. *confidere in verbis mendacii, dicentes: templum Domini, templum domini, templum Domini eſt.* Nunc, ut confundat vanam illorum de jejunio fiduciam, illis exprobrat
Iſa: 58: 3. dicens: *ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis.* Nunc illis inde damnationem minatur, unde maxime ſe contra damnationem ſecuros putabant: *væ vobis*, inquit,
Matt: 23. 23. *Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decima-*

tis

tis mentham, & Anethum, & cyminum: & reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. His aliisque verbis perſtringit Deus perverſam Judæorum de rebus externis fiduciam.

§. LIX.

Eſt quoque in Chriſtianis.

QUam autem Chriſtiani non ſint immunes ab iſto vitio, imo quanta multitudo Chriſtianorum illo peritura ſit, oſtendit Chriſtus: tum Parabola de virginibus fatuis, quæ de corporis puritate præſumentes, audent dicere: *Domine Domine aperi nobis: ſed* reſpondetur illis: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Hoc audiunt, quia deſtitutæ ſanctimonia charitatis præſumpſerunt de decore caſtitatis. Tum parabola de nuptiis, è quibus unus *ligatis manibus & pedibus ejicitur in tenebras exteriores*, non quia deerat exterior apparatus, ſed quia deerat interior veſtis charitatis. Tum terribili illa ſententia: *neſcio vos, unde ſitis: diſcedite à me omnes operarii iniquitatis.* Quam ſententiam Chriſtus in illos

Matt: 25.

Matt: 22.

Lucæ 13.

los uibrat, qui non contendentes intrare per anguſtam portam, ſuæ ſaluti bene conſultum putant, quia manducant & bibunt corpus Domini, & quia in plateis ſuis eum audiunt docentem. Tum etiam

Matt: 7. iſtis verbis terrore pleniſſimis: *nunquam novi vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*; quæ verba Chriſtus pronunciabit contra illos, qui fidentes externis quibusdam officiis dicent, quaſi re bene

Ibid. geſta: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Tum tandem illis diſertiſſi-

Ibid. mis, ſed tremendis verbis: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in Regnum cælorum.*

Nec his ſolummodo Chriſti verbis conſtat plurimos de legis cortice nimium præſumere; idem ex Apoſtololo manife-

2 Tim: 3. 1. &c. ſtum. Nonne ait Apoſtolus? *quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites,*

ſine

ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum magis amatores quam Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Putatisne quod hi, quos tam horrendis coloribus depingit Apoſtolus, ſeipſos tales habuerint? minimè: nam *habentes ſpeciem pietatis*, ſibi etiam perſuaſerunt, *quod* ejus *virtutem* poſſiderenr.

§. LX.

Hoc vitium quoque in Clero.

INter ipſos Sacrorum miniſtros tam multi erant, qui ſuo miniſterio turpiſſimé abutebantur, exiſtimantes *quæſtum eſſe pietatem*, ut non fuerit veritus de illis Apoſtolus ſcribere, *quod omnes quærerent quæ ſua ſunt, & non quæ Jeſu Chriſti.* Si tamen Apoſtolus iſtos quærentes, quæ ſua ſunt, & non quæ *Jeſu Chriſti*, interrogaſſet, num quæ *Ieſu* ſunt quærerent? conſtanter aſſeruiſſent ſe neglectis ſuis commodis quærere ea, quæ ſunt *Ieſu Chriſti.* Ait alicubi S. *Gregorius*, quod Cives Babylonis, hoc eſt damnandi, gerant miniſteria Civium cœleſtis Hieruſalem: *cum quidam in pravis moribus effrænati, locum ſancti*

1 Tim: 6. 5.

Phil: 2: 21.

L. 7. Regiſt. indict. 1. Ep: 34.

cti honoris tenent, atque in ipſis, quæ benefacere videntur, propriam laudem quærunt; quid aliud quam Cives Babyloniæ ſupernæ Hieruſalem angarias abſolvunt? iſti tamen Babylonici, cum in ſancto miniſterio conſtituti ſunt, plerumque ſe putant uni divinæ glorię ſervire, & ſuo miniſterio parem poſſidere ſanctitatem.

§. LXI.

Eſt etiam in Religioſis.

NEc hæc de exterioribus præſumptio in Clero ſolummodo, verum etiam in illis reperitur, qui in ſacco voluntantur; qui mundi opibus publice renunciarunt; qui paupertatem & improperium *Chriſti* prætulerunt mundi opibus. Hanc præſumptionem in viris perfectionem Evangelicam profeſſis, expertus fuerat *Bernardus*, quando exponens illud Joëlis, *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, ait: fra„tres, ſi dixiſſet: convertimini, nihil addens, „eſſet vobis forſitan liberum reſpondere: „factum eſt; jam aliud propone mandatum. „Nunc autem ſpiritualis (ut audio) conver„ſionis, nos admonet, quæ non una die „per-

Serm: 1. *ſeptuag: in cap. Jejunii ſerm*: 2. Joël: 2

„ perficitur; utinam vel in omni vita, qua
„ degimus in hoc corpore, valeat conſum-
„ mari! corporis namque converſio, ſi ſola
„ fuerit, nulla erit: forma ſiquidem con-
„ verſionis eſt iſta, non veritas, vacuam
„ virtute gerens ſpeciem pietatis. Miſer
„ homo, qui totus pergens in ea, quæ fo-
„ ris ſunt, & ignarus interiorum ſuorum,
„ putans aliquid ſe eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe
„ ſeducit. Sicut aqua effuſus ſum (ait Pſal- Pſal: 21.
„ miſta in perſona hominis hujuſcemodi)
„ & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Et a-
„ lius quidam Propheta: comederunt, Oſe: 8.
„ inquit, alieni robur ejus, & ignoravit.
„ Exteriorem quippe ſuperficiem intuens,
„ ſalva ſibi omnia ſuſpicatur, non ſentiens
„ vermem occultum, qui interiora cor-
„ radit. Manet tonſura, veſtis necdum
„ mutata eſt, jejuniorum regula cuſto-
„ ditur, ſtatutis Pſallitur horis, ſed cor
„ longe eſt a me, dicit Dominus. Attende
„ ſolerter quid diligas, quid metuas: un-
„ de gaudeas, aut contriſteris: & ſub ha-
„ bitu Religionis animum ſæcularem, ſub
„ pannis converſionis, invenies cor per-
„ verſum.

§. LXII.

§. LXII.

Plurimi Chriſtiani abutuntur ſigno Crucis nimium illi fidentes.

NEc ſolum de iſtis Monaſticis obſervantiis multi vane præſumunt. Infinitus Chriſtianorum numerus magnam ſpem ponit in uſu ſigni Crucis; quod audiant, *Conſtantinum* illo hoſtes ſuperaſſe, plurimos ſanctos illo curaſſe morbos, fugaſſe Dæmones, & ſuperaſſe tentationes. Verum quam ſancta, quam ſapiens *Conſtantini* & aliorum de Cruce fiducia, tam ſtulta eſt plurimorum Chriſtianorum de Crucis ſigno præſumptio: *Magna res eſt*, inquit *Auguſtinus*, *ſignum Chriſti & Crux Chriſti, & ideo de iſto tam pretioſo ſignaculo res magna & pretioſa ſignari debet: quid enim prodeſt, ſi de annulo aureo ſigillum facias, & putidas paleas intus recondas? quid prodeſt, ſi ſignum Chriſti in fronte & ore geſtamus, & intus in anima peccata & crimina recondimus? multi enim, dum ad furtum aut adulterium vadunt, ſi pedem impegerint, ſignant ſe, & tamen de malo opere non revocant ſe: & neſciunt miſeri, quia includunt in ſe magis Dæmones, quam* *exclu-*

Serm: 215. de tempore.

excludunt. Et alibi egregiè idem *Auguſtinus* : *ſignum ipſum*, inquit, *Crucis in fronte portamus*, *qui illud intelligimus. Hoc dico fratres*, *quia multi illud faciunt*, *&* *intelligere nolunt* : *factorem quærit Deus ſignorum ſuorum*, *non pictorem. Si portas in fronte ſignum humilitatis Chriſti*, *porta in corde imitationem humilitatis* Chriſti. *Aug: ſerm: 20. de diverſis cap. 13.*

§. LXIII.

Signa pietatis requirunt pias cordis motiones.

SIcuti ergo enarrata probant plurimos nimia præſumptione, aut de externo uſu Sacramentorum, aut ceremoniarum, aut Monaſticorum rituum, Deum graviter offendere, quid mirum, ſi etiam plurimi nimium fidant in ſignis & teſſeris ad cultum Deiparæ virginis aliorumve Sanctorum recte inſtitutis? ſanctiſſimus Roſarii uſus,quia ſanctiſſima verba,ex quibus preces Roſarii componuntur: ſed nonne dignum, ut in pronuntiantibus verba, quibus Angelus, *Eliſabeth*, & Eccleſia honorant virginem, ſint ſaltem aliqui pii motus,ab eo ſpiritu procedentes,quo An-

gelus, *Eliſabeth* & Eccleſia virginem venerantur? Nonne neceſſarium, ut ſigna ſive ſymbola ad honorem Deiparæ ſive aliorum ſanctorum inſtituta, adhibeantur ab animo amante virtutes ſive virginis ſive aliorum Divorum? nonne omnino credendum, quod & virgo, & ſancti quęrant factores ſignorum ſuorum, & non geſtatores? nonne certum, quod, dum aut in pectore, aut brachio, aut lumbis geruntur ſigna puritatis, humilitatis, abnegationis & mortificationis, quibus Deipara aliique Sancti claruerunt in terris, & nunc fulgent in cœlis; etiam velint & deipara & ſancti, ut in cordibus ſit quædam imitatio iſtarum virtutum, vel ſaltem quoddam imitationis deſiderium? Adeone abjecte ſentiemus de virgine deipara, aliiſque ſanctis, ut credamus eos nudis ſignis delectari? nonne in hoc conſiſtit miſerabilis Judaica ſervitus, *quod ſigna pro rebus accipiant*? nonne, quod blaſphemum eſt vel cogitare, iſta Judaica ſervitus ſanctis affingitur, quando nobis perſuademus, quod iſta ſigna ſive ſymbola divis placeant, quamvis in nobis nihil ſit eorum, quæ per illa ſigna denotantur? quid enim hoc foret aliud, quam ſigna pro

Aug: l. 3. de doct: Chriſt. c. 5.

pro rebus ſignificatis accipere? nonne abominandum foret, ſi Chriſtianus, aut crucem, aut ſtatuam deiparæ aut alterius ſancti veneraretur, non vero illud, quod per imaginem exprimitur? nonne pariter foret ſtulta, quod ſine horrore non dico, aut deiparæ aut divorum lætitia, ſi ſignis ab omni re ſignificata vacuis delectarentur? Sit ergo certum, nec deiparam, nec divos aut nudis, aut mendacibus ſignis delectari, aut honorari; nec illos quærere aut geſtatores, aut pictores, aut pronuntiatores ſignorum ſuorum, ſed factores, ſed imitatores, vel ſaltem deſideratores illarum virtutum, quibus illi Deum coluerunt, & in quarum memoriam ſigna ſunt inſtituta. Qui aliter ſentiunt, non ſentiunt ex regula veritatis ſed ex ſtultitia vanitatis, nec erga divos devoti, ſed in colendis divis ſunt ſuperſtitioſi. Ne ergo ſis ſuperſtitioſus, ſed erga divos vere devotus, portans in ore, aut pectore, aut lumbis ſigna virtutis Sanctorum, porta & in pectore imitationem virtutis Sanctorum.

§. LXIV.

Virgo vivens cum filio in terris, vix ullos externos ab illo excepit ſavores.

LIcet in antecedentibus non pauca de cultu, quo deipara Deum ſuum coluit in terris, diſſeruerimus; attamen non erit inutile, ſi denuo ea de re tractemus: & ſpeciatim expendamus, quam parcus fuerit *Chriſtus Jeſus*, ut matrem ſuam aut blandis alloquiis, aut externis favoribus recrearet, licet illa tota in hoc fuerit, ut eum coleret religioſiſſime.

§. LXV.

Verba, quibus CHRISTUS *matrem ſuam legitur allocutus, non magnam præ ſe ferunt obſervantiam.*

QUod ad verba attinet, quibus *Ieſus* matrem ſuam eſt allocutus, & quæ leguntur in ſcripturis, illa non blandimenta, non honoris exhibitionem, non ſingularem obſervantiam, non grandem de matre

matre ejus exiſtimationem præ ſe ferunt: unde etiam nonnullis ſanctis viſa ſunt quamdam deiparæ reprehenſionem continere. Verba illa habentur Lucæ 2. ubi matri dicenti: *fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*; non reſpondit ad inſtar conſolantis, aut dolorem mitigantis, aut parentes demiſſe honorantis, ſed grandi auctoritate, & quaſi reprehendentis ſpecie ait: *quid eſt; quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* In *Cana Galilææ* deficiente in nuptiis vino, ut ſponſorum conſulat pudori, mater *Ieſu* ſumma cum modeſtia illi dicit: *vinum non habent*. Et dicit ei *Ieſus*; quę verba? quæ nemo cogitare poſſet à filiorum optimo matrum optimę dici poſſe. Quid ergo? dicit illi, à qua vitam acceperat, cujus lacte paſtus erat, quę cum ipſo fugerat in *Ægyptum*, quæ cum ipſo inde redierat in *Nazareth*, in cujus æde vixerat, communi menſa uſus fuerat, & cui ſeipſum ſubdiderat, &, ut verbo dicam, quacum pleraque communia habebat, tali matri dicit: *quid mihi & tibi eſt mulier?* perinde ac ſi nihil cum illa commune haberet. Quid credis cauſæ fuit, ut *Ieſus* matrem Joan: 2.

iſtum in modum alloqueretur? certe nulla matris vel minima culpa. Nam quod illum quæſierat abſentem, non incredulitatis fuerat, quaſi illum non recordaretur eſſe Deum; ſed fuit materni obſequii ac charitatis: quæ ſciens Dei filium altiſſimo conſilio elegiſſe humanæ naturę & pueritiæ neceſſitatem & infirmitatem, etiam ſciebat, eum elegiſſe, ut ſuæ infantiæ & pueritiæ infirmitatibus & neceſſitatibus materna charitas ſubveniret. Quęſivit ergo illum, non oblita, quis ille eſſet, ſed quia optimè recordabatur, quid ſuo *Jeſu* ex miſericordia iufirmo & indigenti à ſe deberetur. Cum ergo *Maria* quęrendo Filium non peccaverit, in verbis *Jeſu* non vera reprehenſio, ſed tantummodo eſſe potuit quædam ſpecies reprehenſionis.

§. LXVI.

Cur Jesus *Matrem alloquens, uſus fuerit verbis quandam reprehenſionis ſpeciem præ ſe ferentibus.*

Prima ratio.

HAc reprehenſionis ſpecie uſus eſt, *Primo*: ut eum nonnihil excedentem limites

limites obſervantiæ filiorum erga parentes, cogitarent parentibus majorem; & ita eſſe Filium hominis, ut eſſet etiam Filius Dei; ac ita matrem & patrem habere in terris, ut etiam Patrem haberet in cœlis; illiſque ratione carnis aſſumptæ ita eſſe ſubditum, ut ratione divinitatis illi agnoſcerentur ſuo Filio eſſe ſubditi. Ait ergo matri ac patri putatitio: *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* ut ex iſtis verbis & Legiſperiti & Doctores, quorum erat in medio, caperent occaſionem à *Maria* & *Ioſepho* quærendi, quis eſſet *Ieſus*? quomodo per Angelum nuntiatus? conceptus de Spiritu Sancto? per Stellam magis revelatus, & per Angelos paſtoribus euangelizatus? Eadem de cauſa dixit *Ieſus*: *quid mihi & tibi eſt mulier?* ita enim loquens voluit oſtendere, ſe poteſtatem, quâ patrabat miracula, non à matre, ſed accepiſſe à Patre æterno; nec ſe in uſu iſtius poteſtatis dependere à maternis votis, ſed à conſilio Patris omnipotentis.

§. LXVII.

Secunda ratio.

S*Ecundo* : uſus eſt iſta reprehenſionis ſpecie, ut innoteſceret nobis, tam ſummum *Mariæ* ſtudium in colendo ſuo Filio, quam illius ſtupenda humilitas. Nam verbis quaſi durioribus perſtricta à Filio, nihil de ſuo erga illum amore, nihil de ſuo remittens obſequio, ea ipſa verba, non ut dura repellit, ſed ut pretioſiſſima recondit, non in memoria, ſed in corde ſuo. *Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Et cur in corde ſuo? ut ſe oſtenderet non illis offenſam, ſed gaudere ſe illis eſſe inſtructam? ſeque animitus probare, quod etiam ſuo cum dolore, ſuique neglectu æterni Patris negotia perficerentur. O animam religioſiſſimam! O animam ab omni ſui ipſius amore expurgatiſſimam! O animam omnia, quæ *Jeſu* ſunt, honorantem, & in ejus honore minimè de ſuo honore cogitantem! ſic cum in *Cana Galilææ* in omnium preſentia *Ieſus* matrem ſuam humiliaret, quaſi dedignans matris illam nomine honorare, eamque alloquens,

quaſi

quaſi extraneam, cujus preces nullius apud ſe momenti forent; nihilominus ipſa majori ejus gloriæ deſiderio agnoſcitur æſtuare. Cum enim diceret magnæ auctoritatis & parvæ erga matrem pietatis oſtenſione: *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Joan: 2: 4. Quid *Maria*? doletne repulſam? Erubeſcitne quia *mulier*, & non mater vocabatur? Turbaturne, quia *Ieſus* videtur declarare, nihil ſibi cum ipſa eſſe commune? non commota mulieris appellatione, non ob repulſam pudefacta, non læſa his verbis: *quid mihi & tibi mulier?* Quin potius illis ad ejus cultum magis excitata, ait miniſtris: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Itaque commendat obedientiam erga *Ieſum*, dum *Ieſus* ejus exiſtimationem videtur negligere: jubet, ut verba *Ieſu* audiantur, dum *Ieſus* ejus verba quaſi non audit: tamque plena eſt devotionis, & obſervantiæ erga *Ieſum*, ut hæc ejus verba: *quid mihi & tibi eſt mulier?* honoret & adoret tanquam verba Dei Filio digniſſima, & ejus Matri aptiſſimè dicta. Non offenditur ergo illorum verborum apparenti duritia, quin potius recreatur recondita in illis ſapientia, nec in illis in-

venit, quo erubeſcat, ſed ex illis diſcit, quo Filium colat ſubmiſſius. Sui ergo honoris oblita, hanc legem ad Filii ſui ſanxit honorem: *Quodcumque dixerit vobis, facite. Chriſtus* quaſi durioribus verbis ſuam Matrem allocutus eſt, ut illis ſuæ Matris tentata virtus omnibus innoteſceret, omneſque ejus exemplo diſcerent, omnia *Jeſu* verba revereri, ea conſervare in corde, nec unquam dicere

Joan: 6. cum incredulis Capharnaitis: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?*

§. LXVIII.

Animæ CHRISTUM *amanti, nihil durum in* CHRISTI *verbis. Hoc docemur exemplo* MARIÆ.

ANimæ *Chriſtum* amanti nihil durum eſt in *Chriſti* verbis. Firmiſſime credit eum habere verba vitæ æternæ. Et quamvis cum *Maria* & *Ioſeph* non intelligat, quæ dicit *Ieſus*, credit tamen, quæ nondum intelligit, bona eſſe verba. Conſervat ergo ea & confert in corde ſuo. Pulchre *Auguſtinus*, *ſi durus eſt ſermo, &*

In Pſal: 54. *nondum intellectus eſt, durus ſit impio, tibi autem*

autem pietate molliatur: quia quandoque ſolvetur, & fiet tibi oleum, & uſque ad oſſa penetrabit: hoc eſt, ſi audiamus aut legamus verba Dei, & carnis ſenſui dura aut abſurda quædam videantur, tum firmiter credendum, in illis nihil non eſſe ſanctum, nihil non Deo dignum, nihil quod noſtram reverentiam non mereatur. Iſta autem pia credulitate fiet, ut tandem eluceſcat abſcondita veritas, quæ nos ſua luce exhilarabit, & ſuo pane reficiet. Sic *Maria* non intelligens, quæ *Jeſus* ſibi loquebatur dicens: *neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* credit tamen illa verba, licet needum â ſe intellecta, eſſe plena ſapientiæ, illoque digniſſima, qui eſt Patris verbum incommutabile, atque hac pia fide *Maria* perducta eſt ad intelligentiam. Luc: 2: 49.

§. LXIX.

MARIA *ſuo nos docet exemplo, in verbis Dei non cognoſcere, niſi voluntatem Dei.*

DEinde illa animi demiſſione, quâ *Maria* filii ſui verba audivit, eâque veneratione, quâ ejus verba conſervavit in corde

de ſuo, docemur, ne illa à Deo ejusve miniſtris velimus audire, quæ ſunt aut ad noſtram gloriam, aut quæ noſtræ blandiuntur voluntati; ſed tantum ea, quæ aut extirpandis vitiorum radicibus, aut virtutibus conſervandis noſcuntur prodeſſe. Cum *Saul* reprehenderetur à *Samuele*, & cogeretur audire, quę ſuæ ſuperbiæ diſplicebant, ait quidem illi: *peccavi*; ſed magis de ſuo honore quam de animę ſalute
1 Reg: 15: 30. ſollicitus, illico addit: *ſed nunc honora me coram ſenioribus Populi & coram Iſrael.* Hunc ſuperbum Regem plerique potius eligunt imitari, quam humillimam virginem, cui hoc erat auditu jucundum, quod erat ſuę ſaluti profuturum. Hinc etiam plerique aut obmurmurant divinæ juſtitiæ, quæ non permittit ut ſit dedecus peccati, & deſit decus vindictę; vel etiam volunt perverſi, ut Deus rationem medendi peccatis aut conſervandi virtutem ab ægris accipiat. Ab hac perverſitate longe erat regius Propheta, quando Deum orabat, dicens: *viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miſerere mei.* Et *merito*, ait in
Serm: 4. *in Pſal:* 118. citata verba *Ambroſius*, *quia vulnus grande & vetus eſt, & diu ſerpens, perfectioris Medicinæ remedia depoſcit obſecrans, ut Do-*

Domini legitima curatione curetur. Cito refricatur vulnus, quod ſanatum medicinæ lege non fuerit; imo etiam ſeriorem curatio ſentit profectum. Exigit ergo Medicinæ ratio, ut aut ſectione, aut aduſtione curetur. Niſi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, fruſtra Medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus Medicus huiuſmodi ægrum legitime dicit eſſe curandum, ut poſſit Medicina proficere. Lege ergo miſeretur, qui cum juſtitia ſapientiaque miſeretur, ut ea dimittat quæ ſcit jure poſſe dimitti: ne cum alterius miſeretur, ſeipſum legi faciat obnoxium. Agag poſtquam miſeratione donatus eſt, fecit peccare Saul; peccavit enim in ipſa miſericordia, & ideo peccavit poſt miſericordiam. Conſideremus etiam, ne & ipſum deteriorem faciamus, cujus miſeremur injuſte; plerumque, non coercere delinquentes, majoris auſteritatis eſt, quam ſi ulciſcaris. Traduntur enim in paſſiones ignominiæ, qui, cum aliquid inhoneſtum commiſcrint, nullum culpæ pretium ferunt. Denique eos, qui cognitorem Deum ſuorum ſcelerum non putabant, & quaſi ſine judice & ſine lege vivebant, tradidit illos, inquit, Deus in reprobum ſenſum, quia elegerunt viam iniquitatis, viam autem veri-

veritatis eligere noluerunt: hæc *Ambroſius.* Cujus verbis docentur medici animarum, ne præpropera miſericordia, & ſibi ipſis & animabus, quas ſe putant curare, inferant vulnera graviora. Peccatores vero ex illis poterunt diſcere, ut de lege Dei, & non contra legem cœleſtis medici ſua vulnera cupiant ſanari. Si enim ſummo animarum Medico, aut ejus Vicariis præſumant medendi preſcribere leges, ut non de lege Dei, ſed de ſua ſibi cupiant medelam adhiberi, timendum, ne ipſos ſummus Medicus omnino deſerat: nam medendi artem Medicus ab ægro non expectat. Unde egregie idem

In Pſal: 37. *Ambroſius* alibi ait: *nemo dicit Medico corporis ſui quomodo ſit curandus. Novit Medicus, quæ ſingulis vulneribus medicamenta conveniant: cujus ulceris putredo ferro ſit amputanda, ne in totius corporis ſerpat exitium. Si dixerit medicus medicinæ genus, quo curari æger debeat, & ille faſtidiat, diſcedit, & ægrum relinquit*: ita *Ambroſius.* Quem ſi audiant ægri, non volent, ut loquatur ſibi ſacerdos placentia ſed ſalutaria; nec ut videat vana, ſed ut aſpiciat, quæ recta ſunt: & quicumque, ſive juſtus, ſive peccator, in verbis Dei

Dei cum *Maria* non amabit, niſi voluntatem Dei; non alia, ſive à Deo ſive à Dei miniſtris, audire cupiet, quam quæ Deo ad gloriam, & hominibus ſunt ad ſalutem.

§. LXX.

Cur MARIA *non ægrè tulerit, quod à filio, mulier, & non Mater vocaretur.*

QUia *Mariæ* fuit voluntas conſtantiſſima, ut *Ieſus* ſuus nec ſeipſum, nec præcepta, nec verba ſua, ad matris inflecteret arbitrium; ſed potius, ut ejus voluntatem ad ſuam erigeret & dirigeret voluntatem; hinc non ægre tulit, ſe nuſquam ab illo matrem appellari, ne tunc quidem, cum juxta ejus crucem ſtaret, ut ſuum illi teſtaretur amorem. Non enim *Ieſus* ita alloquitur matrem ſibi adſtantem: mater meà, vel ſaltem: mater. Quid ergo? *mulier, ecce filius tuus*, nempe *Ioannes*. *Joanni* vero ait: *Ecce mater tua*, quaſi ipſe eam pro matre non agnoſceret. O ſtupenda *Ieſu* erga talem matrem, pœne dixeram, ſeveritas! quare merito *Mariam* his patheticis verbis *Bernardus* alloquitur: *An non tibi plusquam gladius*

Joan: 19: 26.

Serm: ult: de aſſump. *dius fuit ſermo ille revera pertranſiens animam, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus: mulier ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Ieſu traditur, ſervus pro Domino, Diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuoſiſſimam animam pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra, licet ſaxea, licet ferrea pectora ſcindit?* Poſt hæc vero verba concludit *Bernardus*, *Mariam* fuiſſe in anima martyrem.

§. LXXI.

MARIA *adſtans Cruci maximam oſtendit ingentis animi conſtantiam.*

VErum quamvis hæc verba eam ſummo affecerint dolore, ſuo tamen Filio minimè obmurmurat: nec invidet, aut aliis mulieribus, quas *Ieſus* ſui cauſa afflictas honorifica blandâque compellatione vocat *Filiæ Ieruſalem*, aut latroni, (Lucæ 23: 38.) cui, ob momentaneum obſequium ſibi impenſum, non diu differendum, ſed jam jam concedendum promittit paradiſum, (Ibid: 43.) dicens: *hodie mecum eris in paradiſo*, matre relicta,

relicta, quę illi ſemper fideliſſimè ſervierat, nec dato illi vel verbo conſolationis, vel pollicitatione exilii cito finiendi. Et quo magis ſuſpicias ſublimem *Mariæ* animam: in tantis doloribus nulla in illa imbecillitas; nulli corporis motus indecori; nulla ejulantium lamenta. Triſtem videbas, dejectam non videbas: dolebant materni affectus, ſed decora gravitate: lugebant materna viſcera, ſed integra mentis ſerenitate: feriebantur virginei ſenſus vulneribus Filii, ſed imperturbato ſpiritu, quo amabat & adorabat divinam juſtitiam ſimul & miſericordiam, quæ altiſſimo conſilio deſtinaverant *Chriſti* dolores ad hominum redemptionem. Hæc advertit D. *Ambroſius*, quando ait in obitu *Valentiniani* Imperatoris: *Stabat & ſancta* Maria *juxta Crucem Filii, & ſpectabat Virgo unigeniti paſſionem: ſtantem illam lego, flentem non lego.* Et alibi: *nec minor* Maria, *quam Matrem* Chriſti *decebat: fugientibus Apoſtolis ante Crucem ſtabat, quia expectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem.*

§. LXXII.

Multi pictores in MARIAM *injurii, uti etiam libelli, & ſermones nonnulli.*

EX his patet, quam indignè de *Maria* ſentiant illi pictores vel ſculptores, qui eam exanimem effingunt, & circa eam occupatas feminas ipſumque *Ioannem*, ut illam ab animi deliquio revocent: quamque juſtus foret Epiſcoporum zelus, ſi ad vindicandum *Mariæ* honorem, iſtius generis tabulas aut ſtatuas è Templis ejicerent. Et præſertim ex his conſtat, quam ſint proſcribendi è manibus cultorum virginis iſtiuſmodi libelli, quibus referuntur inſulſæ næniæ, ineptaque lamenta, quibus inſtar mulieris doloribus dementatæ ſuam ſuique Filii mortem fingitur deplorare. Et minus ferendi Eccleſiaſtæ, qui tam abjectè de *Maria* ſentiunt, ut ſe non credant in illam injurios, quando pro concione eam repræſentant victam doloribus, deficientis animi motibus indecoram, nec ea loquentem, quę decent matrem æternę Sapientiæ. Dum cogito tam indignis Deiparam picturis, ſtatuis, libellis & ſermonibus non-

nonnunquam inhonorari, merito vereor, ut tam multi ſint, à quibus ſapienti devotione colatur, quam qui pro ejus cultu ſibi videntur quam maximè decertare. Unde tales ſibi timeant, ne pro virginis honore contendentes, ſæpe tam enormiter peccent in verum virginis honorem, ac Phariſæi peccabant in *Moyſem*, quando pro *Moyſi* gloria contra cæcum, qui *Chriſti* cultor erat, decertantes ajebant: *nos autem* Moyſi *diſcipuli ſumus*. Uti enim Joan: 9. 28. iſti ignorabant, quæ res *Moyſis* diſcipulum conſtitueret, ita nunc neſciunt plurimi, quis cultus Virgini acceptus, quibus illa optet laudibus, quibus imaginibus, quibuſve picturis celebrari: aut ſi ſciant quis cultus deceat Virginem, deeſt pietas ad illum vindicandum. Pauci enim ſunt, quorum pietas ſcientiæ lumine, & quorum ſcientiæ lumen fulget pietate, *Epla* 105. *ad Sixtum.* juxta illud *Auguſtini*: *ſcienter pius & pie ſciens*. Sed ad virginem revertatur oratio.

§. LXXIII.

Maria *etiam poſt filii ad cœlos aſcenſionem vixit, ignota mundo.*

NOn ſolum toto tempore, quo *Maria* cum filio vixit, vixit abjecta, verum

quod magis mireris, illo jam mortis triumphatore, jam ſedente ad dexteram Patris, nihilominus vivit miſerrima. Audit calumnias de ablato â Diſcipulis *Ieſu* corpore, quas finxerunt Judæi ad obſcurandam gloriam reſurgentis *Ieſu*. Quotieſcumque Diſcipuli trahuntur ad tribunalia, flagellantur, lapidantur, proſcribuntur & occiduntur *pro nomine Ieſu*, toties *Maria* inhonoratur; illoque afficitur dedecore, quo filii ejus memoria violatur.

Sed forſan apud fideles tanto erat in majori gloria, quo apud infideles magis abjecta. Apoſtoli fulgent miraculis, *Maria* nullum edit miraculum. Apoſtoli prædicant, *Maria* ſilet. Apoſtoli veluti orbis magiſtri magnificantur à populo, de *Mariæ* laudibus ſilent Acta. Ad Apoſtolos confluunt populi, alii ut eos linguis audiant loquentes, alii ut illorum umbra adumbrati à morbis liberentur, alii ut ſalutis audiant doctrinam, alii ut invictam eorum mirentur conſtantiam, qua nunc
Act: 5: 29. dicunt Principibus ſacerdotum, *obedire oportet Deo, magis quam hominibus*; nunc *eunt gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. At circa *Mariam* nullus legitur

con-

concurſus: manet illa in ſuo ſeceſſu, in ſuo ſilentio. Et ſic decebat: nam docere *Mariæ*, quia femina erat, non conveniebat. Nec etiam oportebat illam in terris viventem fulgere miraculis, quia, uti ait *Divus Thomas*, tunc temporis erat confirmanda doctrina *Chriſti*: & ideo ſoli *Chriſto* & ejus diſcipulis, qui erant bajuli doctrinæ *Chriſti*, conveniebat miracula facere. *3 Part. q. 27. a. 5. ad 3.*

§. LXXIV.

MARIA *à Diſcipulis* CHRISTI *non legitur in ſacris literis magnopere culta fuiſſe.*

AT dices: *Mariam* ſummo honore ab Apoſtolis aliiſque Diſcipulis fuiſſe cultam, dum eſſet in medio illorum. Aliud indicant Acta Apoſtolorum, uti obſervat *divus Bernardus*: „ Legis, inquit, in „actibus Apoſtolorum, quod redeuntes à „monte Oliveti unanimiter perſeverabant „ in oratione. Qui? ſi forte *Maria* affuit, „ nominetur prima, quæ ſuper omnes eſt, „ tam filii prærogativâ, quam ſuæ privile-„ gio ſanctitatis. *Petrus* & *Andreas*, ait, „ *Iacobus & Ioannes*, & cæteri, qui ſe- *Dom: infra Oct: Aſſ: B. V. M.*

„ quuntur: hi omnes perſeverabant una-
„ nimiter cum mulieribus, & *Maria Ma-*
„ *tre Ieſu*. Itane & mulierum ſeſe ultimam
„ exhibebat, ut noviſſima omnium po-
„ neretur? Vere carnales adhuc Diſcipu-
„ li, quibus necdum ſpiritus erat datus,
„ quia *Ieſus* necdum fuerat glorificatus,
„ quando facta eſt inter illos contentio de
„ primatu: cum *Maria*, quanto major
„ erat, humiliaret ſe, non modo de om-
„ nibus, ſed & præ omnibus. Merito fa-
„ cta eſt noviſſima prima, quæ, cum prima
„ eſſet, omnium ſeſe noviſſimam faciebat.
„ Merito facta eſt omnium domina, quæ
„ ſe omnium exhibebat Ancillam. Meri-
„ to denique ſuper angelos exaltata eſt,
„ quæ & infra viduas & pœnitentes, infra
„ eam, de qua ejecta fuerant ſeptem Dæ-
„ monia, ineffabili ſeſe manſuetudine in-
„ clinabat. Obſecro vos filioli, æmula-
„ mini hanc virtutem. Si *Mariam* diligi-
„ tis, ſi contenditis ei placere, æmula-
„ mini modeſtiam ejus: nihil enim tam
„ idoneum homini, nihil tam congruum
„ Chriſtiano, maximeque monachum ni-
„ hil adeo decet.

§. LXXV.

§. LXXV.

MARIÆ *in terra viventis virtutes occultæ.*

EX his, quę huc uſque diſſeruimus, haud difficulter colligitur, *Mariæ* virtutes, dum in terris viveret, fuiſſe occultiſſimas. Eam laudavit Angelus, laudavit *Eliſabeth*, ſed hęc ſine arbitris peracta ſunt. Laudavit illam in publico mulier, exclamans: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*; ſed mens mulieris erat à filii magnitudine matrem commendare: & quia illam à quadam carnis dignitate, & non ab animi præſtantia laudabat, ad ejus encomium appoſuit *Chriſtus*: *quin imo Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Atque ita quodammodo obſcuravit, quod mulier in ſuæ matris laudem effuderat. Grandi elogio virtutes ſui Baptiſtæ *Chriſtus* proſecutus eſt: nunc de illo dicens, quod erat *lucerna ardens & lucens*; nunc quod *pluſquam Propheta*; nunc eum eſſe, de quo ſcriptum: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, nunc aſſerens: *non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta.*

Luc: 11:27.
Ibid: v. 28.
Joan: 5:35.
Matt: 11.9.
verſu 10.
verſu 11.

Non ſolum *Ioannem*, ſed & *Petrum* *Chriſtus* magnis laudibus celebravit, illi
Matt: 16: 17. dicens: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Et iterum: *tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Centurio quoque meruit, ut publice hoc ſibi tribueret encomium: *A-*
Matt:8:10. *men dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Nonne & *Magdalenæ* laudes fuſè in convivio refert, ejuſque virtutes ſui hoſpitis virtutibus præfert? nonne illi e-
Luc: 7: 47. tiam ſublime tribuit elogium, *dilexit multum?* nonne alias mulieres à ſua in eum
Matt:9:22. fide laudavit? dicens illis, aut: *confide filia, fides tua te ſalvam fecit.* aut: *O mu-*
Matt: 15: 28. *lier, magna eſt fides tua! fiat tibi ſicut vis.* Matrem ſuam nunquam legitur laudaſſe. Cur hoc? ut, dum viveret in terris, virtus ejus maneret occulta.

§. LXXVI.

Non fuit MARIA *iſtis externis donis uſa, quibus opinio Sanctitatis acquiritur.*

EAdem de cauſa non iſtis illam donis, virtutibus, & operibus decoravit, qui-

bus

bus nomen & opinio ſanctitatis acquiritur, quibus veneratio hominum obtinetur, & quibus humana gratia paritur. Fuit quidem virgo & Mater, ſed latuit virginitas, & credita fuit de *Joſepho* & non de Spiritu Sancto concepiſſe. Erat ſpiritu pauperrima, ſed ejus paupertas non voluntatis merito, ſed probroſæ neceſſitati fuit attributa, & hinc ei *non erat locus in diverſorio.* Erat ſapientiſſima ad contemplationem rerum cœleſtium, ſed inſtar opificum manu victum quærens, de cibo ventris, & non de cibo mentis, cogitare credita fuit. Guſtabat delicias interni ſeceſſus, ſed ſedens in fabri officina, putabatur nonniſi fabrilia mente tractare, & inter malleorum ſtrepitus obſurdeſcere ad cęleſtia. Veſtitus, victus, & domicilium, erant ex præſcripto exactiſſimæ abſtinentiæ; ſed contemptum illi afferebant, quia non temperantiæ ſtudio electa, ſed dura & inevitabili ſorte credebantur impoſita. Vigiliis, jejuniis & orationibus erat intenta. ſed vigilabat, jejunabat & orabat omnibus inſciis: unde ex vigiliis, orationibus, & jejuniis nulla accedebat opinio ſanctitatis. Erat ergo virgo, ſed ſine fama puritatis. Erat Dei

para, ſed coram hominibus uxor & mater fabri. Erat pauper, ſed cum opprobrio. Erat humilis, ſed habita vilis: ſolitaria & ſilens, ſed in urbe, in officina, in ſtrepitu fabrorum. Erat ſapiens, ſed latebat ſapientia. Erat fortis ad martyrium, ſed nullis includebatur carceribus, in nullis exponebatur cataſtis, ne publice tentata ejus virtus publice innoteſceret. Nullam ergo Deipara, ſi *Eliſabetham*, & aliam excipias mulierem, ab hominibus, dum vixit mortalis, laudem retulit: nullum ei ſua virtus commodum attulit, non honorem, non victum, non amictum. Legitur ob ſuam paupertatem à diverſoriis fuiſſe repulſa; ob ſuam virtutem in nullius domum legitur fuiſſe invitata. Erat ergo ſancta, ſed ſine fama ſanctitatis. Non fuit culta dum viveret, ut poſt mortem à mortalibus coleretur devotius; ut de ejus virtute, nunc tanto ſublimius ſentiretur, quanto, dum viveret, fuit obſcurior.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

MARIÆ *virtutis excellentia probatur, quia à fama aut honore, aliisve mundi bonis, nullum ad virtutem accepit incitamentum.*

ET vero non aliunde magis eluceſcit ſuperexcellens ejus ſanctimonia, ſive puritas charitatis, quam quod ejus erga *Chriſtum* devotio, erga Deum religio, erga virtutes ſtudium, nulla acceperint incitamenta, ſive à fama ſanctitatis, ſive ab humano die, ſive ab externis honoribus, ſive à terrenis commodis, aut ſolatiis: nam his omnibus Virgo fuit deſtituta. Omnia bona, quæ à Virgine proceſſerunt, quæcumque virtus, quæcumque virtutis opera; illa omnia proceſſerunt è charitate defæcatiſſima. Fit ſæpe, ut etiam ſanctiores animæ ad opera virtutis ferantur incitatius, dum illorum virtus honoratur, dum ei favet aura popularis, dum terrena ſolatia promeretur. Plurimi humilia opera exercent libenter, ſi inde audiant humiles: verum ſi deſpectum afferant, ſi credantur provenire ex officio ſervili, & non ex libero virtutis exer-

exercitio, ſtatim ab iſtis operibus refugit animus, nec illis amplius delectatur, quia per illa non ſuſpicitur, uti humilitate ſublimis, ſed deſpicitur uti mercenaria aut ſervili ſorte abjectus.

§. LXXVIII.
Externa pietatis ſigna multi gerunt, quia ob illa honorantur.

CRrucis ſignum â plurimis geritur, non quod ament crucis opprobrium, ſed quia ab ipſo Chriſtianæ humilitatis ſignaculo, quod nunc Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas condecorat, gloriolam aucupantur. Plurimi circumeunt in pellibus caprinis, in melotis, in ſacco & cilicio, ſed ſine contemptu; imo ab illis majorem mutuantur honorem, quam nobiles ab auro & gemmis, â rhedis & equis, à ſervis & ancillis. Nam qui illa geſſerunt ſancti, ut per illa mundo vileſcerent, & inſtar ſtultorum deſpicerentur; nunc feſtis ſolemnibus in Eccleſia culti, ſuas melotas in ſanctimoniæ ſymbola, ſuas pelles in cœleſtis ſapientię teſſeras, ſuos ſaccos in pallia Chriſtianę Philoſophiæ, & ſua cilicia in ex-

expurgatæ religionis ornamenta commutarunt, &, unde ſibi ipſis contemptum, dum viverent mortales, inde venerationem ſuis Diſcipulis, jam facti immortales, obtinuerunt. Illi itaque, qui ſanctimoniam publice profeſſi ſunt, habent â ſuæ profeſſionis ſymbolo incitamentum famæ, & tanto ad illos favores mundi accedunt copioſius, quanto firmius creduntur eſſe, quod apparent.

§. LXXIX.

Virgo, quo magis creditur eſse, quod apparet eſſe, eo magis vileſcit.

AT virgo, quo magis credebatur eſſe, quod apparebat, eo magis erat neglectui. Apparebat conjugata, ne honoraretur virgo. Concepiſſe ex *Joſeph*, ut neſciretur obumbrata virtute Altiſſimi; veſtis erat vulgaris, ne inſolita afferret famam. Aratra & juga fabricabat filius, ne Deipara coleretur. Sedebat in officina, ne ſalutaretur *gratia plena*: erat cum *Ioſeph*, ne putaretur Dominus cum illa. Seruabat tempora purgationis, ne *in ſplendoribus ſanctorum* genuiſſe crederetur. Offerendo expletis diebus purgatio-

nis

nis par turturum, fit ſicuti una cæterarum mulierum, ne honoretur, ut *benedicta inter mulieres*. Dum ſecundum conſuetudinem dierum feſtorum cum ſuo *Ieſu* aſcendit ad templum, ſuæ ipſius dignitati quaſi detrahit, ne agnoſcatur mater ejus, qui & templo major, & finis eſt tum legis, tum prophetarum. Omnis ergo gloria ejus ab intus fuit. Non claruit miraculis, ut Apoſtoli; non fama ſanctitatis, ut *Ioannes*. In toto vitæ ejus decurſu nihil apparuit ſingulare, nihil diſtinctum à virtute communi, ut nihil oſtentans ſecretum à cæteris, non obſervaretur â cæteris.

§. LXXX.

Infirmæ virtuti aura popularis, & nonnulla terrena commoda utilia.

Illis, quibus ineſt peccati illecebra, & quoddam virtutis faſtidium, utile eſt, & ſæpè neceſſarium, ut illorum bene agendi propoſitum à favoribus hominum, ab honore virtuti delato, à terrenis commodis, veluti à quibuſdam bonæ vitæ, aut præmiis aut ſolatiis nonnullum accipiat ad-

adjumentum : atque ita, quod internæ deeſt ſanctitati, per externa adminicula ſuppleatur. Et quia inconſtantia concupiſcentiæ ſæpe pervertit ſenſum ſine malitia, prodeſt plurimis, imo multis neceſſe eſt, ut ſua vota caſtitatis, paupertatis & ſui ipſorum abnegationis, ſolemni profeſſione diſtinctoque habitu publice manifeſtent; ne ſine ſummo ſuo pudore illa poſſint violare; nec ab eo, quod ſemel Deo promiſerunt, reſilire; niſi velint ſuam famam omnino proſtituere, & inter hoſtes fidei Catholicæ vitam vivere deſpectam, non ſub ſuavi directione pii Superioris, ſed ſub violenta tyrannide alicujus *Zantippæ*; non in Religioſa paupertate, ſed in probroſiſſima mendicitate; nec in choro pſallentium Fratrum, ſed in turba prolium præ nuditate ac fame ejulantium. Decet ergo Chriſtianam prudentiam humanæ infirmitati, quæ metu amittendi, aut famam, aut victum & amictum, ſæpe in grandia prolabitur peccata, ab eo ipſo timore arma conquirere, quibus firmetur in bono, fiatque, timore malorum robuſta, quæ eorum metu ſolebat eſſe imbecilla.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Deiparæ virtus non eget humanis adminiculis.

VErum Deipara his adminiculis non eguit: nam concupiſcentia per chariſſimum fortiſſimumque charitatis imperium in ea aut omnino fuit ſuppreſſa, aut omnino extincta: ſuppreſſa ſecundum *D.Tho*: ante incarnationem; extincta autem, in ipſo incarnationis momento. Virtus itaque & virtutis opera, quibus Deo ſplenduit anima Virginis, nullum ab humano timore, nullum ab humano favore accepere auxilium.

Quicquid in illa virtutis fuit, divinum fuit: nihil ei mundus contulit, ſed omnia Spiritus S^s^. Per amorem ab illo diffuſum, fuit ſancta. Per ſolum illum amorem conſtans in ſanctitate. Per ſolum illum amorem ſpiritu pauper, patiens in doloribus, fortis in adverſis. Per ſolum illum amorem humilis in ſumma maternitatis dignitate. Per ſolum illum amorem rebus intenta cæleſtibus. Per ſolum illum amorem vixit & mortua eſt. Nihil ejus virtutibus ſibi mundus potuit vindicare, quia toto mundo longe ſuperior, nihil aut concupivit, aut timuit à mundo.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Deſcriptio virtutum Deiparæ.

HÆc inſinuat *Ambroſius*, quando ait ejus corpori contra violentiam, non moribus ad ſanctimoniam, cuſtodes eſſe datos: eam ab omnibus didiciſſe, ſed ſeipſâ magiſtrâ, hoc eſt, eam profeciſſe ex verbis & moribus omnium, quos videbat & frequentabat, quia unctio ejus, ſive charitas ejus, omnibus utebatur ad profectum: ſi videbat mala, movebatur ejus charitas ad dolorem de illis eliciendum; ſi bona, ad Deum in illis glorificandum; totus mundus ipſius amori liber erat, in quo divinas laudes legebat & celebrabat. Sed audiamus *Ambroſium*: *Domeſtico*, inquit, *operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu, nullo meliore tamen ſui cuſtode, quam ſeipſa: quæ inceſſu affatuque venerabilis, non tam veſtigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat virgo membrorum cuſtodes ſuorum, morum autem ſuorum ſe habeat ipſa cuſtodem. Plures erunt, de quibus diſcat, ſi ipſa ſe doceat; quæ virtutes magiſtras habebat, quidquid egerit, diſciplina eſt. Sic intendebat* *Lib. 2. de Virgin.*

 omni-

omnibus, quaſi à pluribus moneretur: ſic implebat omnia virtutis officia, ut non tam diſceret quam doceret: hæc *Ambroſius*, ut oſtendat magiſtrum & cuſtodem virginis fuiſſe in corde virginis; omnia ei fuiſſe ad inſtructionem, quia ejus ſpiritus ex omnibus hauriebat ſcientiam ſalutis; eam ſui ipſius fuiſſe cuſtodem, quia Dei amor perpetuus ei monitor erat, ut id ſolum eligeret, quod Deo maxime placebat.

§. LXXXIII.

Virgo omnibus Sanctis Sanctior.

NOn erit difficile ex illis, quæ hactenus in laudem Deiparæ enarravimus, colligere, eam omnibus ſanctis, ſive hominibus, ſive Angelis eſſe majorem.

Hominibus quidem, quia ſanctificata in utero, deinde nata in mundo, ab omni peccato, etiam veniali vitam vixerit immunem, & tam defæcatam habuerit charitatem, ut in omnibus operibus non niſi Deum attenderit, nec ad fortiter patiendum, nec ad ſancte agendum, quicquam virium mutuaverit, aut ab hominum exemplo, aut à famæ ſtudio,

aut

aut à commodorum ſolatio. Omne auxilium, quo ſummos dolores pertulit patientiſſime, & maxima opera egit perfectiſſimè, ab uno & ſolo hauriebat amore. Quæ animi puritas nulli certè ſanctorum unquam fuit conceſſa.

§. LXXXIV.

MARIA *ſanctior Angelis.*

ANgelis vero maior eſt, quia Angelorum virtus non per longa crevit incrementa: *Maria* vero per ſexaginta annos fuit de virtute in virtutem aſcenſiones in corde ſuo diſponens: ſemper quidem *gratia plena*, ſed tamen ſemper ſitiens & eſuriens juſtitiam. *Quamvis Mater Domini*, inquit *Ambroſius*, *diſcere tamen præcepta Domini deſiderabat; & quæ Deum genuerat, Deum tamen ſcire cupiebat*, nempe ut magis magiſque eum ſciens, magis magiſque adamaret. Unde non immerito de illa dici poteſt, quod *Maria* jugiter profecerit ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Angelorum virtutem nulla exercuerunt exilia, nulla inopia, nulli dolores; *Ma-* *Supra.*

ria virtutes exilii & inopiæ ærumnis, & doloris gladio fuere tentatæ. Angeli Angelis tam venerabiles apparebant, quam revera erant venerandi; *Maria* hominibus tam vilis apparebat, quam erat colenda. Angeli boni à bonis Angelis amabantur, à malis timebantur; Deipara â bonis hominibus vix noſcebatur, à malis uti pauper, uti mater Crucifixi, probris & ignominia afficiebatur.

§. LXXXV.
Meritò Eccleſia diverſis feſtivitatibus Virginem colit.

MEritò ergo Eccleſia Catholica Deiparam credit hominibus angelisque majorem, eamque uti horum illorumque Dominam ac reginam ſalutat & veneratur, variiſque feſtivitatibus virginis vitam fideli populo jubet repræſentari, ut â *Maria* ſumant exempla vivendi, in qua tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, oſtenſumque quid corrigere, quid effugere, quid in ſuis moribus debeant tenere. *Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei matre?* inquit *Ambroſius*: *quid ſplendidius* *Supra.*

ea,

ea, quam ſplendor elegit? quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generavit? Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens. Intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere; nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere majoribus, natu æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit à propinquis? quando faſtidivit humilem? quando deriſit debilem? quando vitavit inopem? Eos ſolos ſolita virorum cœtus inviſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: ut ipſa corporis ſpecies, ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac primo prætendat ingreſſu, nihil intus latere tenebrarum: ut mens noſtra

nullis retinaculis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus poſita, foris luceat. Quid ergo exequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? illic nulla intermiſſa tempora, hinc congeminatos jejunio dies? Et ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delitias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit: ut tamen, cum quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo neſcia, niſi cum ad Eccleſiam conveniret, & hoc ipſum cum parentibus aut propinquis.

§. LXXXVI.

Oſtenditur utilitas feſtivitatum & ſodalitatum ad honorem Deiparæ inſtitutarum.

EX his aliiſque pluribus, quæ in laudem Virginis refert *Ambroſius*, abunde probatur, quam juſtis de cauſis Eccleſia non unum, ſed diverſos feſtos dies in honorem Deiparæ inſtituerit, nempe non ſolum

lum in memoriam incarnationis, quam Eccleſia præſertim intendit, ſed etiam, ut in illorum uno nunc hæ virtutes, in aliis nunc iſtæ & illæ ad imitationem fidelibus proponerentur. Eadem de cauſa fideles in quibuſdam etiam ſodalitatibus confœderantur, ut quaſi agmine facto virginem devotius honorent, & mutuo ſtudio ac exemplo excitentur ad virginis virtutes in ſuis moribus exprimendas. Et ſi humana fragilitate â pietatis tramite ab erraverint, ſodalium precibus ac monitis reducantur in viam.

§. LXXXVII.

Cultoribus Deiparæ cavendum, ne tenaciores ſint eorum, quæ ipſimet ad honorem Deiparæ inſtituerunt, quam quæ Deus, aut ad ſuum aut ſuorum Sanctorum inſtituit honorem.

ILlud tamen nonnullis Deiparæ cultoribus ſtudioſe cavendum, nempe, ne certos ritus certaſque preces, quas ex proprio duntaxat arbitrio ſibi ipſis prȩſcripſerunt, multo majori ſervent fidelitate, quam

ipſa mandata legis æternæ, aliave ipſius Dei aut Eccleſiæ Præcepta. Sæpe amor proprius, ſæpe præceps quædam & cœca devotio homines magis reddit tenaces eorum, quæ ipſimet ad colendum Deum excogitarunt, quam illorum, quæ incommutabilis æquitas, aut Eccleſiæ ſapientia ad hominum ſalutem Deique gloriam ordinavit. *Saul* motu proprio impulſus, ut glorioſius triumphet de hoſte per *Jonatham* filium ſuum verſo in fugam,
1 Reg: 14: 24. adjurat populum dicens: *maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis.* Hoc jejunium ex præcipiti & temeraria devotione, ſine ulla conſultatione ſive Sacerdotum, ſive Seniorum populi, ſive alicujus Prophetæ, *Saul* inſtituit. Erat etiam hoc jejunium fini, ad quem illud dirigebat, contrarium, nam ſi potuiſſet populus de præda hoſtium ſeſe reficere, ad eos inſequendum vegetior fuiſſet; juramento autem Principis adſtrictus, ab hoſtium cœde majori per inediam deficientibus viribus fuit prohibitus. Attamen hujus jejunii, à ſe licet temerarie ſanciti, adeo fuit obſervator & exactor religioſus ſive potius ſuperſtitioſus, ut filium ſuum, qui

ſolus

ſolus cum armigero ſuo integrum hoſtium exercitum mirabiliter protegente ſe Deo profligaverat, voluerit occidi, licet neſcium latæ à patre legis; & licet nonniſi in ſummitate virgæ, quam gerebat manu, paululum mellis guſtaſſet, quando præ inedia ejus oculi caligabant, eumque præ pugnæ diuturnitate corporis vigor defecerat. Tam rigidus jejunii à ſe inſtituti *Saul* fuit obſervator; cum interim Dei mandatum violaret; nunc holocauſtum offerendo, nunc parcendo *Agag* Regi *Amalec*, optimiſque gregibus ovium & armentorum.

§. LXXXVIII.

Familiare hominum vitium Dei mandata negligere, & ea ſervare, quæ ipſi ad Dei cultum inſtituunt.

NOn unus *Saul* irreligioſus fuit in violandis Dei mandatis, dum interim legem à ſe de jejunio latam vellet religioſiſſime obſervari. Omnes Phariſæi eodem vitio laborarunt. Toti in eo erant, ut mandata & doctrinas hominum, de la- Marc: 7: 8.

vandis ante menſam manibus, de baptiſmatibus calicum & urceorum exactiſſimè exequerentur: leges vero Dei de miſericordia proximis exhibenda, de juſtitia illis ſervanda, de cavenda hypocriſi, judiciis temerariis, avaritia, ac ſuperbia ſuſque deque habebant. Ita quoque inter Chriſtianos videris plurimos, qui leges, quas ſibi-ipſis ponunt, ut hunc iſtumve divum colant, aut ſtatis jejuniis, aut certarum precum recitatione, ſervant ad amuſſim; qui tamen quaſi aquam bibunt iniquitatem, nunc adulteriis & fornicationibus ſeipſos polluentes, nunc abſorpti à vino, jam blaſphemiis horrendi, modo parati ad duella, tum detrahendo fundentes proximi ſanguinem, non corporis ſed honoris, tum aliis criminibus abominandi. Quid autem illos poteſt deterrere à violatione legum, quas ſibi ipſis poſuerunt, cum interim ſint audaciſſimi ad violanda Dei mandata? Profecto non timor Domini, non charitas, non religio. Non timor: nam ille eſt initium ſapientiæ. Quid autem ſtultius, quam Dei æquiſſimam & & ſapientiſſimam voluntatem humanis poſtponere inſtitutis? Non amor Dei: nam plenitudo legis eſt charitas. Quî ergo

go poſſet illa impellere, ut Dei legem humanis legibus poſthaberes? Non etiam Religio: nam origo Religionis eſt fides, ſpes,& charitas,unde ait *Aug*:,quod Deus non colatur niſi *fide,ſpe,& charitate*. Quid autem magis contra fidem, quam ut magis reverearis humanum placitum, quam Dei decretum? Quid magis contra ſpem,quam ut gerens animum obfirmatum in rebellione contra Deum, ſperes ſalutem ex arbitrario officiolo pietatis? Quid magis contra charitatem, quam ut, odio habens veritatem præcipientem, æternamque juſtitiam, tibi pollicearis vitam æternam, quia amas legem, cujus ipſe es auctor? Si ergo nec Dei timor, nec amor, nec Religio movent, ut humanas leges divinis præferas, quid poteſt Chriſtianos, dum ita ſe gerunt, ac ſi non vererentur Dei leges prævaricari, in humanis inſtitutis reddere exactos, quam illi ipſi affectus, qui *Saulem* & Phariſæos legum à ſe inſtitutarum reddiderunt cultores ſtudioſiſſimos, quamvis Dei leges aut præ cęcitate neſcirent, aut præ cordis perverſitate contemnerent? Hi autem affectus non fuêre alii quam amor proprius, quam occulta ſuperbia, quam ſuperſtitio & hypocriſis, ſor-

In Enchirid: c. 3.

ſordidi animarum morbi, quibus tamen & *Saul* & Phariſęi Deum credebant egregiè à ſe coli, illiſque ejus amicitiam ſe maximè promereri. Quare etiam tam *Saul*, quam Phariſæi pro deuteroſibus ſuis ſtudioſiſſimè contendebant, & de illis, qui eàs non obſervabant, magno rigore pœnas repetebant.

§. LXXXIX.

Multi peccant patrocinio Sanctitatis.

NEmo mirabitur Virginis cultum à nonnullis iſtis vitiis deturpari, qui cogitabit tempore *Auguſtini* nonnullos fuiſſe, qui, uti ipſe aiebat, peccabant patrocinio ſanctitatis. *Tanti viri Davidis, peccatum* inquit, *non tacetur, prædicatur in Eccleſia. Audiunt male viventes, & quærunt ſibi patrocinia peccandi, attendunt unde defendant, quod committere paraverunt, non unde caveant quod non commiſerunt, & dicunt ſibi: ſi David, cur non & ego? inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit, quia David fecit, ideo pejus quam David fecit. Dicam hoc ipſum, ſi potero, planius. David nullum ſibi ita ad exemplum propoſuerat, ut tu. Ceciderat*

In Pſal: 50.

lapſu

lapſu cupiditatis, non patrocinio Sanctitatis. Tu tibi tanquam ſanctum proponis ut pecces, non imitaris ſanctitatem, ſed imitaris ruinam. Hoc amas in David, quod in ſe odit David. Præparas te ad peccandum, diſponis peccare: librum Dei, ut pecces, inſpicis: ſcripta Dei ad hoc audis, ut facias, quod diſplicet Deo. Hoc non fecit David: hæc Auguſtinus. Ex cujus verbis conſtat fuiſſe nonnullos adeo abſurdos, adeo turpes, ut amarent in *Davide*, quod *David* in ſe odit, illumque ſibi non exemplum pœnitendi, ſed peccandi proponerent; cum tamen ſit *David*, ut alibi ait *Auguſtinus* non peccandi forma ſed pœnitendi. *Lib: 22. contra fauſtum c: 97.* Non poſſunt quidem homines ſibi Deiparam peccandi formam proponere, cum nunquam peccaverit, ſed nonnulli adeo perverſi ſunt, ut per ejus favorem ſibi promittant per totam vitam ſecuritatem peccandi, & in extremis gratiam ſanctè moriendi. Et hæc ſibi ipſis pollicentur, quia Virginem quibuſdam precum formulis, & externis ritibus colunt, dum Dei honorem ſummis violant criminibus. O deteſtanda cœcitas! non advertere, quod talis cultus tantum Virgini diſplicet, quantum illa Dei honorem ſuo præfert honori.

honori. Gaudent Dæmones, gaudent perverſi homines, quod ipſorum veneratio divino præferatur honori: at illud nemo Sanctus, & minus Sanctorum Regina probare poteſt. Imo, imo, non poſſunt, illud non maximè deteſtari. Horribilis foret blaſphemia, ſi quis crederet, quod ſanctorum aliquis ac præſertim Sanctorum Regina, ſine averſione maxima poſſet videre, quod ipſa magis amaretur, timeretur & coleretur, quam Deus & Dominus ſuus. Novit ipſa & maximè amat amoris, timoris & cultus ordinem. Nihil magis inordinatum, & iniquum, quam ut illud magis ametur, timeatur & colatur, quod immenſo intervallo minus eſt amandum, timendum, & colendum. Scit humillima & caſtiſſima Virgo modum ſuum: ſcit ſe eſſe creaturam, adeoque ſe infinities minus eſſe amandam, timendam & colendam, quam amandus, timendus, & colendus eſt Deus ſuus. Si ergo ipſa ſe videat à quoquam magis amari, timeri, & coli quam Deum ſuum, ejuſmodi amorem, timorem & cultum non poteſt non deteſtari, uti ſibi probroſum, uti Deo ſuo ſumme injurium. Si quis ergo ſimili cultu ſe credat promereri

reri Virginis favorem, perinde facit, ac ſi de injuſtitia & ſuperſtitione præſumeret, & inde meritum ſibi arrogaret, unde Virginis offenſa vel maxime timenda.

§. XC.

In quo ſita regia poteſtas Virgini attributa.

Antequam huic Tractatui imponetur finis, proderit exponere, in quo ſita ſit regia Majeſtas & Poteſtas dominica, quæ in hoc diſcurſu non ſemel Virgini ſunt attributæ. Quidquid amplitudinis, ſublimitatis, decoris, copiæ, fortitudinis ac felicitatis in regia Majeſtate cogitatur, id omne in Sanctis Deo fruentibus, ac præſertim in Deipara cumulatiſſimè reperitur. In ipſis *amplitudo*: *ſic enim à perfectis & purgatis, ac jam immortalibus filiis*, inquit *Auguſt.*, *habentur omnia, ut ſint & omnium ſingula, & omnia ſingulorum. Ut enim cupiditas nihil ſine anguſtia, ita nihil cum anguſtia charitas tenet.* In ipſis *ſublimitas*, quia Deo intimè adhærentes à nullo dependent, evacuato omni principatu & poteſtate, adeo *ut nulli Patrem intuenti per Filium, opus ſit aut libeat in cujuſquam creaturæ*, vel in

Lib: 2. Euangel: quæſt: 33. quæſt.

Aug: lib: 83. quæſt: 67. quæſt.

1 Cor: 15. 28. *in ſua conquieſcere poteſtate.* In ipſis *copia*, quia, ut ait *Paulus*, *Deus erit* ita *omnia in omnibus*, ut nemo eorum, qui ei cohærent, amet adverſus eum ſuam propriam voluntatem, manifeſtumque ſit omnibus, quod idem Apoſtolus alio loco dicit, *quid*
1 Cor:4: 7. *habes quod non accepiſti?* In ipſis *decor*, quia omnes Deo erunt ſubjecti ſecundum contemplationem ſempiternæ veritatis ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nulla parte corporis reſiſtente, ut in illa vita nemine amante propriam poteſtatem ſit *Deus omnia in omnibus*. In hac autem omnimoda ſubjectione vera animę
Serm: 45. *in Cant:* pulchritudo: nam ut *Bernardus* ait: *decor animæ humilitas eſt.* In ipſis *copia*: *cum enim beatitudinem obtinuerimus*, *noſtra*
Aug: lib: 2. *Euang: quæſt:* 33. *quæſt:* *erunt ad vivendum ſuperiora*: *noſtra erunt ad convivendum æqualia, noſtra erunt ad dominandum inferiora.* In illis *fortitudo*, quia firmiſſime adhærent bono, unde non avellantur. In ipſis *felicitas*, quia bono incommutabili, quod Deus eſt, ſine ulla moleſtia perfruuntur, & in eo ſe in æternum eſſe manſuros, nec ulla dubitatione cunctantur, nec ullo errore falluntur.

In his Sanctis ergo ac pręſertim in Deipara reperiuntur omnia illa bona, quorum

rum ſolummodo ſimulachra, & quædam umbrę mendaces, in mundanis abundant imperiis. Quare nihil ambitioſis, ſuperbis ac cupidis conſuli poteſt utilius, quam ut Deo ſubditi hæreant, in ipſo poſſeſſuri omnia, quę extra ipſum vitiis fallentibus quærunt incaſſum. Quærunt hoc vitia, quod quęrit charitas; ſed quærunt, & non inveniunt. Unde *Auguſtinus* in *Confeſſionibus* ſuis Deum ita alloquitur: „ Superbia celſitudinem imitatur, cum tu ſis „ unus ſuper omnia, Deus excelſus. Et „ ambitio quid, niſi honores quærit & „ gloriam, cum tu ſis præ cunctis honorandus unus, & glorioſus in æternum? „ Et ſævitia poteſtatum timeri vult. Quis „ autem timendus, niſi unus Deus, cujus poteſtati eripi aut ſubtrahi quid, „ quando, aut ubi, aut quo, vel à quo poteſt? & blanditię laſcivientium amari „ volunt, ſed neque blandius eſt aliquid „ tua charitate, nec amatur quicquam ſalubrius, quam illa præ cunctis formoſa „ & luminoſa veritas tua. Et curioſitas „ affectare videtur ſtudium ſcientiæ, cum „ tu omnia ſumme noveris. Ignorantia „ quoque ipſa atque ſtultitia, ſimplicitatis „ & innocentiæ nomine tegitur; quia te

Lib. 2. cap. 6.

L ſim-

„ ſimplicius quicquam non reperitur.
„ Quid autem innocentius, quandoqui-
„ dem opera tua malis inimica ſunt? Et
„ ignavia quaſi quietem appetit: quæ ve-
„ ro quies certa præter Dominum? luxuria
„ ſatietatem, atque abundantiam ſe cu-
„ pit vocari; tu autem es plenitudo & in-
„ deficiens copia incorruptibilis ſuavita-
„ tis. Effuſio liberalitatis obtendit um-
„ bram, ſed bonorum omnium largitor
„ affluentiſſimus tu es. Avaritia multa
„ poſſidere vult, & tu poſſides omnia:
„ invidia de excellentia litigat, quid te
„ excellentius? Ira vindictam quęrit, te
„ juſtius quis vindicat? Timor inſolita &
„ repentina exhorreſcit, rebus, quæ a-
„ mantur, adverſantia, dum præcavet ſe-
„ curitati: tibi enim quid inſolitum,
„ quid repentinum? aut quis à te ſeparat,
„ quod diligis? aut ubi, niſi apud te fir-
„ ma ſecuritas? Triſtitia rebus amiſſis
„ contabeſcit, quibus ſe oblectabat cu-
„ piditas, quia ita ſibi nollet, ſicut tibi
„ auferri nihil poteſt. Ita fornicatur ani-
„ ma, cum avertitur abs te, & quærit
„ extra te ea, quæ pura & liquida non in-
„ venit, niſi cum redit ad te. Perverſe te
„ imitantur omnes, qui longè ſe à te faci-
„ unt,

„ unt, & extollunt ſe adverſum te: ſed „ etiam ſic te imitando, indicant creato„ rem te eſſe omnis naturæ, & ideo non „ eſſe, quo à te omnimodo recedatur.

§. XCI.

Deipara præ omnibus Beatis Beatiſſima.

PОrro quia Deipara præ omnibus Sanctis Deo magis ſubdita, Deo copioſius repleta, & magis intime conjuncta, hinc Virginis gloria ſive beatitudo aliorum Sanctorum beatitudinem tantum ſuperat, quantum ſol cæteras ſtellas ſua vincit claritate. Ab hac vero beatitudinis excellentia arbitror Virginem pręcipue dici Reginam, & Angelorum, & Patriarchatum, & Prophetarum, & Apoſtolorum cœterorumque Sanctorum omnium. Talis enim regia pręcellentia optimè concordat cum illa Eccleſiæ doctrina, quæ docet & Angelos & homines beatos ſibi invicem eſſe eatenus æquales, quatenus non ex ſe invicem, ſed omnes ex Deo ſunt beati: non enim ex Deipara beati aut Angeli aut homines, neque etiam ex beato Angelo beati ſunt homines, ſed

unde beata eſt Deipara, inde beati Angeli, & unde beati Angeli, inde quoque beati ſunt homines. *Nulla anima*, inquit

Lib: 1. de conſenſ: Euan: c.23. *Auguſtinus*, *ſit ſapiens vel beata ex alia quacumque anima*, *ſed ex ſola ſumma atque incommu tabili Dei ſapientia*. In hoc ergo omnes Beati ſibi invicem coæquantur; quod omnes Deum videndo & amando ſint beati; omnes illi intime conjunguntur, non vero mediantibus aliis Sanctis, ſicuti in corpore humano inferiora membra intermediis ſuperioribus connectuntur capiti.

2 Cor: 11. 2. *Deſpondi vos*, inquit *Paulus*, *uni viro*, *Virginem caſtam exhibere Chriſto*. Beati ergo omnes & ſinguli tanquam ſponſa in thalamo amoris immediate uniuntur *Chriſto*.

Ex his clariſſimum eſt, Deiparam non dici Reginam Angelorum aut hominum, eo ſenſu, quo quiſque ab eo regi dicitur, illique bono ſervire quo cupit fieri beatus.

Lib. de vera Religione cap: 38. Nam ut advertit *Auguſtinus*, *his rebus*, *quibus quiſque beatus vult effici*, *ſerviat neceſſe eſt*, *velit nolit*. *Nam*, *quocumque duxerint*, *ſequitur*: *&*, *quiſquis ea viſus fuerit auferre poſſe*, *metuitur*. Cum ergo nemo beatorum, imo ne quidem ullus miſerorum, qui veram aſſequi beatitudinem

ſperat,

ſperat, Virginem ut ſummum bonum ſuum amet, nemo Sanctorum ſive in cœlis regnantium, ſive in terris peregrinantium à tali amore ſe ſervum aut ancillam Virginis dicere poteſt: nemo etiam tam rudis eſt in doctrina *Chriſti*, qui neſciat Virginem nec Reginam, nec Dominam vocari quaſi ipſa nos creaſſet, cum unus & ſolus Deus Creator ſit omnium.

§. XCII.
Quo ſenſu Christus *ſit Sanctorum Dominus.*

NOrunt etiam omnes Chriſtiani unum *Chriſtum* nos redemiſſe à ſervitute peccati, mortis ac Diaboli. Illi uni cantant: *Ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus.* Et, *dicant qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Et, *ubi eſt mors victoria tua?* Quia ergo ſolius *Chriſti* pretioſo ſanguine tanquam agni immaculati redempti ſumus, inde ipſe ab Apoſtolo vocatur Dominus noſter, noſque ejus ſervi. A tali ergo dominio, quod *Chriſtus* nos redimens in nos acquiſivit, Deipara nec Regina, nec Domina vocatur, aut ſalutatur. Neque

Pſal. 129. 8.
Pſal: 106.
1. Cor. 15. 55.

etiam, aut nos aut Sancti ob iſtiuſmodi illius in nos dominium ejus ſervi poſſumus appellari. Non etiam Deipara dicitur Regina ſanctorum, ſive Regina cœli à poteſtate legiſlativa: nam quantum ad An-
In Pſ: 103. gelos, *intuentur*, inquit *Auguſtinus*, *le-*
Genc: 4. *gem fixam, legem æternam, jubentem ſine ſcriptura, ſine ſyllabis, ſine ſtrepitu, fixam ſemper & ſtantem: intuentur Angeli corde mundo; & ex illa faciunt, quidquid hic fit; & poteſtates ex illa ordinantur à ſummis uſque ad ima.*

Quod vero ad homines beatos attinet, illi quoque, non ex alio homine, aut Angelo ſapientes ſunt, ſed contemplando & amando æternam ſapientiam, ſapientes ſunt & felices, iſtaque ſapientia ipſorum
Epiſt. 6. lex ac Regula eſt. Unde *Auguſtinus* loquens de cœleſti Civitate dicit, *quod talis ſit Civitas, cujus Rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas.* Hoc ipſum
Joan: 17, 1. docet *Chriſtus*, dum ait, *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti*, Jeſum Chriſtum. Hoc
1. *Epiſt.* etiam docet *Joannes*, dum ait: *Chariſſi-*
cap. 3. *mi nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus: ſcimus quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam vide-*

bimus

bimus eum ſicuti eſt. Unus ergo omnibus Sanctis Rex, una lex, ſicuti una eſt omnibus beatitudo, quippe Deus illorum.

§. XCIII.

In quo omnes beati pares ſunt, & in quo diſpares.

IN his ergo omnes Sancti ſibi ſunt pares, quod omnes videant, ament, & fruantur æterna ſapientia Deo ſuo; quod omnes ab illa regantur; & quod omnes ei obediendo, & ſeipſos illi ſubdendo ſint beati. In hoc vero diſpares, quod omnes non ęqualiter ament æternam ſapientiam, non æquali claritate eam cognoſcant, non pari gaudio illa fruantur, non pari humilitate illi ſubdantur. Non quod in unis ſit aliqua vitii permixtio, quæ non ſit in aliis (omnes enim ab omni vitio ſunt liberrimi) ſed quod alii prę aliis majori beatitudinis perfectione ſint donati. Quia autem omnes vident Deiparam majori beatitudine, quam ſua ipſorum eſt, donatam, hinc ipſam magis quam ſeipſos æſtimant, & magis æſtimando eam ſibi ipſis præferunt, & eam præferendo illi ſeipſos ſubdunt, & ſeipſos illi ſubdendo

eam uti Reginam & Dominam agnoſcunt. Dicitur ergo Virgo Regina ac Domina à virtutis ac beatitudinis excellentia, qua præ aliis beatis donata eſt.

§. XCIV.

Quo ſenſu Deipara non ſit Sanctorum Regina, & quo ſenſu ſit Regina, Sanctique ejus famuli ac ſubditi.

NUllatenus vero Deipara Regina Sanctorum, aut etiam Domina à tali dominio dici poteſt, quale competit naturæ intelligenti in naturas rationis expertes, & quale homini in homines, qui cum in honore eſſent, per ſua crimina comparati ſunt jumentis inſipientibus, à Deo vindice conceſſum eſt. Neque uti monſtratum eſt, Regina ac Domina dicitur à tali dominio, quale *Chriſto* in nos competit, quia nos emit & redemit ſui ſanguinis pretio. Neque à tali poteſtate, quæ ſuis legibus omnia gubernat. Oſtenſum eſt enim, omnes Beatos ab æterna veritate, cujus viſione beati ſunt, etiam regi ac gubernari. Regia ergo Virginis Majeſtas, à qua Virgo ſalutatur Regina Sanctorum, præcipue poſita eſt in ex-

excellentia beatitudinis ejus; ſubjectio vero vel etiam Beatorum ſervitus, à qua B. Virginis ſubditi vel famuli dici poſſunt, videntur collocatæ in amore æſtimativo, quo Virginem ſibi ipſis præferunt ac honorant, veluti ſeipſis majorem ſive beatiorem. His adde Virginem dici poſſe Reginam Angelorum ac beatorum hominum, quia ad cauſas & rationes quorumdam divinorum operum in æterna luce ſive veritate contemplandas homines ac Angelos excitat, ſicuti Angeli, ſuperioris ordinis excitant Angelos ordinis inferioris, & ſicuti homines, quos Doctores ac Magiſtros vocamus, excitant ſuis ſermonibus aut ſcriptis alios homines, ut veritatem ſuæ menti præſidentem conſulant, & in illa agnoſcant, quod verum eſt. Ab hac ergo excitatione Deipara nominari poteſt Regina Angelorum, &c.

Tandem dici poteſt Regina Angelorum ac Sanctorum omnium, quia eis ſuadere poteſt, ut ament nunc hanc, nunc iſtam boni rationem, ſive in Dei conſiliis, ſive etiam in ejus operibus, atque ita excitati à Virgine ea peragant ad hominum ſalutem, quæ per Virginis admonitionem Deum à ſe velle cognoſcunt.

Ab his ergo illuminationibus, ſive excitationibus, quibus Virgo Angelos etiam primi ordinis illuminat ſive excitat, ut in æternis Dei legibus, ſive in veritate & bonitate æterna, advertant quaſdam rationes divinorum operum, caſque à ſe animadverſas ſive perceptas ament, vel etiam juxta eas operentur, merito vocatur Deipara Regina Angelorum & Sanctorum omnium. Has vero illuminationes & ſuaſiones ad ſpeciales veri & boni rationes in æterna veritate & bonitate cognoſcendas & amandas, is Deiparæ haud difficulter attribuet, qui legerit, quod docet *D. Dionyſius*, & poſt eum, *Scholaſtici*, ac præſertim *D. Thomas*, de illuminationibus, quibus ſuperiores Angeli illuminant inferiores Angelos: & præſertim, qui advertent *Paulo* datum eſſe *illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit; ut innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in* Chriſto Jeſu *Domino noſtro*. Si ergo per Eccleſiam innoteſcit multiformis ſapientia Dei Principatibus & Poteſtatibus in cæleſtibus, non mirum videri

1. *Part. q.* 106.

Epheſ. 3. 9.

videri debet, ſi id etiam per *Mariam*, tanquam *ſecundum* à *Chriſto Eccleſia membrum*, fieri dicatur.

Atque hæc dicta ſunto, ut conſtet, quo jure Virgo ſalutetur Regina Angelorum ac Sanctorum omnium.

§. XCV.

Specialis ratio ob quam Deipara dicatur Regina ſanct: hominum.

SPecialis vero eſt ratio, ob quam dicatur Regina ſanctorum hominum, nempe, quia ſuis precibus converſionis gratiam plurimis impetrat, eoſque introducit in æterna Tabernacula. Diſertis verbis docet *Ambroſius* innumeras Virgines per Deiparam in cœlos introducendas: *O quantis illa Virginibus occurret! quantas complexa ad Dominum trahet! dicens: hæc thronum filii mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſervavit pudore. Quemadmodum eas ipſe Dominus commendabit Patri, nimirum illud & repetens ſuum: Pater Sancte, iſta ſunt, quas ſervavi tibi; in quibus filius hominis caput reclinans quievit: peto, ut, ubi ſum ego, & ipſæ ſint mecum:* Hucuſque *Ambroſius*. Cui conſonat *Irenæus*, quando ait *Mariam* ſuaſam fuiſſe obedire

L. 2. de inſtit: Virg:

L. 5. adverſus Hæreſes c. 19.

obedire Deo, *ut Virginis Evæ fieret advocata, & quemadmodum aſtrictum eſt morte genus humanum per Virginem, ſolvatur per Virginem: æqua lance diſpoſita Virginalis inobedientia, per Virginalem obedientiam: hæc Irenæus.* Ex cujus aliorumque Patrum verbis conſtat, quam in cœlis potens ſit Deipara, ut ſuæ orationis patrocinio hominibus bene vivendi gratiam impetret, ſuoſque ſequaces introducat in æterna Tabernacula. Et quia Angeli, qui nunquam peccaverunt, nec advocatis, nec interceſſoribus indigent, hinc ſequitur, quod Virgo ſpeciali ratione dicatur Regina eorum ſanctorum hominum, qui ejus orationis ſuffragio ſalutem ſunt conſecuti.

§. XCVI.

Gratiæ & gloriæ excellentiâ Virgo angelorum & hominum Regina.

QUantum attinet ad gratiæ & meritorum excellentiam, ad gloriæ & beatitudinis ſublimitatem, jure meritiſſimo ab Eccleſia ſalutatur & colitur, uti hominum ſic Angelorum Regina. Non poſſum hanc doctrinam non confirmare teſtimonio *Greg: Magni:* hic enim ſcribens in hæc verba: *Fuit vir unus de Rhamathaim Sophim*

De expoſit: in libros Regum.

de

de monte Ephraim, poteſt, inquit, *hujus* 1 Reg: 1.
montis nomine, B^ma. ſemper Virgo deſignari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, *quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes angelorum choros, uſque ad ſolium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem* Iſaias *vaticinans, ait: Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons fuit, quia altitudo* Mariæ *ſuper omnes ſanctos effulſit*: his *Gregorii* verbis confirmatur doctrina toto ferè tractatu aſtructa, nempe quod *Maria* ad ſupremum, quæ creaturæ concedi poteſt, electa maternitatis honorem, tanto honori parem gratiam fuerit conſecuta, nempe ut non ſolum eſſet Dei ſui Mater, ſed etiam digna Mater; quæ etiam primos tum angelorum, tum ſanctorum hominum vinceret ſanctitate.

§. XCVII.

Refutatur Conſtantini Copronymi *blaſphemia, dicentis* MARIAM *poſt partum ſuam amiſiſſe dignitatem.*

PRocul, procul ergo ſit ab ore Chriſtianorum *Conſtantini Copronymi* blaſphemia,

phemia, qui *Mariam* dicebat ſacculo eſſe ſimilem, quem auro plenum, magni, auro vacuum, nihili feceris. Non fuit *Chriſtus* in *Maria* veluti in ſacculo, qui, quod continet, amare non poteſt. *Maria* non mortuo cultu fuit adornata, ſed accenſa amore vivaciſſimo, *ut dignum filii ſui habitaculum effici mereretur.* Hic amor jugibus incrementis crevit in illa, non ſolum, dum in ſua carne *Chriſti* carnem geſtabat, ſed etiam poſtquam illum mundo peperiſſet. Non receſſit ab illa fons ſanctitatis, quando ex ejus utero Filius Dei egreſſus fuit. Manebat in ejus corde non ſolum poſt Filii nativitatem in mundo, ſed etiam poſt ejus diſceſſum è mundo. Et tantum abeſt, ut poſt partum minus ſit colenda, ut certiſſime poſt natum ex ſe filium honorem merita fuerit majorem; nam ipſi Deitati incorporeo complexu tanto magis intime jungebatur, quo ante ejus amor creſcentibus annis majora capiebat incremēta.

§. XCVIII.

Vnde deceptus Copronymus *& noſtræ ætatis oſores Virginis.*

COpronymus, & non pauci noſtræ ætatis Sectarii deceperunt ſeipſos, dum tam ſacri-

ſacrilege de *Maria* locuti ſunt, quia perſuaſerunt ſibi, quod ejus felicitas in eo fuerit collocata, quod Verbum Dei in illa caro factum fuerit, ſive, quod caro Virginis carnem *Chriſti* genuerit; eodem modo ſicuti nonnulli ſacerdotes *Chriſtum* ore producunt, & in ſua carne geſtant ſine ulla ſua dignitate, imo ſæpè ad ſuum dedecus maximum. At Virgo prius geſſit Dei filium corde, quam carne, nec ſe tam æſtimabat felicem, quia *verbum* Dei in ea *caro factum eſt, & habitavit in nobis*; quam quia verbum Dei cuſtodiebat, per quod facta eſt, & quod in illa caro factum eſt. Excepit *Maria* Dei filium in uterum non modo inſenſibili, ſicut aut Crux aut Ciborium excipit Corpus *Chriſti*; vel frigido & arenti corde, quemadmodum plures Presbyteri & Chriſtiani ſumunt corpus Domini. Quomodo ergo excepit illum? amore caſtiſſimo, veneratione devotiſſima, obedientia promptiſſima, non ambitioſa ut fieret Mater, ſed devota ut fieret Ancilla.

§. XCIX.

Cur Euangelium de Martha & MARIA *excipientibus* JESUM *in Domum*

mum ſuam legatur in feſto Virginis aſſumptæ.

UT hoc nobis inſinuaret Eccleſia, in Officio Virginis aſſumptæ nobis proponit ingreſſum *Chriſti in quoddam caſtellum*, ubi *mulier* Martha *nomine excepit illum in domum ſuam*, ut illi devotiſſimè miniſtraret: & ubi ejus ſoror *ſedebat ad pedes Jeſu*, ut cum gaudio audiret verbum ejus. Facto enim iſtarum ſororum nobis ſignificat Eccleſia, quod Deipara exceperit *Chriſtum* in domum carnis ſuæ, ut illum ſuo ſanguine paſceret, illique ſuis manibus miniſtraret, ejuſque verba audiret, & conſervaret in corde ſuo: ſicuti *Martha* & *Maria* illum exceperunt magis in cor, quam in domum ſuam, dum hæc ſedet ad pedes ejus, ut attenta audiat verbum ejus, illa vero ſollicita eſt, ut eum pie paſcat; utraque devota, ut eum religioſe colat. Sicuti ergo ſorores illę religioſiſſimo affectu *Chriſtum* exceperunt, ita *Maria* utriuſque ſororis implens officium Dei filium excepit corde amantiſſimo, ut illum ſuo ſanguine ac lacte paſceret; & verbis vitæ æternæ ab illo viciſſim paſceretur. Excepit itaque illum, non uti ſedes recipit ſedentem, non uti iniqui

Luc: 10.

qui

qui ſumunt Sacramentum corporis *Chriſti*, qui eum excipiendo maxime demerentur: verum excepit illum voluntate, charitate, humilitate, & obſequio devotiſſimo: atque ita illum excipiendo per incarnationem, edendo per partum, paſcendo per ubera, ſequendo per viam, ſummam ſanctimoniam eſt conſecuta. Non proinde ab aliis, quam à blaſphemis *Maria* ſacco, cui à rebus in eo concluſis nulla interior dignitas accedit, poteſt comparari. Econtra *Maria Jeſum* ſuum ardentiſſimo & ſanctiſſimo amore concipiens & geſtans utero, & deinde eum aut bajulans ulnis, aut nutriens domi, ſequens in via, & in omnibus ei adhærens, incredibilem ab illo eſt mutuata decorem: nam *talis eſt quiſque, qualis eſt ejus dilectio.* Cumque *Maria* amore ſui *Jeſu* tota ſemper arſerit, neceſſe eſt, ut talis ſemper fuerit, qualis fuit *Ieſus* ejus; ſancta, pulchra, ſublimis, ſicuti ejus *Jeſus* ſemper fuit ſanctus, ſpecioſus & Deus excelſus.

§. C.

Exhortatio ad cultum MARIÆ.

VEneremur ergo *Mariam* uti matrem Dei digniſſimam, & dicamus ei ma-

ternam propinquitatem cum *Chriſto* plurimum profuiſſe, quia tantæ carnis propinquitati conjunxit diviniſſimi ſui amoris propinquitatem. Ut autem eám veneremur, eam diligamus neceſſe eſt: id enim colitur, quod amatur; & quod non amatur, non colitur. Si autem amando colamus *Mariam*, conſequens quoque eſt, ut illam imitemur. Talis eſt enim unuſquiſque, quale illud eſt, quod diligit. Sordida diligis? ſordidus es. Caſta diligis? caſtus es. Non potes igitur diligere Virginem caſtiſſimam, humillimam, devotiſſimam, niſi etiam ſis caſtus, humilis & devotus, hoc eſt, niſi ſaltem in te ſit caſtitatis, humilitatis, ac devotionis amor ac deſiderium. Ut autem iſtarum aliarumque virtutum, quibus Virgo ſplendet in æternum, in nobis ſit amor, cultus & imitatio, Virgini ſupplicemus, ut nobis à Filio ſuo impetret Spiritum Sanctum, ſine quo nec amor eſt purus, nec cultus religioſus, nec imitatio ſancta. Uti enim nemo proximum ſuum ſine Spiritu Sancto recte poteſt diligere, ita nemo Virginem ſine Spiritu S. amare, venerari poteſt aut imitari, nam *ſine Spiritus Sancti numine nihil eſt in homine*; neque etiam Deo aut ejus Matri quiſquam placet, niſi ex Deo.

Tractatus Secundus.

Ipſa conteret caput tuum.
Gen: 3. 15.

§. I.

Cur Eccleſia variis Feſtis, ac Sodalitiis colat Deiparam.

INter varias rationes, quæ moverunt Eccleſiam, ut diverſis feſtis, cærimoniis, & Sodalitiis Deiparam cenſuerit colendam, hæc mihi non poſtrema videtur; quod credatur ad Redemptionem generis humani Salvatori noſtro Filio ſuo *Ieſu Chriſto* ſingulariter eſſe cooperata. Ex hac perſuaſione factum arbitror, quod plures Scripturarum interpretes, hæc Dei ad Serpentem verba: *ipſa conteret caput tuum*, expoſuerint Gen: 3: 15.
de Beatiſſima Virgine, credentes ipſi da-

tum eſſe, ut per ſemen ſuum *Ieſum Chriſtum* Dominum noſtrum Serpentis caput, hoc eſt, Dæmonis vires ac imperium confringeret. Quâ autem ratione id Virgini tribuatur ad laudem, quod virtute ac meritis filii ſui effectum eſt, hocce *Diſcurſu* exponere ſatagam. Quia autem hic nonnullos Acatholicos præſentes exiſtimo, ne ipſi anſam offendiculi ſumant ex iis, quæ in laudem Sanctorum, ac præſertim Deiparæ Catholici prædicant: *primo* declarabitur, per ea, quæ Sanctis tribuuntur, divinæ gloriæ nihil decedere. *Deinde* proponetur, quomodo *Mariæ* fides, obedientia, & charitas meruerint, ut ei hoc tribuatur Elogium: *ipſa conteret caput tuum.*

§. II.

Calviniani credunt cultum Divorum Deo injurium.

CAlviniani, *Arminiani*, *Mennoniſtæ* credunt Catholicos divinæ gloriæ eſſe injurios, dum ſanctos, ipſamque Deiparam laudant, amant, invocant, & ipſis gratias agunt ob beneficia per illorum interceſſionem obtenta. Hinc nullæ apud

apud ipſos preces ad cęlites directæ, nulla feſta in ipſorum honorem inſtituta, nulla ſignificatio gratitudinis ipſis exhibita. Illum ſolum putant invocandum, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſcendens à Patre luminum.* Illi ſoli putant gratias eſſe exhibendas, *de cujus plenitudine omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Illi ſoli dies feſtos eſſe ſacrandos, de quo *Paulus* ait: *Regi ſæculorum, immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria.* Aliter ſi feceris, Dei gloriam (hæc Calviniſtica perſuaſio) ejus dederis creaturę.

Jac: 1: 17.

Joan: 1: 16

1 Tim: 1. 17.

§. III.

Oſtenditur exemplo Abelis *patrem & matrem amantis & honorantis, per amorem, gratitudinem, & invocationem* Sanctorum, *amori & cultui Omnipotentis Dei nihil detrahi.*

VErum in hoc falluntur, quod putant Catholicos à Deo recedere, quoties ad Sanctos accedunt oraturi, aut gratias acturi, aut illorum laudes celebraturi; cum revera tam accedant ad Deum, ab il-

lo omnia expectent, illi omnia tribuant, illi in omnibus gratias agant, recurrendo ad Sanctos, ac ſi nullius Sancti memoriam haberent, unumque Deum, & nihil prȩter eum in orationibus & laudibus ſuis haberent præ oculis. Expono iſtud comparatione *Adami* & *Abelis*.

Adam cum eſſet hominum primus, non habebat aut patrem aut matrem, quos honoraret ac diligeret in terris; Dei manibus formatus, ejuſque halitu animatus unum Deum habebat authorem, nulli creaturȩ tanquam autori quicquam debens. Ejus filius *Abel* non uni Deo, ſed etiam patri ſuo *Adam*, & matri ſuæ *Evæ* debebat honorem & amorem. Peto nunc, an Deus plus juris haberet in *Adam*, quam in *Abelem*? An *Abel* poſſet cor ſuum inter cœleſtem & terrenum Patrem dividere? An *Abel* minus, quam *Adam*, Deum teneretur ex toto corde diligere? An *Abel*, qui matris lacte erat enutritus, minus teneretur ob victum Deo gratias agere, quam *Adam*, qui nullos habuit nutritios? An *Abel*, qui à genitoribus vitam acceperat, minus eſſet creatura Dei, quam *Adam* aut *Eva*? Non eſt dubium, quin *Abel* perinde eſſet creatura Dei, ac erat

Adam:

Adam: neque enim quicquam erat in *Abele*, quod Deus ipſi non dederat; ab ipſo habebat omnia, ſicut *Adam* ab illo habebat omnia. Unde perinde ac *Adam* omnia debebat Deo referre accepta, illique deferre omnem laudem, amorem, & gratitudinem. Nec *Abeli* magis quàm *Adamo* licitum erat, cor ſuum inter Deum & creaturas dividere: nam omnibus hæc lex congenita: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Tam *Adæ* poſteris, quam ipſi *Adæ* hæc lex indita: *Omnia in gloriam Dei facite.* item: *in omnibus gratias agite,* nempe Deo. Non licebat ergo *Abeli* partim Deum, partim parentes ſuos laudare & amare; verum uni Deo iſtos affectus integros, caſtosque debebat. Quamvis enim patrem & matrem ſuam honore & amore proſequi teneretur; nihilominus cor ejus, tantum quantum erat, Deo ſacrandum erat, nec quicquam divino amori & honori per affectum erga parentes erat detrahendum.

Marc: 12: 30.

1 Cor: 10: 31.

1 Theſſ: 5. 17.

§. IV.

Per amorem parentibus debitum divino amori nihil detrahitur, quia dum benè amantur parentes, in Deo amantur,

HOc, quî fieri poſſit, facillimè concipietis, ſi cogitatis filiorum amorem erga parentes ex amore *D*ei profluere debere. *Abel* amabat *D*ei ſui inexhauſtam fæcunditatem, agnoſcebat & venerabatur divinam Paternitatem, *ex qua omnis Paternitas in cælis & in terra nominatur*:
Epheſ:3.15
adorabat æternam *D*ei providentiam *quæ dat Eſcam omni carni.* Delectabatur æterno amore, *quo Deus diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit.* Quia autem *Abel* iſtas perfectiones in ſuo fonte diligebat; hinc earum quoſdam rivulos in ſuis parentibus agnoſcens, eas in ſuis rivulis amabat, honorabat, & laudabat. *D*um è parentum ſuorum manibus cibos capiebat, tacitus adorabat inviſibilem illam *manum*, quam *aperiens Deus implet omne animal benedictione.* *D*um ſe agnoſcebat à parentibus vitam accepiſſe, ſimul cogitabat ſuos parentes tantummodo

Pſ:135:25.
Sap:11:25.
Pſ:144:16.

do inſtrumenta fuiſſe, quibus omnipotens Artifex uſus fuerat ad ſui creationem. Hinc ſeptem filiorum generoſiſſima mater, ut ſuos filios in Dei amorem accenderet, ajebat illis: *neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis; neque enim ego Spiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi; ſed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.* 2 Mach: 7: 2.
Dum *Abel* ſe ſentiebat à parentibus ſuis diligi, foveri, & nutriri, Deum adorabat, qui iſtos in illis creaverat affectus: & ut verbo dicam, agnoſcebat ſe perinde omnia accepiſſe à Deo, omniaque ſua Deo deberi, ac *Adam* omnia à Deo accipiens, Deo debebat omnia. Unde dum parentes honorabat, laudabat, & amabat, Deum ſuum ſe amare, laudare, & honorare credebat. Et dum ab illis, aut quædam dona petebat, aut accipiebat, aut accepiſſe recordabatur, ſe illa à Deo petere, aut accipere, aut accepiſſe cogitabat; nihil boni agnoſcens in parentibus, quod non uti Dei ſui bona & dona agnoſceret.

§. V.

Quidquid Sanctis *rectè defertur, Deo defertur, à quo* Sancti *habent omnia.*

SIcuti autem *Adæ* filii non minus ſunt Dei creaturæ, quam erat ipſe *Adam*, licet *Adam* ſolum Deum habuerit authorem, cum tamen ejus filii ipſum inſuper agnoſcant parentem: ita certiſſimum eſt, quicquid in hominibus eſt virtutis; ſcientiæ, fidei, ſpei, charitatis, temperantiæ, fortitudinis, juſtitiæ ac prudentię, illa omnino eſſe à Deo: & quicquid ad illa Sancti ſuis inſtructionibus, precibus, & vitæ exemplo contulerunt, id non facit, ut aut minus dona Dei, vel etiam minus gratuita ſint. Nam quod Sancti nos inſtruant, pro nobis orent, ſuoque nos exemplo provocent, iſtud in ipſis Deus operatur, aperiens illorum os ad docendum; Zachar: 12. 10. dans illis ad orationem *Spiritum gratiæ & precum*, adaptanſque illos ad omne bonum.

Hoc profitetur Eccleſia, quando in omnibus Collectis Deo attribuit Sanctorum virtutes, & ab ipſo poſtulat, ut Sanctorum ſibi exemplum, doctrina, & interceſſio

ceſſio proſit. Hinc in quadam Collecta de Deipara ſic alloquitur Deum Eccleſia: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Glorioſæ Virginis matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparaſti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia interceſſione ab inſtantibus malis & à morte perpetua liberemur. Per eundem Dominum noſtrum* &c. Eodem modo ſonant aliæ de aliis Sanctis Collectæ. Unde Catholici Sanctis ſupplicantes, ut pro ſe orent; aut illis gratias agentes ob beneficia per ipſos accepta, tam parum à Deo recedunt, quam à Deo recedit infans, qui aut victum & amictum à parentibus poſtulat; aut illis gratias agit, quod ipſum genuerint, utero geſſerint, & lacte nutrierint. Uti enim infans ad parentum ſuorum refugiens liberalitatem, eorumque erga ſe amorem laudans, honorat & laudat media & inſtrumenta, quibus Deus plerumque utitur ad ſibi vitam, vitæque ſubſidia præbendum: ita, dum Sanctis ſupplicamus, & gratias agimus ob beneficia impetranda aut impetrata, in illis veneramur, quam Deus illis contulit poteſtatem.

§. VI.

§. VI.

Invocatio Sanctorum utilis ad ſalutem, non vero neceſſaria neceſſitate medii: & iſtam invocationem faſtidire, aut contemnere, provenit ex infidelitate aut ſuperbia.

PORRO hanc comparationem non ita intelligi velim, perinde ac ſi agnoſcerem, ex ordinatione Dei Sanctorum invocationem tam nobis eſſe neceſſariam, ac infantibus lac nutricum neceſſarium eſt. Nam invocatio Sanctorum ponenda eſt inter res utiles; non vero inter neceſſarias ad ſalutem. Verum hæc comparatio ſervit, ut oſtendat, eum minimè à *Deo* recedere, qui id ſibi utile agnoſcit ad ſalutem, eoque tanquam utili utitur, quod *Deus* ut utile inſtituit: ſicuti ille non recedit à *Deo*, qui eas creaturas ſibi ad vitam credit neceſſarias, quas Deus nobis voluit eſſe neceſſarias. Nam uti ex Deo ordinante eſt, ut lac nutricum infantibus ſit neceſſarium; ita ex *Deo* ordinante eſt, ut Sanctorum invocatio nobis ſit utilis. Habent à Deo nutrices, ut ſine illarum auxilio infantes vivere vix poſſint. Habent

à Deo

à Deo Sancti, ut utile in ipſis auxilium nobis ſit repoſitum. Qui neceſſariis benè utitur, non recedit à Deo, quia nullam in illis virtutem agnoſcit, quam non à Deo acceperint. Qui utilibus benè utitur, non recedit à *Deo*, quia, à *Deo* credit eſſe, quamcumque in illis agnoſcit utilitatem. Tam ergo in uſu ſapienti rerum utilium, quam in uſu Chriſtiano rerum neceſſariarum honoratur earum conditor & ordinator *Deus*. Quare ſicuti neceſſaria creaturarum ope nolle uti, eſt Deum tentare; ita utile creaturarum auxilium faſtidire & tanquam inutile reſpuere, increduli & animi ſuperbientis eſt. Nam hoc quid eſt aliud, quam utilia media à Deo ad noſtram ſalutem ordinata contemnere? quam ſub prætextu divinæ gloriæ cauſas Deo ſubordinatas faſtidire? Econtra nonne Catholici Deum in cauſis illi ſubordinatis honorant & venerantur, dum illis ſe ſubiiciunt, certi nihil in illis eſſe virtutis, auxilii, aut præſidii, quod non à *Deo*, *qui operatur omnia in omnibus*, mutuaverint? Credunt Catholici Sanctorum preces ſibi eſſe utiles, ſed etiam firmiſſimè credunt à Deo eſſe, quod pro ſe orent Sancti. Ipſis gratias agunt pro beneficiis

1 Cor: 12. 6.

per

per ipſos acceptis, ſed gratiarum actio ad Divos directa redit ad Deum, quia certi ſunt, Sanctos à Deo habere & voluntatem & poteſtatem ſibi benefaciendi. Per rivulos ergo in ipſum bonorum omnium fontem refundunt gratitudinem.

§. VII.
In laudibus Deiparæ magis Deus, quam ipſa laudatur.

QUare etiam dum laudabimus Deiparæ fidem, obedientiam, ac charitatem (quibus virtutibus ad ſalutem humani generis cooperata eſt) magis Deum quam Deiparam laudabimus: nam ab ipſo habuit ut crederet, obediret, atque diligeret. Ipſe *fecit illi magna qui potens eſt*, dando illi ſuperexcellens fidei, obedientiæ, ac charitatis donum. In Domino ergo magnificabimus Virginem, audient manſueti & lætabuntur.

§. VIII.
Quomodo, quæ CHRISTUS *egit, referantur ad Virginem:*

QUæ in mundo à filiis fortiter aut ſapienter geruntur, ea referuntur ad gloriam illorum, ex quibus progeniti ſunt. Inde

Inde illud Sapientis: *Corona ſenum filii eorum.* Quæ *Chriſtus* egit ad Redemptionẽm generis humani, eà potiori titulo ad Virginem referuntur: nam *D*ei filius non ſolum filius carnis ejus, ſed etiam filius eſt voluntatis ejus. Fæcunditas carnis parum pendet à parentum voluntate. Multi parentes prolis cupidiſſimi, nullam tamen ex ſe prolem gignunt. Aliis invitis ſæpè naſcuntur filii. Fornicatores in carnis copulâ non fructum, ſed voluptatem quærunt, & tamen illorum opprobrio profertur proles ſpuria; tam parum pendet carnis fæcunditas, aut ſterilitas à parentum arbitrio. *D*ei filius noluit ex matre invitâ naſci; ſed voluit, ut ſuæ matris voluntas atque arbitrium ad ſuam conceptionem ac partum conferret quam plurimum. Nec voluit ſolum, ut ad ſuam conceptionem & partum matris ſuæ conſenſus accederet, ſed etiam ut ipſa liberrima voluntate conſentiret in conceptionis modum ac ordinem, hoc eſt, ut non ſolum eligeret fieri mater *D*ei, ſed etiam eligeret illæſâ virginitate, ſine ullo concupiſcentiæ ardore, per obumbrationem virtutis Altiſſimi fieri mater. In hac voluntate, in hoc conſenſu, *D*eiparæ ſitum eſt meritum

Proverb. 17. 6.

tum & gloria maternitatis ejus. Hunc conſenſum, hanc voluntatem in Deipara celebrant Sancti, quando eam dicunt, *Chriſtum felicius corde, quam carne geſtaſſe*, eamque prius devotiſſimæ mentis obſequio, quam carnis beneficio fuiſſe matrem. *Virgo Regia*, inquit Leo, *Davidicæ ſtirpis eligitur, quæ ſacra gravidanda fœtu, divinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore. Et ne ſuperni ignara conſilii ad inuſitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat à Spiritu Sancto, colloquio diſcit angelico: nec damnum credidit pudoris Dei genitrix mox futura.* Conſenſit ergo Virgo, ut pareret *Jeſum*, ſive ſalvatorem, filium Altiſſimi, regnaturum in Domo Jacob in ęternum, redemptoque orbe terrarum donandum ſede David Patris ſui. Cum autem æterna Dei Sapientia *Ieſus Chriſtus* noluerit naſci, nec redimere genus humanum, niſi ad hęc altiſſima conſilia ſuæ Matris voluntas accederet; merito *Maria* dicitur ad Redemptionem generis humani eſſe cooperata. Et, ut videas hujus conſenſus præſtantiam, advertendum, ex qua fide, & obedientiâ, & charitate hunc Virgo præbuerit conſenſum.

Leo. ſerm. 1. de nativitate.

§. IX.

§. IX.

Dignitas conſenſus Virginis, ut fieret Mater, probatur ex merito fidei ejus.

NOn potuit Virgo conſentire, ut Dei Filius ex ſe naſceretur, niſi prius crederet dicenti ſibi Angelo: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus* Jeſum: *hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi* Dominus *Deus ſedem* David *Patris ejus, & regnabit in domo* Jacob *in æternum, & regni ejus non erit finis.* Nec potuit conſentire modo ac ordini conceptionis & partus, niſi etiam crederet his Angeli verbis: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius* Dei. Hæc duo omnem humanum captum excedentia credidit Virgo. *Unum*, quod Deum pareret; *alterum*, quod conciperet de Spiritu Sancto, paritura Virgo. Hanc in Virgine fidem extollit *Eliſabeth*, dicens: *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à* Domino.

Luc: 1: 31.
Luc: 1: 35.
Ibid: v. 45.

Fidei meritum in *duobus* præcipue conſiſtit, ſcilicet in quadam cæleſti prudentia ac mentis voluntariâ ſubmiſſione, ſive piâ affectione erga Dei veritatem, ſive veracitatem. Prudentia facit, ut diſcernamus, an is, qui nobis Dei nomine loquitur mereatur, ut illi tanquam divinæ voluntatis interpreti, fidem adhibeamus. An is, qui Angelum repræſentat, etiam revera ſit Angelus, & num non ſit Pſeudo-Apoſtolus, qui ſe oſtentat ac ſi eſſet Apoſtolus Dei; neque ſit lupus, qui ſe induit ovina pelle. *Nam ejuſmodi Pſeudo-Apoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum*, inquit *Paulus*, *ipſe etenim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*. Hæc ſciens *Virgo prudentiſſima* dicenti Angelo, *Ave gratia plena Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus*; non ſtatim fidem adhibet, ſed timet inſidias, ſed veretur ne ſerpens *Evæ* ſeductor loquatur in figura Angeli. Recordatur *Evam* lapſam, quia credidit promittenti Serpenti: *Eritis ſicut Dii*. Suſpendit ergo judicium. *Quæ cum audiſſet*, inquit Euangeliſta, *turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Non capitur aut delectatur laudibus *Deipara*, uti

2 Cor: 11. 13.

Gen: 3: 5.

Luc: 1: 29.

Eva

Eva capiebatur magnifica Serpentis pollicitatione, ſed illis turbatur, hoc eſt, erubeſcebat ad laudes ſuas: *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio; & ideo cum verecundia*, inquit *Ambroſius*, *quia pavebat*; *l. 2. in Luc. c. 2.* *tum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam ante comperta.* Prudenter ergo tam diu ſuſpendit aſſenſum, donec certiſſima foret, quiſnam ſibi loqueretur. Unde Angelus, ut Virginem de ſua perſona ac miniſterio redderet certam, eam ita alloquitur: *Ne timeas* Maria, *inveniſti* Luc. 1. 30 *enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium & vocabis nomen ejus* Jeſum. Dum Angelus diceret: *ne timeas* Maria, Virginis oculis ac menti imprimebatur tanta vis veritatis, tantumque lumen, ut intima & infallibili notione diſcerneret eſſe Angelum lucis, qui ſe alloquebatur: nec hęc perceptio ſivę notio erat tenebricoſus quidam ſenſus, quo Novatores ſe aiunt veras Scripturas à falſis diſcernere; ſed ob ſingulares coruſcationes erat cognitio ſimilis illis perceptionibus, quibus propoſitiones primo veras, & per ſe evidentes percipimus.

§. X

Virgo non prius credidit, quam ſciret eſſe Angelum lucis, qui ſibi loqueretur: nec tamen captivat intellectum in obſequium Fidei captivatione violenta, ſed placida.

VIrgo itaque certior facta eſſe Angelum lucis, qui ſibi loquebatur, ipſi promittenti, quod foret Dei genitrix, & quod ſine detrimento virginitatis pareret, fidem præbuit. Et quomodo eam præbuit? convictane per auctoritatem cæleſtis Nuncii? Credidit convicta per auctoritatem cæleſtis Nuncii, ſed ut fides ejus haberet meritum, eodem tempore, quo Virginis intellectus judicabat ſanctum Angelum non poſſe mentiri, ardebat ejus voluntas grandi amore ac reverentiâ erga Dei veritatem ſive veracitatem, quæ loquebatur in Angelo. Captivabat ejus intellectum in obſequium fidei magis amor & reverentia erga veritatem Dei, quam nota Angeli auctoritas in-

infallibilis. Nam ſi ſola atteſtantis auctoritas captivet intellectum, tunc intellectus captivatio quodammodo violenta eſt, conjunctaque aut cum averſione à Dei veritate, quemadmodum dæmones credunt veritati quam oderunt; aut cum inquietâ libidine iſtud ſciendi, quod Deus in hoc mundo vult ſolummodo credi, & non cognoſci. Et cum hac inquieta ſciendi libidine plurimi homines credunt convicti auctoritate Scripturæ aut traditionis; ſed, quam ita credunt, veritatem inhonorant, dum ante Dei placitum eam cognoſcere concupiſcunt; nec tantum ipſi deferunt, ut tamdiu ejus cognitione carere, eamque licet incognitam adorare parati ſint, quamdiu ipſa conſtituit eos Fidei vinculis, veluti quibusdam pannis ſpiritualis infantiæ tenere alligatos.

Sic plurimi credunt myſterium Trinitatis per convictionem intellectus: ſed illud inhonorant, dum ejus cognitionem, quam Deus in præmium religioſæ fidei in cæleſti Patria dare decrevit, obtinere in exilio concupiſcunt. Alii credunt ſcripturarum auctoritate convicti myſterium Euchariſtiæ, ſed credunt illud cum

Pſal: 67: 12. ſciendi curioſitate, & quodammodo improbabant, *quod poſuerit Deus, tenebras latibulum ſuum*. In talibus non eſt laudabilis illa fides, quam in Deipara laudabat *Eliſabeth*, dicens: *Beata quæ credidiſti*.

§. XI.

Credidit MARIA *prudenter & amanter*.

CRedidit *Maria* prudenter, dijudicans & diſcernens, num verè eſſet Angelus Domini, qui ſibi Incarnationis annunciabat myſterium. Credidit ex amore & reverentia erga Dei veritatem captivans non coactè, ſed libenter intellectum ſuum in obſequium fidei, hoc eſt, veritatis non intellectæ; eratque prompta tamdiu illorum, quæ credebat, ſcientiâ carere, quamdiu Deus ſuus eam ex fide, & non ex ſcientiâ vivere vellet.

Ut videas *Mariam* in verbis Angeli ſe Deo revelanti ſubjeciſſe, ejuſque honoraſſe veritatem; adverte quid dicat *Eliſabeth*: *Beata*, inquit, *quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino*. Non dicit *Eliſabeth*, quæ dicta ſunt tibi ab Angelo; ſed dicit, *quæ dicta ſunt*

ſunt tibi à Domino; cum tamen non Dominus, ſed Angelus ipſi fuiſſet locutus. Verum dicit *Eliſabeth Mariæ*: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino*: quia *Maria* in verbis Angeli non agnoſcebat niſi Verbum Dei, & in Angeli ore honorabat æternam veritatem, quæ loquebatur in Angelo. Et quia Dei veritatem in Angeli ore amabat & honorabat, propterea ſine ulla credidit curioſitate, contenta in venerandis fidei tenebris tamdiu manere, donec dies æternæ vitæ ſibi illuceſceret.

§. XII.

Vtinam Novatores ſecuti fuiſſent in credendo Virginis prudentiam!

O Utinam Novatores hanc prudentem Virginis fidem æmularentur! O utinam & Novatores & Catholici ſequerentur ejus obſervantiam erga Dei veritatem! Exortus eſt præcedenti ſæculo *Martinus Lutherus*; prædicat & clamat Sanctos non eſſe invocandos, omnes Chriſtianos, qui toto orbe quindecim ſæculis vixerunt, condemnat ſuperſtitionis ac veluti Apoſtaſiæ à *Chriſto*, quia

Sanctos invocarunt, aut invocandos docuerunt. Antequam audiretur,& ei fides adhiberetur, poſtulabat fidei prudentia, ut attenderetur ad ipſius perſonam ac miniſterium, & examinaretur, an eſſet Miniſter & Apoſtolus *Chriſti*; an vero pſeudoapoſtolus. Poſtulanda erant ab ipſo ſigna Apoſtolatus ſui. Alia externa ſui Apoſtolatus argumenta proferre non poterat, quàm ſe baptizatum in Eccleſia Catholica, & ejus fidem diu profeſſum, eam deſeruiſſe,& contra Matrem ſuam inſurrexiſſe; quodque monachum profeſſus, profeſſionem violaſſet, & votum cælibatus ſacrilegè reſcidiſſet, copulans ipſe monachus ſibi monacham: quam quod contra morem primorum Chriſtianorum, qui, cum Seculi Poteſtates Sacrorum cauſa ſibi infenſas & ſævientes experirentur, non contra eas rebellarunt, ſed illarum ſævitiem patientiſſimè pertulerunt; quod inquam contra iſtam primorum Chriſtianorum patientiam ipſe, ipſiusque ſequaces adverſus ſuos Principes arma ceperint,&, ubi potuerunt, eos ſuis imperiis deſtituerint. Si ipſis credimus *Calviniſtis*, *Lutherus* furore & ſcommatibus, ac invidia potius, quam rationis æquitate,& amore veritatis

ſcripſit

ſcripſit contra *Zwinglium*; imo ſi *Hoſpiniano* Calviniſtæ credendum, agnitam veritatem contra fidem datam ſpiritu diabolico impugnavit. Hęc fuêre ſigna Apoſtolatus ejus, quæ, ut mitiſſimè loquar, magis ſuadent, ne illi docenti aurem præbeamus, quam ut illi auſcultemus. *Part. alt. p.* 43. *Vide* Hoſpinian: *fol.* 127. 131. 171. 181. 186. 187. 201.

§. XIII.

Oſtenditur quomodo novatores abutantur CHRISTI *verbis*, Venite ad me omnes; *&c.*

SEd petes: quomodo ergo perſuaſit hominibus, ſanctos non eſſe invocandos? E ſcriptura protulit hæc, ſimiliaque verba: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ex his arguit: invitat nos *Chriſtus*, ut ad eum veniamus, ergo non vult ut ſanctos invocemus. Matt: 11. 28.

Imprimis reſpono, quod æque firmâ argumentandi ratione conficere poterit, illicitum eſſe iis, qui paupertate & inediâ affliguntur, ad miſericordiam divitum recurrere, ut eorum juventur eleëmoſynis. Illicitum eſſe illis, qui cum morbis confligunt, ad medicorum opem confugere, ut à morbis liberentur. Illicitum eſſe filiis-familias, quorum omnes divitiæ in ſuorum erga ſe

parentum amore poſitæ ſunt, ab illis neceſſaria vitæ ſubſidia poſtulare. Illicitum eſſe iis, qui onerantur ære alieno, creditorum ſuorum charitati ſupplicare, illiſque dicere: *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Illicitum eſſe in carcere laborantibus & fatiſcentibus, judicum implorare clementiam. Si hæc non ſequantur ex verbis *Chriſti*, certò ſequitur futilem eſſe *Lutheri* argutationem.

Matt: 18. 26.

§. XIV.

In cauſis ſecundis non cauſæ ſecundæ, ſed Prima præcipuè attendenda eſt.

ET revera is textus aliud non probat, quam, quod recurrentes in neceſſitatibus noſtris ad creaturarum auxilia, non creaturis, tanquam ex ſe potentibus, fidere debeamus, ſed ubique & ſemper *habitare in adjutorio Altiſſimi, & in protectione Dei cæli commorari*; ſemperque nobis perſuadere, quod in cauſis ſecundis nihil ſit opis, auxilii, & bonæ erga nos propenſionis, quod non à Deo acceperint. Et dum nos ad eas convertimus, ut per illas neceſſaria nobis quæramus ſolatia,

Pſal: 90: 1.

tia, ad illas nos convertere debemus, tanquam ad inſtrumenta, quibus Deus pro nutu & arbitrio ſuo utitur, & quibus providentia ipſius nos ſubdidit; & quam graviſſimè offendimus, quotieſcumque mediis ab ea ordinatis uti dedignamur. Recurrendum ergo (niſi poſiti in neceſſitate Deum velimus tentare) ad cauſas ab ipſo ad noſtrum auxilium præordinatas; ſed recurrendum ad illas cum fide, quæ docet cauſas ſecundas nec plus nec minus nobis prodeſſe, quam Deus decreverit ut nobis proſint. Qui cum hac fide ad illas recurret, ſi per eas, quod à Deo deſiderat, conſequatur, Deum in creaturis ſuis laudabit, & ipſius miſericordiæ attribuet, quodcumque è creaturis hauſit ſolatium. Econtra ſi non obtineat, quod ab hominibus, aliiſve cauſis ſecundis obtinere ſperabat, non murmurabit contra homines, nec ſtultè & ſacrilegè creaturis maledicet, uti ſæpè fieri videmus; ſed Dei conſilium adorabit, & in hominum erga eum aut duritia, aut iniquitate, aut inſcitia, aut impotentia, Dei ergà ſe juſtitiam agnoſcet, & per illud, quod ab hominibus aut injuſtè aut imperitè fit, aut omnino non fit, ſe à Deo ſuo agnoſcet juſtiſſimè

ſimè

§. XV.

Eccleſia teſtatur in precibus, à Deo eſſe, quicquid à Sanctis poſtulat.

REpono *ſecundo*, quod Eccleſia, confugiens ad Sanctorum aut orationes aut auxilium, ſemper ferè diſertis verbis exprimat à Deo eſſe, quod ſancti pro fidelibus orent, quod ipſe illis inſpiret pro nobis orandi affectum, quod ipſe in illis efficiat, ut nos ſuis doctrinis illuminent, ſuo confirment exemplo, juvent auxilio. Nulla in liturgia continetur oratio de ſanctis, quæ non directè dirigatur ad Deum, & quæ non petat à Deo Sanctorum auxilium: tantum abeſt, ut confugiens ad ſanctos, recedat à *Chriſto*.

Eccleſia in collecta de ſancto Dominico ita orat: *Deus, qui Eccleſiam tuam, Beati Dominici Confeſſoris tui illuminare dignatus es meritis ac doctrinis: concede, ut ejus interceſſione, temporalibus non deſtituatur auxiliis, & ſpiritualibus ſemper proficiat incrementis. Per Dominum noſtrum* Jeſum Chriſtum; *&c.* Adverte in hâc collecta, *Primo*: Quod Eccleſia directè Deum alloquatur, dicens:

ſti Deus &c. Ex hac oratione, uti ex aliis omnibus poterunt Novatores diſcere, quam ineptè objiciant Catholicis, quod invocando Sanctos, peccent contra illud *Chriſti*: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, cum Eccleſia confugiens ad Sanctorum preces, à Deo ipſo petat, ut Sancti pro ea orent, & illorum ei proſint auxilia, omneſque Sanctorum collectas ſive precum formulas, quibus in Breviario aut Miſſali utitur, ad Deum ipſum directè & immediatè dirigat.

§. XVI.

Quam imperitè irrideant Calviniſtæ Catholicos à Deo poſtulantes, ut Sanctorum juventur interceſſione.

SCio quidem Calviniſtas aliquos irridere, quod Eccleſia à Deo poſtulet preces Sanctorum; ſed eâdem æquitate, quando ipſis placebit, irridere poterunt, quod ſumpturi cibum à Deo poſtulemus, ut illum nobis faciat prodeſſe: quod præliaturi oremus, ut addat animum militibus, & reddat exercitus fortes: & audituri

ſe non veritate ſed falſitate, non rationum viribus, ſed calumniarum injuriis Catholicos oppugnaſſe. Det illis Deus Spiritum compunctionis, & ſuperet ipſos veritas volentes, nam aliquando invitos ipſa ſuperabit.

§. XVII.

Quam immanis foret error, ſi quis diceret eſſe duas ſcalas, quibus aſcenditur ad Deum, nempe ſcalam MARIÆ *&* CHRISTI.

POrro ex his etiam conficitur, quam immanis foret error, ſi quis prædicaret eſſe duas ſcalas, quibus aſcendatur ad cœlum: ***unam, albam; alteram, rubram: albæ*** ſummitati innixam eſſe *Mariam*, ut per illam aſcendentes excipiat; in culmine ***rubræ***, ſtare *Chriſtum*, ut per eam ad ſuperna enitentes in æternum beet. Nam ex illis, quæ deduximus, certiſſimum eſt, *Chriſtum* in Sanctis eſſe omnia: illos Deo ac Domino noſtro *Ieſu Chriſto* adhærentes, ita unum Spiritum cum illo eſſe, ut nihil velint, quam, quod ipſe eos velle facit. Sine *Chriſto* nihil poſſumus facere. Ipſe *via*, ipſe *oſtium*, per quæ intratur ad cœ-

lum: ipſe *veritas & vita*, quibus ducimur
Joan: 3:13. ad cœlum, & quibus fruimur in cœlo. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo*, hoc eſt, nemo aſcendit in cœlum; niſi qui *Chriſto* intimè adhæreſcit; niſi qui ab illo, veluti membrum à capite aſcendendi vires accepit; niſi qui cum ipſo unus Chriſtus effe-
Tract: 12. in Joann. ctus eſt. Unde poſtquam *Auguſtinus* ſibi ipſi objeciſſet: *ſi ergo nemo, niſi ille, deſcendit & aſcendit, quæ ſpes eſt cæteris?* Reponit ſibi ipſi: „ea ſpes eſt cæteris, quia ille „ propterea deſcendit & aſcendit, ut in il„ lo, & cum illo, unum eſſent, qui per „ illum aſcenſuri eſſent. Non dicit: & ſe-
Gal: 3. 16. „ minibus, ait Apoſtolus, quaſi in multis, „ ſed tanquam in Uno: & ſemini tuo, qui
Ibid. v. 29. „ eſt *Chriſtus*. Et fidelibus ait: vos autem „ *Chriſti*: ſi autem *Chriſti*, ergo ſemen A„ brahę eſtis. Quod dixit unum, hoc dixit „ omnes nos eſſe. Ideo in Pſalmis aliquan„ do plures cantant, ut oſtendatur, quia „ de pluribus fit unus: aliquando unus can„ tat, ut oſtendatur, quid fiat de pluribus.
Joan: 5. „ Propterea unus ſanabatur in illa piſcina: „ & quiſquis alius deſcendebat non ſana„ batur. Ergo iſte unus commendat unita„ tem Eccleſiæ. Væ illis, qui oderunt u-
„ nitatem,

„ nitatem, & partes ſibi faciunt in homi-
„ nibus. Audiant illum, qui volebat eos
„ facere unum in uno ad unum. Audiant
„ illum dicentem: nolite vos facere mul-
„ tos. Ego plantavi, Apollo rigavit: ſed 1 Cor. 3:6.
„ Deus incrementum dedit: ſed neque
„ qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat,
„ ſed qui incrementum dat Deus. Illi di-
„ cebant: Ego ſum Pauli, ego Apollo, e-
„ go Cephæ. Et ille: diviſus eſt *Chriſtus*?
„ in uno eſtote, unum eſtote, unus eſtote.
„ Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cæ-
„ lo deſcendit. Ecce volumus eſſe tui, di-
„ cebant Paulo. Et ille: nolo ſitis Pauli, ſed
„ ejus eſtote, cujus eſt vobiscum Paulus.

Nullus dubito, quin, ſi qui ſint, qui dicant Mariæ, volumus eſſe tui, volumus per te aſcendere, & non per filium tuum: nullus, inquam, dubito, quin ipſa talibus è cœlis dicat: Nolo ſitis *Mariæ*, ſed ejus eſtote, cujus eſt vobiscum *Maria*. Ejus eſtote, præter quem nemo aſcendit ad cælum, niſi qui unus eſt cum eo, qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. Hæc dicta ſunto ad oſtendendum nihil inſulſius, & à Catholica fide magis alienum prædicari poſſe, quam quod ſint duæ diſtinctæ ſcalæ, *una Chriſti*, *altera Mariæ*,

per quas aſcendatur ad cœlum. Væ illis, qui oderunt unitatem, & partes ſibi faciunt, non ſolum in hominibus, ſed etiam in Beatis; ſed etiam in *Chriſto* ac ejus Matre Beatiſſimâ. Verum refutandis, ſi quæ ſint ſimiles ineptiæ, non eſt diutius immorandum. Redeamus ergo ad virtutes, quibus Deipara cooperata eſt adRedemptionem generis humani.

§. XVIII.

Veritati revelatæ Virgo ſubdidit voluntatem ſuam.

NOn ſolum *D*eipara captivavit intellectum ſuum captivitate voluntaria,& ſibi adamata, in obſequium fidei: verum inſuper ipſam voluntatem ſuam revelatæ veritati ita ſubdidit, ut ex ejus præſcripto elegerit vivere obedientiſſimè.Cum enim audiſſet ex ore Angeli:*Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi &c.* quid quęſo reponit? *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Dicens: *ecce Ancilla Domini*, ſuam Deo offert obedientiam. Non conſentit fieri Mater ut dominetur, ſed ut ancilletur: *Ecce Ancilla Domini.* Quo magis extollitur,tanto magis ſe humiliat: *ecce*,inquit,

quit, *Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* In eminentiſſima gloria non cogitat, niſi humilia, niſi ſervitutem, niſi miniſteria Ancillę. Non ſic homines: nam plerumque in ipſa abjectione non ſpirant niſi grandia, non feruntur niſi ad ſublimia, adeo ipſis innata excellendi & dominandi libido.

§. XIX.

Vt majus officium expleas, major requiritur gratia.

ANte Annunciationem ſervierat Deo, uti ejus Virgo ſacroſancta; nunc quia videt ſe electam, ut non ſolum ſerviat tanquam Virgo: ſed inſuper ut ſerviat Deo, tanquam Mater Dei; hinc ſe novo titulo Domini fatetur & offert Ancillam. Et quia eo major gratia requiritur, quo in ſublimiori ſtatu Deo ſerviendum; hinc poſt ſuæ ſervitutis oblationem, addit precem, *fiat mihi ſecundum verbum tuum*: hoc eſt, ac ſi diceret, ut tanquam Mater Dei, Deo dignè deſerviam, veniat in me Spiritus ejus: nam illa virtus, qua hactenus Deo meo famulata ſum, nunc non ſufficit, cum illi puriori & ſanctiori ratione ſerviendum ſit. Si ſim conceptura filium Altiſſimi, in

me veniat virtus Altiſſimi: & quod mea non valet infirmitas, ut Deo Dei genitrix digne ſerviam, Dei mei in me efficiat poteſtas. Si *D*eo me ſibi in Matrem eligenti debeam obedire, ut dignè obediam, fiat mihi ſecundum verbum tuum, ſuperveniat in me Spiritus Sanctus,& virtus Altiſſimi obumbret mihi,& Sancta pariamSanctum, ancillabor Sancto, & vivam Sancto.

Non agit Virgo,ut homines ſolent, qui ubi magna illis dignitas offertur, avidè illam arripiunt, minimè cogitantes, quod dignitas magna, ut bene geratur, magnum ac ſublimem requirat animum,nempe qui in rebus *D*ei non quærat niſi gloriam Dei. Virgo advertens,quod facta mater Dei, Deum inhonoraret, niſi tantæ dignitati parem gratiam conſequeretur, devotiſſimè ſupplicat,dicens:*fiat mihi ſecundũ verbum tuum*,hoc eſt, ſuperveniat Spirit: S. in me, & virtus Altiſſimi obumbret mihi.

§. XX.

Virgo ex obedientia aſcendit ad gradum Maternitatis Dei: nec alta ſapit, ſed humilibus conſentit.

ET, ut clarius videas, quod non ex ambitione aliqua conſentiat fieri Mater Dei,

Dei, adverte: quod non dicat, fiat mihi ſecundum votum, aut voluntatem meam, *ſed fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Adverte: quod non dicat: *Ecce Ancilla Domini*, parata ſum, ut fiam Mater Domini; ſed *ecce Ancilla* Domini, *fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Sic loquitur humilis ejus obedientia, quia non audet glorioſum Matris nomen uſurpare. Itaque in verbis virginis nihil ſibi ambitio, nihil ſuperbia, nihil vanitas, ſed omnia ſibi uſurpat obedientia.

Hominibus in more poſitum, ut dum ad alta jubentur aſcendere, ſibi ipſis perſuadeant, ne ſibi ipſis ex ſua ambitione diſpliceant, quod ex ſola obedientia majores capeſſant dignitates. Sic *Abner*, poſtquam contra placitum Dei, qui *Davidem* elegerat, *Iſboſeth* filium *Saul* Regem conſtituiſſet, poſtea reprehenſus ab eo ob violatam ejus patris conjugem, ut ſeipſum de illo ulciſcatur, & apud *Davidem* meliorem locum obtineat, conſtitutum à ſe Principem meditatur ex throno deturbare. Ne tamen ſibi ipſi ex perfidia, ambitione, & ira iniquiſſima diſpliceat, obedientiam prętexit crimini nefando: *hæc faciat*, inquit, 2 Reg: 3.
Deus Abner, & hæc addat ei, niſi, quomodo 9, 10.

juravit Dominus David, ſic faciam cum eo, ut transferatur regnum de Domo Saul, & elevetur thronus David ſuper Iſrael.

Hunc *Abner* ſequuntur plerique: nam ſuæ ſervientes ambitioni, optant ex obedientia videri aſcendiſſe ſuperius, ne ex oſtentatione ambitionis, ſuæ & aliorum conſcientiæ vileſcant. Qui verè obediens eſt, uti docent Sancti Patres, abjecta & humilia imperanti libenter obedit, vocanti vero ad ſublimia ægrè aſſentit, nec obedit niſi cum timore & tremore, juxta illud Apoſtoli: *non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.* Amorem hujus veritatis Sanctus Spiritus infuderat cordi Virginis; unde alta non ſapiebat, ſive altis non delectabatur, ſed rebus abjectis & humilibus libenter & promptè conſentiebat: unde in altiſſima maternitate non dignitatis faſtigio, ſed ancillæ delectatur obſequio, dicens: *Ecce Ancilla Domini.* Et cum ſublimiſſima ſit dignitas, eſſe matrem Dei, ad eam aſcendit, non cum vanitatis levitate, ſed cum obedientię gravitate; non urgente ambitione propriæ voluntatis, ſed impellente imperio ſummæ Majeſtatis.

Rom: 12. 16.

Atque hæc cauſa eſt, cur SS. PP. Virginis obedientiam maximè commendent.

Irenæus

Irenæus aſſerit per *Mariæ* obedientiam genus humanum ſolutum eſſe à mortis vinculo, quemadmodum per *Evæ* inobedientiam illi fuerat alligatum. *Auguſtinus* vero ait: *Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti* Maria. Eva *occidendo obfuit*, Maria *vivificando profuit. Illa percuſſit, iſta ſanavit. Pro inobedientia enim obedientia commendatur, fides pro perfidia compenſatur.* Ex his aliiſque SS. Patrum verbis conſtat, quid ad redemptionem generis humani contulerit Virginis obedientia laudatiſſima.

Lib. 5. adverſus hæreſes c. 19.

Serm. 18. de Sanctis.

§. XXI.

Optandum foret plures imitarentur Virginis obedientiam.

PLures hodie inveniuntur, qui Sacramento ſe obſtringunt defenſuros ſe *Conceptionem immaculatam*: ſed utinam! utinam plurimi invenirentur, qui ſe voverent imitaturos obedientiam B. Virginis! Fides *Conc: immaculatæ* non excludit ambitionem, non excludit dominandi libidinem, non excludit invidiam, iram, odium, aliaque peccata, quæ ex ſuperbia profluunt. At amor & imitatio obedientiæ, qua Virgo Deo ſervivit, iſta crimina excludit. Iſte amor, ſi in nobis eſſet, faceret, ut

cum Virgine ubique & in omni ſtatu nos Dei famulos cogitaremus; nec nos à virtutum ſtudio crederemns exemptos, quia aut militiæ vinculo ſumus adſtricti, aut negotiorum gerimus officium, aut mercatura occupamur. Nec etiam virtutes ad Monaſteria proſcriberemus, perinde ac ſi ſolis Religioſis leges Euangelicæ præſcriptæ forent. Iſtud votum de imitanda Virginis obedientia nos excitaret, ut cogitaremus in conjugio conſtituti, nos non ideo minus eſſe famulos & ancillas Domini, quia conjuges ſumus, ſed potius agnoſceremus noſtro officio, quo debemus *D*eo ſervire uti homines, acceſſiſſe novum officium, quo eidem ſerviendum uti conjuges. Uti homines Deo debemus amorem, timorem, laudem, ac gratitudinem: ut conjuges *D*eo debemus fructus conjugii, Deo debemus ſacrare fidem conjugalem & ſacramenti ſanctimoniam. Attendant ergo conjuges, quod per conjugii ad eos acceſſioně, nihil divino in eos juri diſcedat, ſed potius per eam novum jus Deo accreſcat. Hæc *D*ei in eos jura obedienter exſolvant & honorabunt *Mariæ* obedientiam, quæ in *Joſephi* maritali poteſtate honorabat *D*ei ſui in ſe poteſta-

tem,

tem, &, quæ fructum ſuæ fęcunditatis ad *D*ei honorem & hominum ſalutem obtulit in Templo.

Qui *Mariæ* imitabuntur obedientiam, erunt *non alta ſapientes ſed humilibus conſentientes*. Si ſunt in loco demiſſo, non quęrent grandia; ſi in alto gradu poſiti, non ſapient alta, ſive non delectabuntur altis, ſed in illis ſe cogitabunt cum *Maria* famulos aut ancillas *D*omini. Si ſint Magiſtratus, cogitabunt *D*eo ſerviendum eſſe innocentiæ protectione & iniquitatis caſtigatione: non ſe paſcent aliorum ſubjectione ſed ędificatione, & tanto ſe credent virtuti magis obſtrictos, quanto illorum aut virtus aut vitium in alto conſtitutum plures habet ſpectatores, qui ſuos mores magis ad Magiſtratuum exemplum, quam ad *D*ei leges componunt ac dirigunt. Si *Mariæ* obedientiam imitentur deſpecti, non ſeipſos affligent, ſed humilibus libenter conſentient, hoc eſt, adverſa & abjecta non fugient, ſed imitabuntur *Mariam*, quæ in altiſſimo loco conſtituta, conſenſit haberi pauper, æſtimari uxor fabri, Mater Crucifixi, & ut verbo dicam, in altô conſtituta *non alta ſapiebat, ſed humilibus conſentiebat. Hanc Regulam qui ſecuti fuerint, pax ſuper illos.* Gal: 6:16.

§. XXII

§. XXII.
Charitas Virginis volentis mori cum CHRISTO *pro ſalute generis humani.*

HIs dictis occaſione excellentis obedientiæ, quâ *Maria* aſcendit ad gradum divinæ Maternitatis, ſupereſt, ut nonnulla dicamus de charitate, qua Redemptioni noſtræ coöperata eſt. Ea maximè eminuit, quando adſtitit Cruci, non curioſa & otioſa ſpectatrix, non dura & crudelis, quæ Filii vulnera & ignominiam libenter videret; ſed adſtitit quaſi religioſa Sacerdos, offerens cum Filio noſtræ ſalutis Victimam, & cum illo ſolvens noſtræ Redemptionis pretium. Inſinuat hoc *Ambroſius*, dum ait: *Nec minor* Maria, *quam Matrem Dei decebat: fugientibus Apoſtolis, ante Crucem ſtabat, & piis ſpectabat oculis Filii vulnera; quia expectabat, non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem.*

Lib. 10. *Epiſt:* 82.

Ex his *Ambroſii* verbis conſtat, eandem *Mariæ* Cruci adſtantis fuiſſe intentionem, quæ erat intentio *Chriſti* pendentis in Cruce. Spectabat *Chriſtus* moriens mundi ſalutem; eandem expectabat *Maria*. Offert ipſe ſeipſum, ut nos Deo recon-

reconſiliet; eâdem de causâ ejus ſacrificio adſtitit Virgo, prompta cum ipſo mori pro hominum ſalute. Inſinuat hoc *Ambroſius*, ubi ſupra, *fortaſſe*, inquiens, *quia cognoverat per filii mortem mundi redemptionem Aula regalis, etiam ſua morte putabat ſe aliquid publico addituram muneri. Sed* Jeſus *non egebat adjutore ad Redemptionem omnium, qui omnes ſine adjutore ſervavit. Unde & dicit: factus ſum ſicut homo ſine adjutorio inter mortuos liber. Suſcepit quidem affectum parentis, ſed non quaſivit alterius auxilium.* Pſal: 87.

Ex quibus *Ambr:* verbis conſtat *Chriſtum, Primo*, quidem gratum habuiſſe affectum, quo ſua Mater ſecum pro mundi ſalute mori erat parata; ipſum tamen noluiſſe, ut ſecum moreretur, ut ſolus credatur Redemptor, ut ipſe ſolus adoretur tanquam is, qui omnes ſine adjutore ſervavit. *Secundo, Chriſtum* omnes redemiſſe, atque adeo Matris ſalutem Filii meritis eſſe tribuendam; Matrem habere à Filio, quicquid in illa erat virtutis ac meriti. Quod ergo ipſa ad ſalutem noſtram ſua fide, obedientia & charitate cooperata eſt, id accepit à Filio. Ipſe enim fons eſt omnium meritorum. Ipſe Origo omnis ſan-

ſanctitatis. Ipſe Author omnis meriti. Ipſe approbavit affectum parentis, quæ putabat ſua morte ſe aliquid publico muneri addituram; ſed non quæſivit ab ea ſibi quaſi neceſſarium cooperationis auxilium; quin potius ad ipſam illuſtrandam, illi impertitus eſt, ut amoris voto, obedientiæ ſuffragio, fidei obſequio, ad noſtram ſalutem cooperatur: ita ut *Mariæ* fides, obedientia, & charitas magis fuerint opus *Chriſti* in *Maria*, quam fuerint opus ipſius *Mariæ*.

§. XXIII.

Epilogus.

HAbetis vobis expoſitum, quomodo *Maria* ad ſalutem generis humani ſit cooperata. Et, ni fallor, ex his videbunt *Lutherani* & *Calviniſtæ*, nihil à Catholicis *Mariæ* attribui, quod *Chriſti* Salvatoris gloriam non potius illuſtret, quam obſcuret. Videbunt à Catholicis credi, non aliam eſſe ad cælum viam, quam per *Chriſtum*. Videbunt, eos ſentire omnem bene vivendi gratiam profluere ex fontibus Salvatoris, nullum eſſe in Sanctis, ipſâque Deiparâ affectum pium, quem non à Deo acceperint, & quem *Chriſtus* ſua gratia non

non in Sanctis, ſuaque Matre fuerit operatus. Videbunt, Catholicis eſſe perſuaſum, *Mariam* miſereri peccatorum, ſed quando *Chriſtus* ei inſpirat miſerandi affectum; ipſam intercedere pro illis, ſed quando agitur Spiritu Sancto, ut pro illis intercedat; videbunt, quod ipſa conterat caput Serpentis, ſed per vires, quas à Filio ſuo ſumpſit, & quibus non utitur, niſi ad ejus nutum. Videbunt ſe injuſtè Catholicis inſultare, quia *Mariam* his verbis invocant: *Tu nos ab hoſte protege & hora mortis ſuſcipe.* Nam ex dictis clare conſtat, non intelligere Catholicos, hoc fieri per *Mariam* ſine virtute *Chriſti.* Sicuti enim, cum dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula,* non intelliguntur hi Sancti nos recepturi propria virtute, ſed virtute Dei: ita non ſua, ſed Filii ſui virtute *Maria* ab hoſte protegit, & hora mortis ſuſcipit. Luc: 16: 9.

Tandem advertere poterunt omnes, Sanctos ſive in cælis regnantes, ſive in terris viventes, ita eſſe Mediatores & Advocatos, ut omnes in virtute ejus, de quo *Paulus* ait: *Unus eſt Mediator Dei, & hominum Homo Jeſus Chriſtus*, orent 1 Tim: 2: 5.

&

& Deo ſupplicent, omnes ejus merita Patri commemorent, omnes non ſuo, ſed ejus ſpiritu poſtulent: atque adeo cum dicitur: *Unus eſt Mediator* Dei & *hominum Homo Jeſus Chriſtus*, non excluduntur Sancti ſive regnantes in cælis, ſive viventes in terris. Sicuti cum dicitur:

Joan: 10: 8. *Omnes, quotquot venerunt, fures ſunt & latrones*, hoc numero non comprehenduntur *Abraham*, *Moyſes*, *Iſaias*, *Jeremias*, *Joannes Baptiſta*, &c. quia illi unum ſunt cum *Chriſto*: ita cum dicitur, quod unus ſit *Mediator*, unus *Advocatus*, ſub hoc uno Advocato & Mediatore continentur omnes illi, qui ab ipſo, veluti membra à ſuo capite, accipiunt ſpiritum precum; &, qui in ſuis precibus nullam agnoſcunt dignitatem aut meritum, quod non in illas à *Chriſti* meritis ac precibus derivetur. Unus ergo eſt Mediator, quia in omnibus *Chriſtus* orat & loquitur, juxta

2 Cor: 13. 3. illud *Pauli*: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur* Chriſtus.

Tra-

Tractatus Tertius.

DE

AMORE, LAUDE, FIDUCIA AC SIGNIS SIVE IMAGINIBUS,

Quibus Sancti, ac præſertim Deipara colendi ſunt.

§. I.

Cultus Sanctorum impugnatus eſt, quia non ſat animadverſum, in eiſdem ſignis ſæpè diſpar eſſe ſignificatum.

CUltum aliquem Sanctis ita poſſe deferri, ut Deo ad gloriam, & hominibus cedat ad ſalutem, aſſerunt Orthodoxi, ſoli negant Hagiomachi. Is verò cultus in quatuor rebus, nempe in *Amore*, *Laude*, *Fiducia*, & *externo*

quodam Apparatu præcipuè collocatus eſt. Arbitror eos, qui ſe gaudent Reformatos vocari, hunc cultum Sanctis denegare, quia non ſatis advertunt, quam ingens ſit diſcrimen inter *Amorem*, *Laudem* & *Fiduciam*, quibus colendus Deus; & inter *Amorem*, *Laudem* & *Fiduciam*, quibus Catholici Sanctos proſequuntur.

Affectus, quibus Deum, ejuſque Sanctos veneramur, eiſdem quidem nominibus, & nonnunquam etiam eiſdem ritibus exprimuntur; verum *Amor*, *Laus*, & *Fiducia*, quibus Deus colitur, altioris ſunt ordinis, quam illæ affectiones, quibus ſanctos Dei ſervos ac amicos veneramur. In paribus ergo ſignis diſpar eſt ſignificatum, & in eodem vocis ſono & corporis geſtu non eadem eſt voluntas, non eadem animi diſpoſitio. Atque hoc eſt quod hicce *Tractatus primò* exponet. *Deinde* ex illo *Tractatu* patebit, tam raros eſſe ſinceros Sanctorum ipſiuſque Deiparæ cultores, quam ſunt rari, qui Deum ita amant, ita laudant, atque ita in illo ſperant, quemadmodum ipſe jubet, ut eum amemus, eum laudemus, atque in eo ſperemus.

§. II.

§. II.

In Proximo, ſive beato ſive miſero, non diligendus niſi Deus.

CHriſtianis dubium eſſe non poteſt, quin Deiparam, alioſque Sanctos ſive Angelos ſive homines, ſicuti nosmetipſos, diligere debeamus. Nam omnes rationis ſocietate, licet non omnes ſanguinis propinquitate, ſunt proximi noſtri. Eo ergo præcepto, quo jubemur proximos ſicuti noſmetipſos diligere, etiam jubemur diligere Sanctos. Quis autem ſemetipſum benè diligit, niſi ille, qui Deum ſuum diligit? Is enim ſolus Bonum eſt, quo boni & beati ſumus. Ipſe ſi deſit, nil proſunt cætera; ipſe ſi adſit, proſunt omnia. *Quid enim ſumus*, inquit Auguſtinus, *ſi Deum non habebimus; aut quid aliud in nobis, quam Deum debemus diligere, aut quia habemus, aut ut habeamus?* Eum in nobis diligimus miſeri, ut ipſum obtineamus; eum in nobis diligimus beati, quia ipſum obtinemus ac poſſidemus. *Serm. 1. de diverſis.*

Sicuti autem in nobis ipſis non debemus niſi Deum diligere; ita nec in proximis aliud, quam Deum diligere debemus.

Tract: 65. in Ioan. *Qui enim*, inquit *Auguſtinus*, *ſancte & ſpiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit, niſi Deum?* Diligimus proximos in carne ambulantes, dum vel beneficentiæ conſolatione, vel informatione doctrinæ, vel diſciplinæ coërcitione ipſos ſatagimus adducere ad colendum Deum. Diligimus proximos in cœlo regnantes, dum ipſis de Deo adepto gratulamur, eique gratias agimus, quod ipſius ſint fruitione beati.

Quod autem nec in nobis, nec in proximis, ſive miſeris ſive beatis, aliud quam Deum diligere debeamus, appoſitè explicat *Hugo Victorinus* exemplo favi, qui non diligitur propter ſe, ſed propter mel, quod in ipſo eſt, vel in ipſo eſſe poteſt. „ Mel, „ inquit, propter ſeipſum diligitur, favus „ autem propter mel diligitur. Et ſi forte „ videris favum non habentem mel, vides „ receptacula, ubi mel eſſe debuerat, & „ doles vacua eſſe, & non placet tibi, quia „ arida ſunt: & cupis mel illic eſſe, quod „ diligis: & ſi venerit, amplius diligis. Ita„ que dilige Dominum Deum tuum, quia „ dulcedo eſt ipſe, & bonitas & veritas. „ Proximum autem tuum dilige, quia re„ ceptaculum eſt dulcedinis, bonitatis, & „ veritatis. Et ſi in eo inveneris, quod

Lib: 2. part: 13. cap: 6.

„ ha-

„ habere debet, dulcedinem, & bonita-„ tem, & veritatem; dilige in ipſo illa, & „ dilige ipſum propter illa. Si autem va-„ cuum inveneris bonis ſuis; dole quia re-„ ceptaculum inane vides, & opta, ut ve-„ niant ad eum, & intrent in eum bona „ ſua, ſine quibus bonus eſſe non poteſt. „ Dilige ergo Deum, quia bonitas eſt. Di-„ lige proximum, quia ex bonitate bonus „ eſt. Vel ſi bonus non eſt, ut ſit bonus, „ quia bonus eſſe poteſt. Qui enim jam „ eſſe non poſſunt boni, diligendi non ſunt, „ nec proximi ſunt; ſed alieni, & remoti, „ & extranei: hæc *Victorinus.* Ex cujus verbis lucet clariſſimè, nec in nobis ipſis, nec in proximis aliud, quam Deum eſſe diligendum.

§. III.

Diligit ſeipſum, qui diligit Deum; & diligit is Proximum ſicut ſeipſum, qui ſatagit, ut etiam is Deo repleatur, vel gaudeat quia eo plenus eſt.

Hanc porro doctrinam tam *Auguſtinus*, quam *Hugo Victorinus* à *Chriſto* didicerunt: dum enim ille dicit: *diliges proximum tuum, tanquam teipſum*, non obſcu- Marc: 12: 31.

P 3 re

re inſinuat, non alium eſſe amorem noſtrimetipſorum, quam amorem Dei. Cum enim nos ipſos diligere non ſit aliud, quam nobis ipſis bonum velle: & cum bonum noſtrum ſit Deus noſter, nonne Deum amare, eſt nobis ipſis Deum velle? Quid enim eſt amor, niſi vita quædam, ſive vitalis motio, duo quædam copulans, vel copulare appetens, nempe amantem & amatum? Amor ergo, quo Deum amamus, vita cordis eſt, quâ Deo, qui bonum noſtrum eſt, vel conjungimur, vel conjungi annitimur.

Certè ſi poſſet eſſe ſalutaris amor noſtri ſine amore Dei, tradidiſſet *Chriſtus* alterum pręceptum de amore noſtri, & tandem tertium dediſſet præceptum de proximo tanquam nos ipſos amando. Verum non docet diſtincto præcepto, quâ ratione nos ipſos diligere debeamus, ſed immediatè poſt *primum & maximum mandatum* de amando Deo, infert *ſecundum*, dicens: *diliges proximum tuum, tanquam te ipſum*, ut oſtendat & doceat, nos tunc ſolum benè amare nos ipſos, quando juxta *primum & maximum mandatum* amamus Deum noſtrum: hoc eſt, quando ejus obtinendi deſiderio flagramus, vel ob

illum

illum obtentum pio gaudio exultamus. Sicuti ergo nos ipſos tunc ſolum benè diligimus, quando primo & maximo mandato inſiſtentes, Deum tanquam bonum noſtrum, vel deſideramus ſi abſens eſt, vel eo gaudemus ſi præſens eſt. Ita proximum juxta *ſecundum mandatum* ſicuti nos ipſos diligimus, quando vel ſatagimus, ut ipſe Bono ſuo, nempe Deo, adunetur; vel lętamur, quia Bono ſuo adunatus eſt.

Divinè hęc ſuo more tradit *Auguſtinus*. *Epiſt:* 52.
„Cum ergo, inquit, illa dilectione, „quam divina lex imperat, debeat homo „diligere Deum & ſeipſum, & proxi-„mum; non tamen ex hoc tria præce-„pta data ſunt; nec dictum eſt, in his „tribus; ſed, *in his duobus præceptis to-„ta lex pendet & Prophetæ*, id eſt, in di-„lectione Dei ex toto corde, ex tota a-„nima, & ex tota mente, & proximi „tanquam ſui ipſius; videlicet ut intelli-„gatur nullam eſſe aliam dilectionem, „qua quiſque diligit ſeipſum, niſi quod „diligit Deum. Qui enim aliter ſe dili-„git potius ſe odiſſe dicendus eſt: fit „quippe iniquus, privaturque luce ju-„ſtitiæ, qui à potiore ac præſtantiore bo-„no averſus, atque inde vel ad ſeipſum

„ converſus, ad inferiora & egena utique
„ convertitur: fitque in ipſo, quod vera-
Pſal: 10: 6. „ cíſſimè ſcriptum eſt: *qui autem amat ini-*
„ *quitatem, odit animam ſuam.* Quia igitur
„ nemo, niſi Deum diligendo, diligit ſe-
„ ipſum, non opus erat, ut dato de Dei
„ dilectionę præcepto, etiam ſeipſum ho-
„ mo diligere juberetur; cum in eo dili-
„ gat ſeipſum, quod diligit *D*eum. *D*e-
„ bet ergo & proximum diligere tanquam
„ ſeipſum, ut quem potuerit hominem,
„ vel beneficentiæ conſolatione, vel in-
„ formatione doctrinæ, vel diſciplinæ co-
„ ercitione, adducat ad colendum *D*eum,
„ ſciens in his duobus præceptis totam le-
„ gem, Prophetasque pendere: hæc ver-
ba *Auguſtini*, quibus exprimit, quomodo
proximus in hac mortali vita conſtitutus
præcipue diligendus ſit. Illis vero proxi-
mis noſtris, qui in ea vita collocati ſunt,
ubi nemo miſer, nemo indoctus, nemo
vel tantillum à lege deflectens, alia dile-
ctionis officia, nempe gratulationis & lau-
dis, ſed non alia dilectio exhibenda. Sunt
tamen præ miſeris Beati ideo magis dili-
gendi, quia iſti ſunt receptacula plena
divinę bonitatis, dulcedinis, ac veritatis:
hi vero ſunt receptacula plerumque va-
cua,

tua, nec unquam hic ita plena, quin magis debeant adimpleri; & quin timor ſit, ne perdant bonum, quo ex parte repleti ſunt. Miſeris ergo impenditur pręcipue amor benefaciens; Beatis vero amor æſtimans, laudans, atque congratulans. Uterque vero amor Deum in proximo diligit: iſte diligit proximum, ut ſit, creſcat, & maneat in eo Deus; ille vero proximum diligit, quia in eo eſt, & manet Deus. In proximis ergo, dum bene diliguntur, non diligitur niſi Deus. Unde certiſſimè concluditur, à nemine proximum ſive beatum ſive miſerum rectè diligi, à quo Deus non diligatur. Hinc patet nihil verius eſſe iſtâ *Auguſtini* ſententia: *non novit diligere hominem, quiſquis non diligit eum, qui hominem fecit.* *Epiſt:* 151.

§. IV.

Amor, quo Sanctos colimus, inferioris eſt ordinis, quam eſt amor Dei: & ille cum hoc amore concordat, ſicuti concordat ſecundum cum primo mandato.

EX his immotis Chriſtianæ fidei Regulis fit perſpicuum, amorem quo San-

ctos colimus, eſſe amorem inferioris ordinis, quam eſt amor, quo Deum honoramus. Deus enim propter ſeipſum; homo vero, ſive miſer ſive beatus, non diligitur niſi propter Deum, hoc eſt, prout exponentem audivimus *Hugonem Victorinum*; *diligitur Deus quia dulcedo, bonitas, & veritas eſt; homo autem diligitur, quia iſtius dulcedinis, bonitatis, & veritatis receptaculum eſt.*

Nullus dubito, quin Hagiomachi, ſi ad hanc Catholicam doctrinam animum advertant, libenter ſint conceſſuri, amorem, quo Sanctos Eccleſia Catholica tradit eſſe colendos, amori, quo colendus eſt Deus, tam parum præjudicare, ac obſervatio ſecundi mandati adverſatur obſervationi maximi ac primi mandati.

§. V.

Nemo amat Deiparam, qui Deum non amat. Deum vero non amat, qui ejus mandata non ſervat.

Ex hac eadem doctrina conficitur, neminem ſibi ipſi poſſe perſuadere, quod Deiparam amet, quemadmodum Deipara amanda eſt, qui non ſit Dei ſui verus ama-

amator. Cum autem *Chriſtus* Dominus dicat: *ſi quis diligit me, ſermonem meum* Joan: 14: 23.
ſervabit... qui non diligit me, ſermones meos non ſervat: nonnè perſpicuum eſt, molles, adulteros, fornicatores, ebrioſos, blaſphemos, perjuros, calumniatores, detractores, fures, atque rapaces non amare *Dominum Jeſum*? qui autem non amat *Dominum Jeſum*; nec ejus matrem, nec alium Sanctum amare cenſendus eſt. Quando *Deipara* aliive Sancti amantur, uti eos amari oportet, tum amantur, quia in ipſis eſt dulcedo, bonitas & veritas *Deus*. Hæcne dulcedo amatur ab illis, qui amant detractionis, calumniarum & ſuſurrationum amaritudinem? Hæcne bonitas amatur ab iis, qui invidiæ, odii, & pugnarum malitia delectantur? Hæcne veritas amatur ab iis, qui perjuriis, dolo, & fraudibus recreantur? Illi ergo, quibus hæc vitia adhæreſcunt, non inter amatores *Deiparæ*, ſed inter oſores *Deiparæ*, reponendi ſunt.

§. VI.

§. VI.

Aliud eſt amare Deiparam, aliud recitare oretenus quaſdam precum formulas ad amorem Deiparæ compoſitas.

NEc dixeris eos ſępius recitare quaſdam precum formulas, quibus ſuum Deiparæ addicunt affectum; ſuum illi conſecrant amorem; & vovent ſervitutem. Nam aliud eſt amare, aliud dicere, quod ames. Amor è corde profluit, verba ex ore funduntur. Amat Virginem, qui amat Virginis filium; & non novit amare Virginem, quiſquis non diligit eum, qui Virginem fecit. Virginis autem filium, eumque, qui Virginem fecit, is non diligit, qui ejus ſermones non ſervat. Nihil enim verius iſto oraculo: *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*: &, *qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*: ubi ergo non eſt mandatorum cura atque cuſtodia, inde Dei exulat amor. Et unde exulat Dei amor, inde quoque exulat amor, quo Deipara bene diligitur. Ut ergo videas, num ames Deiparam, expende non formulas verborum, quibus dicis te amare Deiparam;

ram; ſed expende mandata, quæ à nobis exigit Deus. Hæc ſi non ſerves, tam parum diligis Deiparam, quam parum eum diligis qui fecit Deiparam.

§. VII.

Multi diligunt phantaſmata ſua, ſe putantes diligere Deum.

HÆc quamvis ſat ſint perſpicua, attamen clariora evadent, ſi conſideremus, quid ſit diligere Deum. Multi ſe putant Deum diligere, dum non amant niſi phantaſmata ſua, pro Deo ea habentes. Ex iſtorum numero erat *Auguſtinus*, quando arbitrabatur Deum eſſe lucem quamdam per immenſa locorum ſpatia diffuſam. Iſtum ſuum errorem, quo aliquando fuerat excæcatus, deplorans ait Deo ſuo: *Non enim tu eras, ſed vanum phantaſma & error meus erat Deus meus.* *Lib. 4. confeſſ. c. 7.* Alii cogitant Trinitatem ut molibus diſtinctam, vel etiam in modum trigoni; quas cogitationes *Auguſtinus* non veretur vocare *quamdam Idololatriam.* *Epiſt. 222.* Alii alia cum periculo animarum ſuarum de Deo fingunt.

Quiſquis enim talem cogitat Deum, qualis

lis non eſt Deus, alienum Deum utique & falſum in cogitatione portat. Quis autem, qui ſic cogitat Deum, quemadmodum ille eſt? ac per hoc, ait idem Doctor, *relinquitur fidelibus, quamdiu peregrinantur à Domino auferre à corde ſuo, irruentia vana phantaſmata, quæ ſe cogitationibus ingerunt, velut talis aut talis ſit Deus, qualis utique non eſt; & dirigere cor ad illum fideliter, ut quemadmodum, & quantum nobis expedire novit, ipſe ſe inſinuet per ſpiritum ſuum, donec abſumatur omne mendacium, unde dictum eſt: omnis homo mendax; & transactâ non ſolum impiâ falſitate, verum etiam ipſo ſpeculo & ænigmate facie ad faciem cognoſcamus.* Hæc ille.

Super Ioſue quæſt: 29.

§. VIII.

Deus cogitandus ut juſtitia, veritas & ſapientia; & homines propter juſtitiam, veritatem & ſapientiam amandi ſunt. Propter eas autem homo non diligitur, niſi ipſæ ipſo homine magis diligantur.

SEd petes qualiter ergo Deus cogitandus ſit? Docet hoc idem ſanctiſſimus Doctor: *Deus autem*, inquit, *juſtitia eſt. Non*

Non enim tibi fingere Deum debes quaſi idolum. Inviſibilibus ſimilis eſt Deus. Et ea in nobis ſunt meliora, quæ ſunt inviſibilia. Alio in loco ait idem Sanctus: *Neque enim Deus amandus eſt, ſicut aliquid quod videtur oculis: ſed ſicuti amatur ſapientia, & veritas, & juſtitia, & charitas, & ſi quid aliud tale dicitur: non quemadmodum iſta ſunt in hominibus, ſed quemadmodum ſunt in ipſo fonte incorruptibilis & incommutabilis ſapientiæ.* Ex his *Auguſtini* verbis liquet manifeſte, Deum ut juſtitiam, ut ſapientiam, ut veritatem, ut charitatem eſſe amandum. Si ergo Deus amandus ut ſapientia, juſtitia, veritas, & charitas: & ſi homines quicumque, non amandi, niſi propter Deum: ſequitur eos non amandos eſſe niſi propter juſtitiam, ſapientiam, veritatem, & charitatem. Propter juſtitiam vero, & charitatem, & veritatem ac ſapientiam nemo illos amare poteſt, quin magis amet ipſam veritatem, ſapientiam, juſtitiam & charitatem. Poteſtne quis amare medicamenta propter ſanitatem, quin magis ipſam diligat ſanitatem? Poteſtne quis amare librum propter ſcientiam, quin magis libro ipſam diligat ſcientiam? Poteſtne quis amare bellum pro-

Serm: 17. de verbis Apoſtoli.

De Catech: rud: cap. ult.

propter victoriam, quin magis bello ipſam diligat victoriam? Ita fieri non poteſt, ut quis diligat hominem propter ſapientiam, juſtitiam, charitatem & veritatem incommutabilem, quin magis homine diligat ipſam ſapientiam, juſtitiam, veritatem & charitatem. Cum autem Deiparam nemo hominum numero exemerit, hinc plane fit conſequens, ut, dum bene amatur, propter juſtitiam, ſapientiam, veritatem & charitatem adametur: nec etiam poſſit propter juſtitiam, ſapientiam, & veritatem incommutabilem adamari, quin ipſa juſtitia, ſapientia, & veritas incommutabilis magis quam ipſa Deipara adamentur. Ex his fit manifeſtum eos, qui charitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, & veritatis præcepta contemnunt, potius inter contemptores, quam inter cultores Virginis eſſe numerandos.

§. IX.

Rari ſunt veri Deiparæ amatores.

SIcuti rari ſunt, qui veritatem, ſapientiam, juſtitiam, & charitatem incommutabilem amant & obſervant, ita proculdubio rari ſunt, qui Deiparam diligunt

gunt ac venerantur. Si fures, rapaces, avari, & iniqui juſtitiæ clientibus; ſi votifragi, perjuri, blaſphemi, ſuperſtitioſi, fraudulenti ſtudioſis veritatis accenſendi ſunt; libenter admiſerim eos omnes inter Deiparæ amatores poſſe recenſeri. Verum ſi alienæ rei detentores non inter juſtitiæ amicos; nec libidinoſi inter charitatis cultores; nec vani inter ſapientiæ clientes; nec perjuri inter alumnos veritatis merentur numerari; neque etiam merebuntur numerari inter amatores & cultores Virginis, quæ non bene amatur, niſi quando ob ſapientiam, veritatem, juſtitiam & charitatem adamatur.

§. X.

Ex amore, quo nosipſos diligimus, diſcernendus amor, quo proximum ipſamque Deiparam diligimus. benè ſe & proximum æſtimat, qui ſe & proximum æſtimat miſeros & felices ex conjunctione aut ſeparatione à Deo.

ACcedit, quod ex amore, quo nosipſos proſequimur, dignoſcere poſſimus,

mus, an benè aut malè proximos diligamus. Cum enim eos ſicut noſipſos diligere debemus, indubitatum eſt, male proximum à nobis diligi, ſi nos ipſos male diligamus. *Prius vide ſi jam noſti diligere teipſum, & committo tibi proximum, quem diligas ſicut te ipſum. Si autem nondum noſti diligere te: timeo, ne deſpicias proximum, ſicut te. Si enim amas iniquitatem, non diligis: Pſalmus teſtis eſt: qui, inquit, diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Si autem odiſti animam tuam, quid tibi prodeſt, quia diligis carnem tuam? Si odiſti animam, & diligis carnem tuam, reſurget caro tua; ſed ut torqueatur anima tua. Ergo prius anima diligenda eſt, quæ Deo ſubdenda, ut ordinem ſuum ſervitus iſta cuſtodiat. Anima Deo: anima caro. Vis ſerviat caro tua animæ tuæ, Deo ſerviat anima tua. Debes regi, ut poſſis regere.*

Serm: 43. de verbis Domini.

Ex his *Auguſtini* verbis conſtat, animam tunc ſeipſam bene diligere, quando Deo ſubdita ordinem juſtitiæ ſervat, & quando ab æterna ſapientia regitur, ut ſibi ſubditum corpus regat ſapienter. Si autem anima ſerviat carnis cupiditatibus, & violet juſtitię ordinem, quæ exigit, ut deteriora melioribus ſubdantur, tunc, ſicuti

ſicuti ſeipſam non diligit, ſed odit; ita tunc nec proximum diligere, ſed potius odiſſe cenſenda eſt. Quare ſi ille, qui ſeipſum male amat, proximum benè amare non poſſit, procul dubio nec poterit Deiparam, ullumve Sanctum, caſto aut ſpirituali amore proſequi; ſiquidem proximis noſtris ob rationis ſocietatem *D*eipara annumeranda eſt; quamvis ob ſpeciales gratiæ & gloriæ prærogativas nobis ſit multo ſuperior. Non diligitur in proximis æterna juſtitia, veritas, & ſapientia, niſi illæ ipſæ nobis placeant, niſi nos ipſos ex earum poſſeſſione aut privatione æſtimemus miſeros aut felices, abjectos aut ſublimes, turpes aut decoros. Turpes, abjectos & miſeros, ſi illis careamus, tametſi abundent cætera. *D*ecoros vero, excelſos & felices, ſi illis perfruamur, tametſi deſint cætera.

Qui ita novit ſeipſum amare & æſtimare, is etiam proximum probè ſciet amare & æſtimare. Illum æſtimabit maximum, ſi illum ſummo bono noverit conjunctiſſimum: illum reputabit pulcherrimum, ſi in ejus affectibus regnet juſtitiæ decor: illum cenſebit feliciſſimum, ſi in ejus mente & corde fulgeat & ardeat lux &

amor veritas incommutabilis. Econtra proximum cenſebit turpem, abjectum, & miſerum, ſi in ejus mente non luceat veritas, ſi ejus cordi non præſideat charitas, & ſi ipſius affectus non moderetur ſapientia. Qui ergo æternam charitatem, veritatem, atque ſapientiam amat ut ſummum ſuum bonum, is *D*eiparam novit amare, ut amanda eſt. Talis Deiparam, amans illam ſicuti ſeipſum, & amore appretiativo eam amans multo magis quam ſeipſum, amat & æſtimat beatiſſimam, & omnibus beatis beatiorem, omnibus ſublimibus, nempe puris creaturis, ſublimiorem, quia Deipara præ omnibus lucet veritate, ardet charitate, regitur ſapientia, ſplendeſcit decore juſtitiæ.

Qui vero ſeipſos amare & cenſere neſciunt, ſi ament & magni faciant *D*eiparam, ob alia bona & dona illam magni facient, quam ob illa, quæ vera ejus & maxima bona ſunt. Hic illam amabit ob quandam animi mollitiem, quæ vitiis neſcit iraſci. Ille eam amabit ob ſexus & corporis dotes. Iſte eam colet, quia tale in ea cogitat faſtigium, quale ſuſpiciunt ambitioſi in ſuperbis mundi imperiis.

§. XI.

§. XI.

Qui ſeipſos neſciunt ex juſtitiæ & veritatis poſſeſſione æſtimare, ſi in Deipara eas æſtiment, ſordido eas amore æſtimant. Superbis mulieribus accenſeretur Deipara, ſi crederetur delectari amore non ei propter Deum exhibito.

ET ſi qui ſeipſos amare neſcii, in Deipara ament & laudent juſtitiam, ſapientiam & caſtitatem, eas amant, ſicuti ſæpe fures in aliis juſtitiam, adulteri in uxoribus ſuis caſtitatem, & ſuperbi in ſuis ſubditis diligunt humilitàtem. Iſti enim laudatas virtutes amant, non quia virtutes & animarum bona & decora ſunt; ſed ideo, quia aliorum juſtitiam, caſtitatem, & humilitatem ſuis libidinibus utiles & faventes exiſtimant. Amant in aliorum virtutibus, non virtutum decus, ſed commodum vitiorum; nec virtutes magni faciunt, quia illis alii Deo ſerviunt; ſed eas æſtimant, quia illas ſuis criminibus credunt officioſas. In tali ergo virtutum amore, non virtutes, ſed ipſa vitia dili-

guntur. Porro quis non videt, quam talis amor indignus ſit, qui *Deiparæ* exhibeatur? quam ſit impurus ad diligendam *Virginem puriſſimam*; quam nullius pretii, ut ullum meritum apud creaturarum digniſſimam habere poſſit. Nemo ergo ex tali amore aliud expectet; quam Deiparę iram & indignationem.

Certè ſi quis cogitaret Deiparam delectari amore non propter Deum ei impenſo, nihil ea dignum cogitaret; ſed eam crederet ſimilem vanis ac ſuperbis mulieribus, (quod crimen eſt vel cogitare) quę ſe gaudent ob corporis pulchritudinem, ob generis nobilitatem, ob animi & corporis teneritudinem, aliaque ſimilia diligi, ſusque deque habentes, num illi, à quibus diliguntur, Deum diligant, colant, ac venerentur.

§. XII.

Deipara perfectiſſime implet hoc mandatum: diliges proximum ſicut teipſum.

UTi Deipara præ omnibus creaturis eſt ſublimiſſima, ita quoque perfectius, quam cæteræ creaturæ adimplet illud

iſtud præceptum: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. proximum tuum ſicuti te ipſum.* Unde ſive ſpectemus Virginis erga Deum amorem, ſive conſideremus ejus erga homines charitatem, aliud velle non poteſt, quam ut toto corde, tota mente, & tota fortitudine Deum diligamus: quatenus enim Deum diligit, ejus honorem & cultum maxime cupit. Quis autem cultus Dei, niſi amor Dei? Unde *Auguſtinus* loquens de amore Dei: *hic eſt Dei cultus, hæc vera Religio, hæc tantum Deo debita ſervitus.* Vult ergo Deipara, quatenus Dei amat honorem, ut etiam nos eum toto corde & tota mente diligamus, atque ita diligentes perfectiſſime colamus. Quatenus vero noſtram cupit ſalutem, etiam velle cenſenda eſt, ut Deum toto corde diligamus. Nam ut veriſſimè *Auguſtinus*: *quisquis rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipſe toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum: ſic enim eum diligens, tanquam ſeipſum, totam dilectionem ſui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum rivulum extra ſe duci patitur, cujus derivatione minuatur.*

Mat: 22. 37.

Lib: 10. de Civit: Dei cap: 4.

Lib: 1. cap. 22. de doct: chriſt:

§. XIII.

Ab amore ſeſe in Deum referente Deipara vocatur Virgo puriſſima. Non fert, ut amor noſter in ſe hæreat; ſed vult, ut ad Deum tranſeat, qui eſt & noſtra & ipſius beatitudo.

AB hoc amore ſeſe in Deum omnino referente magis quam à puritate corporis, licet mundiſſimi, vocatur *Virgo puriſſima.* Et ſi quis arbitraretur, eam poſſe delectari amore, qui non per illam in Deum tenderet, ſed in illa hęreret, illam ſummo probro afficeret; & quod horror eſt dicere, eam ſuperbis hominibus ac dæmonibus aliquatenus accenſeret. Nam iſtud, uti notat *Auguſtinus*, *homo ſuperbus & angelus ſuperbus arrogant ſibi, atque in ſe aliorum ſpem gaudent conſtitui. Sanctus autem homo & ſanctus Angelus* (& prę omnibus diva Virgo) *etiam feſſos nos, atque in ſe acquieſcere, & remanere cupientes, reficiunt potius, aut eo ſumptu, quem propter nos, aut illo etiam, quem propter ſe acceperunt: acceperunt tamen, atque ita refectos in illum ire compellunt,*

Lib. 1. cap. 33. de doct. chriſt.

lunt, quo fruentes pariter beati ſumus: nam & Apoſtolus clamat: nunquid Paulus *pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine* Pauli *baptizati eſtis? Et neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Et Angelus hominem ſe adorantem monet, ut potius illum adoret, ſub quo ei Domino etiam ipſe conſervus eſt.*

Uti Virgo prę omnibus eſt divini honoris & noſtræ ſalutis ſtudioſiſſima; ita omnino de illa hoc debemus ſentire, quod nos maxime cupiat ad Deum ducere, & non velit à nobis, niſi in Deo, & propter Deum honorari, quia ipſe unus eſt bonum noſtrum, cujus fruitione beati ſumus. Hinc optimè & graviſſimè ait *Auguſtinus: hæc eſt, fratres mei, Religio Chriſtiana, ut colatur unus Deus, non multi dii, quia non facit animam beatam, niſi unus Deus. Participatione Dei fit beata, non participatione ſanctæ animæ* (qualis eſt anima Beatę Virginis) *fit beata anima infirma, nec participatione Angeli fit beata ſancta anima: ſed, ſi quærit beata eſſe infirma anima, quærat unde beata ſit ſancta anima. Non enim beatus efficeris ex Angelo tu, ſed unde Angelus, inde & tu. His præmiſſis atque firmiſſime conſtitutis animam rationa-*

Tract: 23. in Ioann:

lem non beatificari niſi à Deo; ſapientiſſimè ibidem monet *Auguſtinus* dicens: *illuc perge anima contemptis cæteris, vel etiam tranſcenſis, illuc perge; nihil potentius iſta creatura; quæ mens dicitur rationalis, nihil hâc creaturâ ſublimius: quicquid ſupra iſtam eſt, jam Creator eſt.*

§. XIV.

CHRISTUS, *quatenus homo, noluit amari amore manſorio ſed tranſitorio, quia ſola natura divina eſt beatitudo noſtra.*

QUia ergo ſola divinitatis natura incommutabilis ita eſt humanâ mente ſuperior, ut illam explere & beare poſſit; hinc ipſe *mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus* noluit nos in ſuæ humanitatis amore hærere defixos, ſed per ejus cognitionem in inviſibilium amorem rapi. *Ego ſum via, & veritas, & vita*, inquit ipſe ſalvator, hoc eſt, *per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. Cum enim ad ipſum pervenitur, etiam ad ipſum patrem pervenitur; quia per æqualem ille, cui eſt æqualis, agnoſcitur, vinciente & tanquam agglutinante Spiritu Sancto, quo in ſummo atque*

Aug: lib: 1 de doct: chriſt: c. 33. & 34.

atque incommutabili bono permanere poſſumus: ex quo intelligitur, quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipſe Dominus, inquantum via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluerit, ſed tranſire, ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro ſalute noſtra ſusceptis & geſtis, hæreamus infirmiter; ſed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipſum, qui noſtram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervenire mereamur.

Cum ergo in *Chriſto*, quatenus homine, nequaquam hærere debeamus, quod ipſe, uti homo, non ſit beatitudo noſtra; ſed via ad beatitudinem; multo minus in Virgine hærere nobis licitum, ſed per ipſam amor noſter in Deum tendere debet, ut illius poſſeſſione ſimus beati; quemadmodum illius unius fruitione Virgo Deipara eſt & laudatur beata. Non ergo Deipara, ſed ille ipſe eſt bonum noſtrum ac beatitudo, qui eſt Virginis incommutabilis ac æterna felicitas. In illo itaque, & propter illum amanda eſt Deipara, omneſque animæ, tam ſanctæ quam infirmæ, Illæ quippe, quia eo perfruuntur; hæ vero, ut illo perfruantur. In utriſque ergo, dum

dum amore, caſto & ſancto amantur, non amatur niſi Deus. Amantur beati, quia eſt in illis æterna juſtitia, veritas, & ſapientia Deus noſter; amantur miſeri mortales, ut ſit, & regnet in illis Deus eorum. Deus autem tanto magis in Deipara eſt amandus, quanto ipſa præ omnibus Sanctis etiam Seraphinis, æternæ ſapientiæ, veritati incommutabili, puritati incorruptibili, ac juſtitię ſempiternæ eſt conjunctior, ſubjectior, devotior, ac plenior. Atque in hac amoris præcellentiâ, *Hyperdulia*, qua Theologi docent Deiparam eſſe colendam, præcipuè collocata eſt.

Ex his diſcant Hagiomachi, ſapientem Sanctorum cultum, cum cultu, quo Deus honorandus eſt, tam bene componi, atque charitas, qua Sancti diliguntur, componitur cum charitate, qua Deus diligitur: ſiquidem iſtius cultus pars maxima in iſta charitate conſiſtit.

§. XV.

Vt MARIAM *diligas requiritur animi ſublimis affectio.*

EX his etiam diſcant Catholici rudiores, ad *Mariam* ſanctè diligendam, per-

perinde requiri ſublimem animum, ac requiritur animus à terrenis defæcatus, ut Deus ac Dominus noſter ſancto amore diligatur.

Etenim ſecundum mandatum, auctore *Chriſto*, ſimile eſt primo. Ut primum impleas, oportet, ut ſanctus ſit amor: ut ſecundum obſerves, amor quoque ſit ſanctus, neceſſe eſt. Dum primum obſervas mandatum, tum in ſeipſo diligitur Deus. *D*um ſecundum obſervas, tum in proximo diligitur: ſecundum ergo primo eſt ſimile, quia ejuſdem amoris officium exigit, & quia non minus ad ſecundi mandati, quam ad primi cuſtodiam requiritur Spiritus Sanctus, ut diffundat charitatem in cordibus noſtris; atque ejus diffuſione amemus proximos quidem mortales, & miſeros, agendo cum ipſis, ut ipſi perfecto amore Deum diligant: proximos vero beatos, gaudendo cum ipſis, quia ipſi Deum perfecto, lætoque amore diligunt.

§. XVI.

Diligenda Deipara, quia per illam noſtrum accepimus ſalvatorem.

HUcusque egimus de dilectione, qua Sanctos ac præſertim Deiparam diligere

gere oportet; oſtenſumque eſt, eos ſancto amore eſſe diligendos; ipſosque tunc ſancto amore diligi, quando Deus in ipſis, ipſique in Deo, & propter Deum diliguntur. Nunc expendemus, quæ bona nobis per Deiparam conferuntur, ut edocti, quibus beneficiis nos ſibi obſtrinxit, dignum illi gratitudinis amorem referre ſatagamus.

Summum, quod per *Mariam* beneficium accepimus, & quo Deus nos, ad illam diligendam, devinxit maximè, eſt, quod noſtrum per illam nobis donaverit ſalvatorem. *Magnum ſacramentum* (adde beneficium) *quoniam per feminam nobis mors acciderat*, *vita*, inquit Auguſtinus, *nobis per feminam naſceretur*, *ut de utraque natura*, *id eſt*, *feminina*, *&* *maſculina*, *victus Diabolus cruciaretur*: *quoniam de ambarum ſubverſione lætabatur, cui parum fuerat ad pœnam*, *ſi ambæ naturæ liberarentur*, *niſi etiam per ambas liberaremur*. Et alibi ait idem Auguſtinus: *eiſdem gradibus, quibus perierat humana natura, à* Jeſu Chriſto *Domino noſtro reparata eſt*. Adam *ſuperbus*, *humilis* Chriſtus: *per feminam mors*, *per feminam vita*: *per* Evam *interitus*, *per* Mariam *ſalus*. *Illa corrupta ſecuta eſt ſeducto-*

De Agone Chriſtian. cap. 22.

Lib. 3. de ſymbolo ad Catech. c. 4.

ductorem, hæc integra peperit ſalvatorem. Illa poculum à Serpente propinatum libenter accepit & viro tradidit, ex quo ſimul mererentur occidi. Hæc gratia cæleſti deſuper infuſa vitam protulit, per quam caro mortua poſſet reſuſcitari. Per Mariam ergo vitam, ſalutem & libertatem ſumus conſecuti, quia per illam *Chriſtus* nobis datus eſt, qui eſt vita, ſalus & libertas noſtra.

§. XVII.

Maria *devotione maxima ſe Deo ſacravit, ut fieret Deipara.*

NEc datus eſt per illam, ſicuti per mortuum inſtrumentum: quod nullam dignitatem, meritum, & gloriam mutuatur ab eo, quod per illud datur: ſed natus eſt *Ieſus* ex *Maria* offerente ſeipſam, tum religioſiſſima erga Deum obedientia, tum charitate erga mundi ſalutem ardentiſſima, ut in ſe, & ex ſe ille naſceretur, qui non ſolum Altiſſimi Filius, ſed etiam foret Salvator ac mundi Redemptor. Atque ob hanc *Mariæ* obedientiam, charitatem, & humilitatem, quibus non tam Filium, quam Salvatorem & Redemptorem parere cupiebat, ſicuti & ob hoc quod caro

ejus

ejus pepererit carnem *Chriſti*, arbitror docere *Auguſtinum*, nos per utramque naturam maſculinam & femininam eſſe liberatos.

§. XVIII.

Vocatur MARIA *Mater noſtra, quia charitate coöperata eſt, ut fideles in Eccleſia naſcerentur.* MARIA *ſpiritu Mater noſtra: carne mater* CHRISTI.

ET quia, *Chriſtum* concipiendo, toto corde deſideravit libertatem ſive Redemptionem mundi, & quia etiam nunc eam deſiderare non deſinit; hinc *Mariam* ſalutamus non ſolum Deiparam, ſed etiam Matrem noſtram. *Maria ergo*, inquit *Auguſtinus faciens voluntatem Dei, corporaliter* Chriſti *tantummodo mater eſt, ſpiritualiter autem & ſoror & mater. Ac per hoc illa una femina, non ſolum ſpiritu, verum etiam corpore & mater eſt & Virgo. Et mater quidem Spiritu non capitis noſtri, quod eſt ſalvator, ex quo illa magis ſpiritaliter nata eſt; quia omnes, qui in eum crediderint, in quibus & ipſa eſt, rectè filii ſponſi appellantur. Sed plane mater membrorum ejus, quod nos ſumus, quia cooperata eſt* cha-

Lib: de S. Virginit. cap. 5. & 6.

charitate, ut fideles in Eccleſia naſcerentur; qui illius capitis membra ſunt: corpore vero mater ipſius capitis. Ex his *Auguſtini* verbis adverte, *Mariam* duplici titulo eſſe matrem, nempe carne & ſpiritu. Carne parit, ſed ſolum *Chriſtum*; ſpiritu parit, ſed duntaxat membra *Chriſti*. Spiritu non parit *Chriſtum*, quia ipſa à *Chriſto* accepit fidem, ſpem, charitatem, cæteraque dona, ac virtutes, quibus Dei filia, & ſponſa, & digna mater facta fuit; non vero *Chriſtus* per merita & virtutes *Mariæ* fuit plenus gratia & veritatę. Spiritu ergò *Chriſtus* pater potius eſt matris ſuæ, quam filius matris ſuæ. Hæc vox: *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, tam *Mariæ* Joan. 1: 16. convenit, quam cæteris *Chriſti* filiis. Imo Deipara eam vocem, *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* tanto libentius, quam cæteri, uſurpat, quanto ipſa præ cæteris gloriæ *Chriſti* ſtudioſior, atque excelſa humilitate ſublimior. *Maria* itaque ſpiritu non genuit *Chriſtum*, ſed ab illius ſpiritu regenita eſt, quia non ipſa *Chriſto*, ſed *Chriſtus* ipſi gratiam & gloriam promeruit. Noſtra autem mater eſt ſpiritu, quia ſua charitate cooperata eſt, & cooperatur, ut naſcantur in Eccleſia fideles.

Filii ergo ſumus *Mariæ*, quia *Maria* pro nobis orando, noſtramque deſiderando ſalutem impetrat, ut in *Chriſto* regeneremur, & accipiamus ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.

§. XIX

MARIA *eſt mater noſtra, quia illum genuit, in quo omnes regenerandi erant, ſecundum rationem ſpiritalis ſeminis.*

In aſſumptione S. MARIÆ *ſerm:* 1.

HAnc *Auguſtini* doctrinam fuſius explicat *Guerricus* Abbas, quem juvabit audire: Ipſa tamen; inquit, unica „ Virgo mater, quæ ſe Patris unicum genuiſſe gloriatur, eundem unicum ſuum „ in omnibus membris ejus amplectitur, „ omniumqne, in quibus *Chriſtum* ſuum „ formatum agnoſcit, vel formari cognoſcit, matrem ſe vocari non confunditur. *Eva* vetus illa, non tam mater „ quam noverca, quæ filiis antè propinavit præjudicium mortis, quam initium „ lucis, dicta eſt quidem mater cunctorum viventium, ſed inventa eſt verius „ interfectrix viventium, ſeu genitrix „ morientium: cum ſuum generare, ni- „ hil

Gen: 3.

„ hil aliud ſit, quam mortem ingenerare. „ Et quia illa non potuit fideliter inter„ pretari nomen ſuum, iſta implevit my„ ſterium: quæ & ipſa ſicut Eccleſia, cu„ jus forma eſt, mater eſt omnium ad vi„ tam renaſcentium. Mater ſiquidem eſt „ *vitæ*, qua vivunt univerſi: quam dum „ ex ſe genuit, nimirum omnes, qui ex ea „ victuri ſunt, quodammodo regenera„ vit. Unus generabatur, ſed nos omnes „ regenerabamur: quia videlicet ſecun„ dum rationem ſeminis, quo regneratio „ fit, jam tunc in illo omnes eramus. Si„ cut enim in *Adam* fuimus ab initio „ propter ſemen carnalis generationis: ſic „ in *Christo* ante initium, propter ſemen „ ſpiritalis regenerationis. Porro beata „ mater illa *Christi*, quia ſe matrem Chri„ ſtianorum cognoſcit ratione myſtery: „ curâ quoque ſe matrem eis præſtat & „ affectu pietatis. Neque enim duratur ad „ filios, quaſi non ſint ſui, cujus viſcera „ ſemel quidem fæta, ſed nunquam effæ„ ta, nunquam deſinunt fructum partu„ rire pietatis. Benedictus ſiquidem fru„ ctus ventris tui, gravidam te, ô pia ma„ ter, inexhauſta pietate reliquit; ex te „ quidem ſemel naſcens, ſed in te ſemper

„ manens & affluens, & in horto conclu-
„ ſo caſtitatis, fontem ſignatum charita-
„ tis ſemper abundare faciens: qui licet
„ ſignatus ſit, foras tamen derivatur, &
„ in plateis aquæ ejus nobis dividuntur.
„ Licet namque fons charitatis proprius
„ Eccleſiæ, incommunicabilis ſit alienis,
„ beneficium tamen ejus impartire gau-
Gal: 4. „ det etiam inimicis. Denique ſi ſervus
„ *Chriſti* filiolos ſuos iterum atque iterum
„ parturit, cura atque deſiderio pietatis,
„ donec formetur in eis *Chriſtus*; quantò
„ magis ipſa mater *Chriſti*? Et *Paulus* qui-
„ dem genuit eos, verbum veritatis, quo
„ regenerati ſunt, prædicando: *Maria*
„ autem longè diviniùs atque ſanctius
„ verbum ipſum generando. Laudo qui-
„ dem in *Paulo* prædicationis myſterium,
„ ſed plus miror ac veneror in *Maria* ge-
„ nerationis myſterium.

§. XX.

§. XX.

In laudatis Guerrici *&* Auguſtini *verbis nil reprehendi poteſt. Quomodo preces* Christi *&* Mariæ *conferant ad noſtram redemptionem.*

Nihil eſt in hac *Auguſtini* & *Guerrici* doctrina, quod Hagiomachi redarguere poſſint, ac ſi foret *Chriſto* injurium. Nam illud quod *Maria* confert ad noſtram regenerationem ac ſalutem, longe infra illud eſt, quod *Chriſtus* ad illam confert. Conferunt ad noſtram regenerationem ac libertatem preces *Mariæ*, conferunt ad eandem preces *Chriſti*; ſed nulla in *Mariæ* precibus efficacia, nulla virtus, quam non à precibus *Chriſti* mutuaverint. Orat *Chriſtus*, orat *Maria*, ſed ſpiritus precum non eſt in *Maria*, niſi per *Chriſtum*. Meretur noſtram ſalutem *Chriſtus* agens & patiens, eam etiam meretur *Maria* tam agendo, quam patiendo; ſed, quicquid meriti ac pretii in *Mariæ* operibus doloribusque, id à *Chriſto* agente & patiente hauſtum eſt. Calum-

niantur ergo adverſarii Catholicos, quando aſſerunt, ipſos ſentire, quod *Maria* mater noſtra non minus ad ſpiritalem noſtram contribuerit nativitatem, quam ad illam contribuerit *Chriſtus* ſpirituum ac futuri ſæculi Pater.

§. XXI.

Hyperbolæ unius alteriusve ſcriptoris Eccleſiæ non ſunt attribuendæ.

NEc eſt, quod nobis obiiciant aliquem Catholicum Scriptorem, his verbis „*Mariam* alloqui. O magna creditrix „mortalium *Maria*! quot tibi nominibus deſervire tenemur? quam multis „vinculis corda tibi dulciter fortiterque „aſtrinxiſti? parumne fortaſſe eſt, beneficia à te in nos profecta, tanta tamque multiplicia eſſe, quam, quæ Servatori noſtro, Filio tuo accepta ferimus? quanta eſt hæc obligatio (certo „quodammodo) tam nos arctè Deiparæ „devinciens, quam ipſi Deo! in tantum, „ut gratiam mihi nullam *Ieſus* fecerit, „quam non etiam matri ipſius debeam. Non eſt enim quod Hagiomachi iſtius auctoris verba Catholicis objiciant: uti Eccleſia

eſia non probat, quicquid agunt Catholi- nonnulli, ita non probat quicquid à qui- uſvis Catholicis ſcribitur. Eccleſiæ ſenſus e cultu Deiparę ex Eccleſię decretis, non x obſcuris & vix notis privatorum ſcrip- s deſumendus eſt. Fatemur, quod, quam- is ad omnia, quæ à Deo & *Chriſto* bene- cia obtinemus, quodammodo concur- it Deipara: attamen, ſicuti Deus & *hriſtus* Dominus ad illa multo nobiliori ıodo concurrunt, & illa nobis donant, uam ea donet Deipara: ita ob illa Deo c *Chriſto* Domino longe magis debemus, uam debeamus Virgini.

§. XXII.

Quomodo idem effectus MARIÆ & CHRISTO *ſubinde tribuitur*, & *ſubinde ſoli* CHRISTO *vindicetur.*

COnferunt ad noſtram in *Chriſto* rege- nerationem imprimis Deus ac Domi- us noſter *Ieſus Chriſtus*; conferunt iorum gemitus eam deſiderantium; con- ert Prædicator Evangelii; confert mi- iſter ſacramenti; confert aquæ Elemen- ım. Verum reſpectu Dei tam parum eſt, uod ſua charitate & miniſterio ad rege-

 nera-

nerationem contribuêre *Paulus* & *Apollo*, ut ſcribat ille: *Ego plantavi, Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Et reſpectu ejus, qui charitatis gemitibus peccatorum deſiderat juſtificationem, tam parum eſt ille, qui eam tantummodo auctoritate miniſterii procurat, ut dicat *Auguſtinus*, non per malos miniſtros, quantumvis ſacramentum Baptiſmi aut pœnitentiæ adminiſtrantes, ſed per columbæ gemitus, hoc eſt, per vota & deſideria piorum, qui in Eccleſia ſunt, peccata remitti. *Remiſſam*, inquit, *peccatorum*, *mali quippe ſacerdotes*, *non dabant*, *quæ per orationes Sanctorum, id eſt, per columbæ gemitus datur. Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus: ſi cui dimiſeritis peccata, remittuntur illi; ſi cui tenueritis tenebuntur.* Hæc non dicit *Auguſtinus*, quaſi ſentiens non remitti peccata, dum ſuo miniſterio ea remittit malus ſacerdos; nam *lib.* 5. *de Baptiſmo contra Donat. c.* 20. diſertis verbis aſſerit, etiam per homicidas Baptiſmi, Olei, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ Sacramenta validè & fructuoſè adminiſtrari.

1 Cor. 3. 6.

Lib. 3. *de Bapt contr: Donat: cap.* 18.

Verum illud, quod eſt peccata ſolo mi-

miniſterio ſolvere, reſpectu ejus, quod eſt peccata ſolvere vitæ merito, tam parvi facit, ut orantis & gementis merito charitatis,& non ſervientis miniſterio poteſtatis remiſſionem tribuat peccatorum. Tandem concurrit ad regenerationem ſacerdos miniſter, concurrit & aquæ elementum, ſed concurrit ſacerdos mentis intentione, & aqua ſuæ materiæ effuſione; mentis autem intentio comparata cum materiæ motione tam nobilis eſt, ut hæc illius reſpectu parvi ſit facienda.

Hoc exemplo luce meridiana fit clarius, quod, quamvis Dei in nos beneficia etiam *Mariæ* in nos munera dici poſſint, attamen illa multo magis ſint Dei erga nos, quam *Mariæ* dona; adeoque ob illa multo magis Deum, quam *Mariam* diligere debeamus.

§. XXIII.

An laudabile, ſi de Virgine dicas; ſic enim Maria *dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret?*

Quare etiam illorum zelum probare nequeo, qui, ut nos excitent ad *Mariæ* amorem, prædicant, quod, ſicuti *Chriſtus* ad Dei amorem nobis maxime

commendandum dixit, quaſi admirabundus: *ſic enim Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret*: ita quoque de *Maria* loqui poſſint: *ſic enim Maria dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret*. Scio adverſarios libellum, in quo ſimilia leguntur, proferre probro Catholicæ Religionis: verum movent illi Eccleſiæ bella injuſta, dum ex intemperie unius alteriusve ſcriptoris Eccleſiæ ſtudium in colenda Deipara vexare non deſinunt. Nam hæc verba: *ſic enim Deus dilexit mundum* &c. ut Dei verbum veneratur Eccesia: hæc autem verba: *ſic Maria dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, non niſi, ut hominis verbum habet Eccleſia. In his verbis: *ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, miratur & adorat Eccleſia amorem, qui amor Deus ipſe eſt; & tam cauſam non habet, quam non habet cauſam Deus. Amor, quo *Maria Chriſtum* concepit & peperit, & ad mundi ſalutem obtulit, amor creatus eſt. Amor, quo *Deus ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, eſt amor omnipotens, qui bonum, quod nobis vult, creat in nobis. Amor quo *Maria* diligens

Joan. 3. 16.

ligens mundum, Filium ſuum unigenitum dedit, non eſt amor omnipotens, nec bonum quod nobis deſiderat, ipſe creat. Amor quo *Deus ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, non profluxit ex officio legis ſervandæ, ſed proceſſit ex divinitatis plenitudine. Amor, quo *Maria* mundum diligens filium ſuum dedit, lege exigebatur, eratque officii debitum. Amor, quo *Deus ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* ad incarnandum & crucifigendum, non eſt, ut ſibi vel Filio ſuo fructus inde accreſceret, ſed ut omnia cujuscumque ſexus, nationis, ætatis, & conditionis, qui rem facillimam ſolummodo fecerit, hoc eſt, qui crediderit in eum iſta fide; qua fit quod creditur eſſe faciendum, non pereat ſed habeat vitam æternam. Amor, quo *Maria* mundum diligens Filium ſuum dedit, ad maximam fuit *Mariæ* utilitatem; nam ex morte filii à peccato redemptionem, & à miſeria ac morte libertatem in cœlis eſt conſecuta. Si ergo ſe ſalvam & beatam volebat, Filium ad ſui ipſius mundique ſalutem dare oportebat. Cum ergo in his verbis, *ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſu-*

um unigenitum daret, deſignetur amor æternus; amor Deo conſubſtantialis; amor omnipotens; amor non legi ſubditus, ſed omnis creati amoris lex incommutabilis; amor non ex egeſtate profluens, ſed in divinitatis plenitudine ſubſiſtens, qualis amor, *Maria* amor eſſe non poteſt: hinc haud eos laudaverim, qui hæc *verba*, *ſic enim Deus dilexit mundum*, *ut Filium ſuum unigenitum daret*, *Mariam Deo* comparantes ita efferunt, *ſic Maria dilexit mundum*, *ut Filium ſuum unigenitum daret*. Nam ex hac comparatione natum eſt fieri, ut aut amorem, quo Deus Filium ſuum miſit in mundum, rudiores minus æſtiment; aut amorem, quo eum *Maria* dedit mundo, magis æſtiment, quam jubeat regula veritatis. Non eſt ergo quod ob has ſimileſque aliquorum ſcriptorum parum cautas comparationes, Hagiomachi ſanctorum cultum reſpuant. Licebit ipſis cum Eccleſiæ pace comparationes iſtas improbare, tantummodo probent *Mariam* à Catholicis merito amari & laudari, tanquam eam, quæ velut mater digniſſima Salvatorem carne & ejus Fideles ſpiritu peperit.

§. XXIV.

§. XXIV.

Amorem, quo proſequuntur MARIAM, *quæ ipſos ſpiritu peperit, optimè teſtatum facient, quando ipſi* CHRISTUM *parient Virginea fœcunditate.*

POrro fideles eum amorem, quem debent Deiparæ, ut ſuæ matri, quæ ipſos ſua genuit charitate, tunc luculenter facient teſtatum, quando etiam ipſi fient virginea fæcunditate matres, parientes, & formantes in aliis *Chriſtum. D. Auguſtinus* conſolans Virgines, quia carne non pariunt, illud in ipſis laudat decus fœcunditatis, à quo ipſa Virgo Deipara præcipuam laudem ac felicitatem mutuatur. „Non eſt ergo, inquit, cur Dei Virgines „contriſtentur, quod etiam ipſæ Virginitate ſervata matres carnis eſſe non poſ„ſunt. Illum enim ſolum Virginitas de„center parere poſſet, qui in ſua nativi„tate parem habere non poſſet. Verum „tamen ille unius ſanctæ Virginis partus, „omnium ſanctarum Virginum eſt decus. „Et ipſæ cum *Maria* matres *Chriſti* ſunt, „ſi patris ejus faciunt voluntatem. Hinc „enim

Lib: de S. Virg: cap. 5.

„enim & *Maria* laudabilius atque beatius „*Chriſti* mater eſt, ſecundum ſupramemoratam ejus ſententiam. Quicumque „ facit voluntatem patris mei, qui in cœ„lis eſt, ipſe mihi frater, & ſoror & ma„ter eſt. Has ſibi omnes propinquitates, „ in populo, quem redemit, ſpiritaliter „ exhibet, fratres & ſorores habet, ſan„ctos viros & ſanctas feminas, quoniam „ ſunt illi cœleſti hæreditate cohæredes. Hæc ad Virginum ſolatium ac laudem *Auguſtinus*. Nec ſolum in ſanctis Virginibus hanc virgineæ maternitatis laudem agnoſcit, ſed eam etiam illis attribuit, qui licet non ſint carne, ſunt tamen Virgines fidei puritate. Unde iſtam maternitatis laudem primo toti tribuit Eccleſiæ; deinde eam aſſignat ſingulis membris, quę ſacro charitatis vinculo corpori Eccleſiæ cohæreſcunt. *Mater ejus* (*Chriſti*) *eſt tota Eccleſia, quia membra ejus: id eſt, fideles ejus per Dei gratiam ipſa utique parit. Item mater ejus eſt omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus, fœcundiſſima charitate in iis quos parturit, donec in eis ipſe formetur.* Nihil in nobis *Mariæ* poterit eſſe jucundius, quam nos iſtius virgineæ maternitatis pulchritudine conſpicere exornatos.

Supra.

§. XXV.

§. XXV.

Mentis Virginea fœcunditas, quâ CHRISTUS *paritur, in tribus conſiſtit*, Primo *in fide & cognitione vera.*

HÆc mentis virginea fœcunditas, tum Eccleſiæ, tum *Mariæ* tanquam nobiliſſimi poſt *Chriſtum* Eccleſiæ membri, tum cæterorum Eccleſiæ membrorum ex his dotibus conſtituitur. *Primo*: ex Dei cognitione, quæ eſt per fidem aut viſionem. Hæc eſt in comprehenſoribus, illa in viatoribus. Hanc puritatem *Paulus Corinthiis* optabat, quando ipſis ſcribebat: *æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem, ne, ſicut Serpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur* (erroribus, veluti ſtupris) *ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate* (id eſt caſta cognitione) *quæ eſt in Chriſto*, ſive in *Chriſtum*. Qui ergo virgineam mentis optat fæcunditatem, ante omnia oportet, ut ejus animus non ſit erroribus & perverſis de Deo opinionibus conſtupratus.

2. Cor. 11. 2.

§. XXVI.

§. XXVI.

Secundo *in orante charitate.*

SEcundò: exigitur ad hanc virgineam fæcunditatem charitas orans, aut columbinis gemitibus aut felicibus votis, ut *Chriſtus* per fidem magis magisque habitet in cordibus hominum. Hæc virgineá fœcunditas erat in illo, qui ita ſcribit *Coloſſerſibus: non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus* (Chriſti) *in omni ſapientia, & intellectu ſpiritali, ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, creſcentes in ſcientia Dei.*

Coloſſ: 1. 9.

Hos gemitus charitatis ab omnibus ille deſiderat, qui ſcribit: *obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, pro omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; nempe per orationes & preces fidelium.

1. Tim: 2. 1.

§. XXVII.

Tertio in ſanctimonia vitæ, tum cleri, tum populi.

TErtio, requiritur ad hanc virgineam fœcunditatem ſanctimonia vitę, qua fideles in terris ſibi invicem exemplo ſunt, & infideles ad fidem invitant. Hanc mortalibus commendat Salvator dicens: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt*. Hanc commendat vertex Apoſtolorum *Petrus*, dum ait, *chariſſimi, obſecro uos tanquam advenas & peregrinos abſtinere à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, converſationem veſtram inter gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis*. Hanc virgineam fœcunditatem mulieribus idem commendat Apoſtolus, dum dicit: *mulieres ſubditæ ſint viris ſuis ut &, ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem, ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram.*

Matt: 5. 16.

1. Petr. 2. 11.

Hac morum ſanctimonia, ut in aliis

Chriſtum forment, tum clerum tum populum decet eſſe adornatum. clerum quidem, quia, ſi Epiſcopi, Presbyteri, ac diaconi neſciant Dominum, nec officium ſacerdotale ad populum, ad inſtar Filiorum *Heli* retrahunt homines à ſacramentis & ſacrificio Domini. Populum quidem, quia etiam ejus mores plurimum conferunt, ut Religio & Religionis ſacramenta apud infideles obtineant venerationem. Dum cleri vita deſpicitur, quid reſtat, niſi ut etiam ejus prædicatio deſpiciatur? dum populi vita cupiditatibus ancillatur, quid reſtat, niſi ut credatur inde abeſſe fidei veritatem, unde morum abeſt integritas? dum plebs, quæ ex Antiſtitum moribus magis, quam ex Evangelii legibus vitam inſtituit, videt ſic eſſe ſacerdotes ut ipſa eſt, tum ſuum contemptum à diſpenſatoribus Myſteriorum Dei ad ipſa transfert Myſteria. Dum gentiles aut Acatholici in Catholicorum moribus eaſdem vident regnare cupiditates, quas in ſeipſis experiuntur, tunc ea credunt eſſe falſa, quæ magnifice de Religione Catholica ejusque ſacramentis prædicantur, nec poſſunt ſibi perſuadere eos humana ac divina ſui ſalvatoris natura paſci,

ci, qui in ſuis operibus nihil tanto pabulo dignum præ ſe ferunt. Ex vili ergo & abjecta Catholicorum vita, de Catholica fide ac Religione diſcernunt, nec ſibi poſſunt perſuadere, eos Deum Deorum in ſacramento & ſacrificio habere appropinquantem, à quorum deſideriis, moribus, ac vita Deum immenſo intervallo abeſſe vident. Sint ergo Diſpenſatores Myſteriorum Dei illis inſtructi virtutibus, quas *Paulus* 1. ad *Timoth.* 3. & ad *Tit.* 1. ab illis exigit,. qui ſunt ſacris præficiendi. Sit plebs fidelis, quod juxta Apoſtolorum Principem eſſe debet, nempe *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*: ut veneranda morum ſanctimonia, licet ſilenti lingua, annunciet virtutes ejus, qui ipſos vocavit de tenebris in admirabile lumen ſuum. Altaribus miniſtrent ſeniores non dominantes in clero, ſed illi, qui ſunt forma gregis ex animo. Panem Angelorum non percipiant, niſi qui vitam æmulantur angelicam: nec percipiant vitam, niſi qui mutaverint vitam. Eſcam ſolidiorem, corpus *Chriſti*, non manducent infirmi ne eo opprimantur. Menſam filiorum non invadant immundi canes; ſuffecerit ipſis ſub

menſa filiorum pœnitentiæ micas colligere. Cibum grandium non comedant, niſi grandes animæ. Non dentur ſancta niſi ſanctis. Hic ſi canon obſervetur, tum ex Catholicorum moribus diſcent Acatholici, quod ex libris & diſſertationibus addiſcere nequiverunt; nempe nos in ſacramento Euchariſtię recipere non nudos typos & figuras corporis Domini, ſed ipſum corpus & ſanguinem Domini. Perſuadebit Catholicorum vita, quod prædicatorum lingua perſuadere non potuit.

§. XXVIII.

Quid requiratur; ut hic Canon, Sancta Sanctis, obſervetur?

POrro ut hic canon, *ſancta ſanctis*, obſervetur, nihil utilius fieri poterit, quam ut mortalium criminum reus juxta *Gennadii* hortationem, *ſi non publica, ſaltem ſecreta pœnitentia ſatisfaciat*: quam, *ut*, ſecundum *divum Thomam* 1°. *aqua lachrymarum emundetur*. 2°. *per opera pœnitentiæ torqueatur*. 3°. *per fervorem amoris Dei à carnalium deſideriorum humore ſiccetur*: quam, ut audiat graviſſimam *Ambroſii* monitionem: *mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam.* Ad hanc ſatisfactionem, ad hanc lachrymarum

De Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 53.

Opuſc: de Sanctiſſimo Sacrament:

Dom. 4. *Advent.*

marum emundationem, ad hanc per pœnitentiæ opera torturam ſalutarem, ad hanc exſiccationem carnalium deſideriorum per fervorem charitatis, ad hanc vitę mutationem, vox ſola confitentis, aut brevis lachrima, aut momentaneus ſingultus raro ſufficit. *Ad emendanda enim crimina*, inquit *Auguſtinus*, *vox pœnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, ſed opera quæruntur. Meritoque* inquit Ambroſius, *quia vulnus grande ac vetus eſt, & diu ſerpens, perfectioris Medicinæ remedia depoſcit, obſecrans ut Domini legitima miſeratione curetur. Cito enim refricatur vulnus quod ſanatum Medicinæ lege non fuerit. Oportet, ut*, quemadmodum loquitur *Auguſtinus*, *violentiæ pœnitendi, cedat conſuetudo peccandi.* Hæc autem rariſſimè brevi peraguntur momento: & ſi aliquando momento peracta fuêre, per promptam Dei miſericordiam, ut in latrone ac *Magdalena*, & paralytico, talis prompta ſanatio, ut cum *Bernardo* loquar, fuit *non tam exemplum quam miraculum.* Ita ſe habet ars, qua Dei miſericordia medetur peccatis, ut non magis animæ vulnera, quam corporis cito ſanentur. Cujus rei *Auguſtinus* hanc ratio-

Serm: 57. de tempore

In Pſalm: 118. Octon: 4.

Tract. in: 49. in Joannem.

Epiſt. 8. ad Brunonum.

Serm: 34. de diverſis.

nem dat graviſſimam. *Si cito*, inquit, *rediret homo ad priſtinam beatitudinem, ludus illi eſſet, peccando cadere in mortem.* Ex ipſa ergo recuperandæ ſalutis difficultate, contra peccatum ars divinę miſericordiæ compoſuit alexipharmacum. Unde S. *Pacianus*, cum ei objicerent *Novatiani*, ex conceſſa facultate remittendi grandia poſt baptiſmum peccata, homines peccandi ſumpturos audaciam, illis reponit, inanem illum eſſe timorem, eo quod ingentis ſit laboris ac difficultatis, poſt baptiſmum, accipere gravium veniam peccatorum. *Si pœnitentibus* (ſunt verba *Paciani* ad *Symphorianum Epiſt.* 3.) *remiſſio peccatorum dari potuit, Baptiſma non fuit neceſſarium. Inſulſiſſima comparatio! Baptiſmus enim ſacramentum eſt dominicæ paſſionis, pœnitentium autem venia meritum confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, quia gratiæ Dei donum eſt, ideſt, gratuita donatio: labor vero iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt; qui poſt vulnera convaleſcunt; qui lachrymoſis vocibus adjuvantur; qui carnis interitu reviviſcunt*: ita *Pacianus*, ex cujus verbis liquet, recuperationem innocentiæ poſt Baptiſmum deperditæ, rem eſſe arduam & remiſſionem peccatorum

torum in ſacramento Pœnitentiæ minime eſſe tam facilem ac frequentem, quemadmodum plurimis perſuaſum eſt.

§. XXIX.

Ut Sancta miniſtrentur Sanctis, expedit homines à criminibus recentes aliquamdiu pœnitentiæ operibus purgari.

UT ergo ſancta nonniſi ſanctis adminiſtrentur, ut panis vitæ non ſumatur ad mortem, & cibus adorandus & tremenda myſteria, quam merentur, obtineant venerationem, omnino expedierit homines à criminibus recentes aliquo tempore ſuſpendi à ſumptione corporis Domini. Iſta ſuſpenſione per duodecim ſæcula *Chriſti* Eccleſia pœnitentes præparavit ad Euchariſtiæ ſumptionem, neque etiam his poſterioribus ſæculis iſte mos omnino intermiſſus fuit: quinimo ſanctiſſimi viri, ut *Borromæus*, *Franciſcus Xaverius*, *Cæſar Baronius*, aliique, eum, uti animarum medelam utiliſſimam commendarunt. Et certe nullus dubito, quin fidelium vita, ſi hæc conſuetudo magis in Eccleſia reviviſcat, evadat multo ſanctior,

& Euchariſtię corporis Domini ſuus reddatur honos, noſtra Religio apud infideles majorem acquirat exiſtimationem, & fiat mater Eccleſia ſpirituali prole fæcundior. Hæc non mea conjectura ſed judiciũ *SynodiGebennenſis*, cujus canones & decreta, quamvis non *Saleſii* verbis, ſane *Saleſii* ſpiritu formata ſunt: ita teſtatur dignus *Saleſii* ſucceſſor: ſed Synodi verba audiamus.

4 part. Titul: 9. c. 5. „ Sicut ſacerdos legitime utens poteſtate „ abſolvendi peccata, munit pœnit: vigo- „ rem, liberat peccatores à ſervitute pec- „ cati, & ædificat Eccleſiam, quæ eſt cœle- „ ſtium clavium cuſtos fidelis; ita nihil per- „ inde Eccleſiam dedecorat, nihil ita ejus „ violat diſciplinam, nihil ita fovet pecca- „ tores in ſomnolenta peccandi conſuetu- „ dine, quam probroſus ille mos, quo qui- „ dã presbyteri peccata relaxant, non tan- „ quam judices, qui prudenti & gravi cri- „ minum diſcuſſione diſcernunt, num pro „ reo poſſint pronunciare; verum tan- „ quam mancipia, quæ præcipiti & adu- „ lante indulgentia peccatoribus blandi- „ untur. De iſtis adulatoribus dicit *Cypria-* „ *nus*, quod inducant in Eccleſiam dulcem „ crudelitatem miſericordiæ & clementiæ „ nomine palliatam, deque iſtorum pace, „ quam dant peccatoribus, idem aſſerit

„ *Cyprianus*, quod ſit irrita & falſa pax, pe-
„ riculoſa dantibus & accipientibus nihil
„ profutura, & quod operiantur morien-
„ tium vulnera & plaga lethalis contega-
„ tur. Hæc dicta Synodus, quæ deinde de-
ſignatis variis caſibus, in quibus dicit ab-
ſolutionem debere differri, hoc genera-
le præbet documentum. „ Siquidem, in-
„ quit, varii presbyteri ſeipſos faciles ex-
„ hibent in danda peccatorum remiſſa,
„ modo peccatores ſpondeant emenda-
„ tionem, & elongationem à peccandi oc-
„ caſione proxima.... diligenter inquiren-
„ dum eſt, num idem non ſæpius promiſe-
„ rint: nam ſi idipſum promiſerint identi-
„ dem, nec promiſſum adimpleverint,
„ presbyter illorum verbis non debet cre-
„ dere ſed differre abſolutionem, quouſ-
„ que ab iſtis occaſionibus peccandi re-
„ ceſſerint, & quoaduſque per aliquod
„ temporis ſpatium ad eas non redierint.
„ Nam ſi detur abſolutio ſine ſpe proba-
„ bili quod pœnitens ſtabit promiſſis,
„ ſanguis *Chriſti* profanationi exponitur,
„ & Presbyteri iteratarum prolapſionum
„ & illorum malorum ſe reos conſtituunt,
„ quæ ex falſis naſcuntur abſolutionibus,
„ quibus perit tum presbyterorum, tum

„pœnitentium multitudo infinita. Poſſent hæc variis aliis Synodis, hocce aut præcedenti ſæculo celebratis, comprobari; verum hæc dicta ſufficiant, ut conſtet ſpirituali Eccleſiæ fœcunditati nihil perinde obeſſe, quam ſi ſancta non ſanctè tractentur; quam ſi diviniſſima Religionis noſtrę myſteria à Catholicorum moribus vix ullam accipiant commendationem; quam ſi ab indignis hominibus vel adminiſtrentur, vel etiam percipiantur. Fiet ergo fœcundior Virgo & Mater Eccleſia, ſi ejus membra ſint ſana, ſint pulchra; ſed pulchra decore juſtitiæ; & ſana innocentia vitæ: & tunc de ſingulis dici poterit, unumquodque illorum Virgo eſt, unumquodque illorum mater eſt, ſicuti de univerſis fidelibus dicit *Auguſtinus*, *omnes iſti una Virgo eſt, omnes iſti una mater eſt*. Nam in ſingulis vivis Eccleſiæ membris idem eſt ſpiritus charitatis, quamvis non eadem in illis ſit ſpiritus plenitudo. Unde Virgo, quæ præ omnibus eſt *gratia plena*, præ omnibus eſt etiam mater noſtra, adeoque præ omnibus & ſuper omnes diligenda, ſed diligenda amore, qui nos virgineâ adornet fœcunditate, & ita reddat *Mariæ* filios, ut in mentibus noſtris luceat *Mariæ* fides

Tract: 13. *in Ioannem*

fides, in cordibus gemat *Mariæ* charitas, in moribus fulgeat *Mariæ* ſanctimonia.

§. XXX.

Deipara rectè dici poteſt mediatrix & Advocata noſtra, quia in cœlis orat pro nobis.

HActenus dicta oſtendunt, quomodo Deipara amanda ſit ob ſuam cum Deo conjunctionem, atque etiam ob ſua erga nos beneficia, quibus nos in *Chriſto* peperit. Nunc progredimur ad alios amoris & laudis titulos, quibus Deipara celebratur.

Qui ſe *Reformatos* dicunt, ferre non poſſunt, ipſam à nobis ſalutari mediatricem & Advocatam noſtram. Verum quæ in ſuperioribus §§. tractata ſunt, ut oſtenderetur, quo jure Deipara dicatur mater noſtra, eadem oſtendunt, ipſam ab Eccleſia Catholica merito vocari Advocatam & mediatricem.

Declaratum fuit ipſam dici fidelium matrem, tum quia genuit *Chriſtum* vitam noſtram, qua vivunt univerſi, quam, dum ex ſe genuit, omnes, nimirum qui ex ea victuri ſunt, quodammodo regeneravit: tum, quia nobis curâ ſe quoque & affectu pietatis matrem præſtat.

Quem-

Quemadmodum Acatholici juſtè diffiteri non poſſunt, *Mariam* hâc duplici de càuſa eſſe matrem noſtram, ita jure non poſſunt diffiteri eam merito ſalutari Advocatam & Mediatricem electorum à *Chriſto*; tum, quia in terris vivens eorum ſalutem deſideravit; tum, quia nunc vivens in cælis illam deſiderare non ceſſat. Hoc autem deſiderium, quid eſt niſi quædam pro electis oratio? & quid eſt oratio pro electis, niſi quædam pro electis interceſſio? Et quomodo negari poterit, quod in *Maria* ſit deſiderium ſalutis electorum, cum in ea ſit ſumma cum *Chriſti* voluntate concordia? Quæ ergo *Chriſtus* deſiderat, illa quoque deſiderantur à *Maria*; nam in cælis idem eſt *Mariæ* cum *Chriſto* velle & nolle. Unde ſicuti *Chriſtus* in cælis ſemper pro illis Patrem interpellat, pro quorum ſalute præcipuè ſe à Patre traditum novit: ita *Maria* non ceſſat in cælis pro iiſdem orare. Hoc ipſo, quo *Maria* creditur beata, qualem eam eſſe crediderunt, credunt, & credent omnes Generationes, juxta hanc ejus de ſeipſa Prophetiam, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes Generationes*: hoc ipſo, inquam; quo creditur

tur beata, etiam credenda eſt, velle & deſiderare ſalutem illorum, quos *Chriſtus* vult & deſiderat ſalvos fieri. In hac *Chriſti* voluntate ac deſiderio ſita eſt *Chriſti* ad Patrem oratio & mediatio. In hac *Mariæ* voluntate ac deſiderio ſita eſt *Mariæ* ad filium oratio ac mediatio.

§. XXXI.

Maria *mediatrix & Advocata noſtra, quamvis intercedat pro nobis apud Chriſtum, qui nos amat; ſicuti* Christus *eſt Mediator & Advocatus, quamvis pro nobis poſtulet apud Deum noſtri amantem*

Nec dicas ex ea interceſſionis & mediationis ratione, quam *Mariæ* attribuimus, ſequi eam propriè non eſſe mediatricem & Advocatam apud Filium, cum juxta eam rationem non videatur Filium interpellare & orare, ut eum ex irato nobis reddat benevolum; ſed potius apud eum intercedere & orare pro nobis, quia eum nobis cognoſcit eſſe benevolum; atque adeo *Mariam* non proprie fungi Mediatricis officio

Hoc

Hoc argumentum ſi quid probaret, probaret etiam *Chriſtum* non eſſe propriè mediatorem Dei & hominum; quia etiam ipſe non pro aliis Patrem interpellat, quam pro illis, quos ſibi à Patre datos agnoſcit, quoſque novit ſic dilectos à Patre, ut pro illis Filium ſuum unigenitum daret. Hinc ait in ſua oratione *Chriſtus* Dei Filius: *Non*
Joan: 17. 9. *pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Et iterum alibi: *ſic enim Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret.* De hoc Patris erga nos amore *Paulus* quoque dicit: *Qui etiam*
Rom: 8. 32. *proprio filio ſuo non pepercit ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Prius ergo nos Pater dilexit, quam dilexit *Chriſtus*; & ſi dilexit, non erat iratus: & ſi non erat iratus, nobis apud illum mediatore non erat opus. Hæc poſſunt afferri, ut aſtruatur *Chriſtum* non eſſe mediatorem Dei & hominum. Sed quemadmodum irrito conatu argumentum hoc contra *Chriſti* mediationem attuleris; ita nullius eſt roboris, quod paulò ante contra interceſſionem *Mariæ* fuit adductum.

Ut hoc clarius intelligatur, credendum, nec *Chriſti* verba *Chriſti* factis,

nec

nec verba *Pauli*, verbis *Pauli* eſſe adverſa; ſed ea ſibi invicem conſentire quam optimè. *Chriſtus* eſt qui dicit: *ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Chriſtus eſt qui orat: *non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*. *Paulus* eſt, qui ait: Deus *omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. *Paulus* eſt, qui ait: *unus etiam Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, hæc Chriſti facta & dicta, hæc *Pauli* verba de Dei erga nos amore, Chriſtique apud eum mediatione ſibi invicem proculdubio omnino conſentiunt: hæc ſi piè credamus, fides nos perducet ad intelligentiam, & reddet idoneos ad capiendum, quomodo verba & facta Chriſti, *Paulique* verba ſibi mutuo conſentiant. 1 Timoth. 24.

§. XXXII.

Oſtenditur, quomodo CHRISTUS *agit Advocatum apud Deum placatum & non placatum nobis: placatum, quia voluntate beneplaciti decreverat à nobis tollere iniquitatem. Non placatum, quia volun-*

voluntati ejus, ut morum regulæ, nondum ſublata iniquitate eramus diſformes.

AMat nos Pater amore æterno, & ex illo amore dedit nobis Filium ſuum. Sed amat, non ut iniquos & inimicos, quales ex nobis ipſis eramus, ſed ut juſtos & amicos, quales nos ex iniquis & inimicis reddere voluit. Ut autem fieremus juſti & amici, voluit Filium ſuum hominem fieri, qui homo, plenus gratia & veritate, agens, patiens, & orans pro nobis ut mediator & Advocatus, impetraret & mereretur ea dona, quæ Deus ex æterno & immenſo amore nobis deſtinaverat. Dei Filius factus homo agit pro nobis Advocatum & mediatorem apud Deum iratum nobis & non iratum; iratum, quatenus noſtra iniquitas ejus juſtitiæ eſt oppoſita; non iratum, quatenus ad poſtulationem mediatoris & Advocati injuſtitiam noſtram tollere, & ſuam nobis juſtitiam infundere decrevit. Agit mediatorem apud Deum noſtri amantem, quia agit mediatorem apud eum, à quo nobis ipſe in mediatorem datus eſt, & à quo incitatur ad orandum pro nobis. Agit mediatorem apud

Deum

Deum nos odientem, quia agit mediatorem apud eum, cui *odio impius & impietas ejus.* *Sap. 14. 9.*

Non obſcurum ex his, quomodo *Chriſtus* tanquam mediator & Advocatus dicatur nos reconciliare Patri, quamvis Pater æterno nos dilexerit amore. Præcedit *Chriſti* poſtulationem benevola Dei voluntas, ſed iſtius benevolæ voluntatis beneficia nobis danda non præcedunt *Chriſti* poſtulationem. Deus prius nos amat, quam *Chriſtus* pro nobis poſtulet, ſed non prius nos iſtius amoris dona percipimus, quam *Chriſtus* ea poſtulet, nobisque impetret. Deus nobis ante *Chriſti* poſtulationem placatus eſt, quia ante *Chriſti* poſtulationes ſic mundum dilexit, ut filium ſuum unigenitum daret, nempe in mundi mediatorem & Advocatum. Deus nobis ante *Chriſti* poſtulationem non erat placatus, qui ante *Chriſti* poſtulationem non erat à nobis ablata iniquitas & corruptio noſtræ voluntatis, quam Deus non poterat non odiſſe.

Deus ante *Chriſti* mediationem nobis erat placatus, quia voluntate ſua beneplaciti & omnium bonorum operatrice, volebat à nobis auferre iniquitatem, & gratificare

tificare nos in dilecto Filio ſuo. Deus ante *Chriſti* mediationem non erat placatus, quia per *Chriſti* gratiam necdum ablata à nobis iniquitate, & remanentibus in mente & corde noſtro ignorantiæ & concupiſcentiæ tenebris, necdum eramus conformes divinæ voluntati, quatenus eſt regula noſtra & lex æterna, cui debemus conformari. Reconciliamur autē dum intuitu meritorum & *Chriſti* pro nobis ſatisfactionis nos juſtificat, & ſuæ voluntati, quatenus regula noſtra eſt, per voluntatem ſuam operatricem,reddit conformes. Hujus rei in ſcripturis clarum habemus exemplum. *Abſalom* patrem ſuum *David* offenderat, occidendo fratrem ſuum *Ammon*. *Ioab* agit mediatorem pro *Abſalom* apud *David*: ſed agit Advocatum apud *David* *Abſalomi* placatum & non placatum. Placatus erat *David* ante *Ioabi* interceſſionem, quia ait ſcriptura: *cor Regis verſum fuiſſe ad Abſalom*, & *Ioabum* non citius pro eo interceſſiſſe, quam illud adverteret. Non erat autem placatus ante *Ioabi* interceſſionem, quia ante illam *Abſalom* manebat in exilio, nec paternus amor ſe prodebat per beneficia ei impertita. Unde non niſi poſt *Ioabi* interceſſio-

nem

nem ait *David*: *Ecce placatus feci verbum tuum*: *vade ergo*, *&* *revoca puerum* Abſalom. 2. Reg. 14. 21.

Quemadmodum haud difficulter intelligitur, qua ratione *Ioab* reconciliaverit *Abſalomem Davidi* jam amanti ſuum *Abſalomem*; ita haud difficulter percipitur, quomodo *Chriſtus* potuerit agere mediatorem apud Deum pro hominibus æterno amore Deo dilectis, & in tantum dilectis, ut mediatorem ipſis providerit, illique eas omnes dotes dederit, quibus humani generis meruit reconciliationem. Qua de cauſa *Paulus* ait omnia eſſe ex Deo, qui 2. Cor: 5. nos reconciliavit ſibi per *Chriſtum*: & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in *Chriſto* mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.

Hæc ſi transferantur ad Deiparam, fiet perſpicuum, qua ratione ipſa ſit imitatrix & mediatrix amoris, quo *Chriſtus* nos diligit; imitatur amorem *Chriſti* benevolum, & conciliat nobis ejus amorem beneficum. Amat nos *Maria* & noſtram cupit ſalutem, quia videt *Chriſtum* noſtram concupiſcere ſalutem. Benevolentia *Mariæ* erga nos derivatur à benevo-

lentia *Chriſti* in nos, ſicut Chriſti erga nos amor, derivatur à Dei erga nos amore. Verum beneficia *Chriſti* ſæpe nobis, nonniſi poſt *Mariæ* preces, conceduntur: & hæc una eſt de cauſis, ob quas dicitur Advocata & mediatrix noſtra.

§. XXXIII.

Qua ratione, & ſecundum quam naturam, CHRISTUS *Solus ſit Mediator noſter.*

UT autem melius intelligatur, quid ſit *Mariam* eſſe Mediatricem & Advocatam noſtram, proderit referre, quid ſit *Chriſtum* eſſe Mediatorem & Advocatum apud Deum, & ſecundum quam naturam eo fungatur officio.

3. p. q. 26. a. 2. „ In Mediatore, ait Angelicus Doctor, „ duo poſſumus conſiderare. Primo quidem rationem medii. Secundo officium „ conjungendi. Eſt autem de ratione me„dii, quod diſtet ab utroque extremo„rum. Conjungit autem mediator per „ hoc, quod ea, quæ unius ſunt, defert ad „ alterum. Neutrum autem horum poteſt „ convenire *Chriſto*, ſecundum quod

„ Deus,

„ Deus, ſed ſolum ſecundum quod ho-
„ mo. Nam ſecundum quod Deus, non
„ differt à Patre & Spiritu Sancto in natu-
„ tura & poteſtate dominii. Nec etiam
„ Pater & Spiritus Sanctus aliquod ha-
„ bent, quod non ſit Filii, ut ſic poſſit
„ id, quod eſt Patris vel Spiritus Sancti,
„ quaſi quod eſt aliorum, ad alios deferre.
„ Sed utrumque convenit ei, in quantum
„ eſt homo, quia ſecundum quod eſt ho-
„ mo, diſtat & à Deo in natura, & ab
„ hominibus dignitate, & gratiæ, & glo-
„ riæ. In quantum etiam eſt homo, con-
„ venit ei conjungere homines Deo, præ-
„ cepta & dona Dei hominibus exhiben-
„ do, & pro hominibus ſatisfaciendo &
„ interpellando. Hæc *S. Thomas*. Porro
hoc officium ex mente Apoſtoli dicentis:
Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum; Homo Chriſtus Ieſus, ita
Chriſto proprium debemus agnoſcere,
ut nulli alteri, nec homini nec Angelo,
aſſignetur. Ille enim ſolus ita Mediator
Dei & hominum eſt, ut per ſe ipſum
immediatè Deum accedat, illum nobis
placet ſuo proprio merito, quod ab
alterius merito nec dependet, nec pre-
tium mutuatur, atque etiam ipſe unus

pro omnibus, & pro ipſo interpellet nemo.

Hanc ſublimem & perfectam mediationis rationem nulli ſanctorum, nequidem Deiparæ licet attribuere. Nam & ipſa non niſi per Filium ſuum adit ad thronum gratiæ Dei; ipſa non habet ullum meritum, quod à *Chriſti* merito non dependeat; ipſa non pro *Chriſto*, ſed *Chriſtus* pro illa Patrem interpellat.

§. XXXIV.
Qua ratione Maria *dicatur mediatrix.*

Attamen *Maria* ſpectari poteſt ut mediatrix ad mediatorem, quia in illa eſt, & quædam ratio medii, & quoddam officium conjungendi. Eſt media inter nos & mediatorem, quia eſt ab illo & à nobis diſtincta. Ab illo, quia ejus dona ſunt *Chriſti* donis minora. Eſt à nobis diſtincta, quia ejus ſanctitas non ſolum noſtra, ſed etiam Angelorum ſanctitate multo eſt excellentior. Eſt etiam in illa officium nos *Chriſto* conjungendi, quia *Chriſti* in nos beneficia *Mariæ* manu nobis deferuntur, tum quia ipſum mediatorem per eam acce-

accepimus, tum quia mediatoris bona per illam accipere non ceſſamus. Unde ait D. Bernardus. *Qui indignus eras, cui donaretur*, nempe Chriſtus, *datum eſt Mariæ, ut per illam acciperes, quidquid haberes: quæ per hoc, quod mater eſt, genuit tibi Deum: per hoc, quod Virgo eſt, exaudita eſt pro reverentia ſua in cauſa tua & totius generis humani. Si ſola mater eſſet, ſufficeret ei, ut ſalvaretur per filiorum generationem; ſi ſola Virgo, ſufficeret ſibi, nec benedictus fructus ventris ejus mundi pretium eſſet.* *Serm. 3. in in Vigilia nativitatis.*

Cum ergo in prima commixtione, nempe humanitatis cum divinitate (loquitur enim ibi *Bernardus* de tribus mixturis ſive conjunctionibus, ſcilicet divinæ naturæ cum humana in *Chriſto*, Virginitatis cum fœcunditate in *Maria*; fidei cum corde noſtro in nobis ipſis) *ſit remedium, in ſecunda adjutorium eſt: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret; in tertia autem meritum eſt, quia cum hæc firmiter credimus, jam meritum habemus, & in fide ſanitas eſt, quia qui crediderit, ſalvus erit.* Hæc *Bernardus*. Ex cujus verbis patet *Mariam* ea ratione poſſe dici mediatricem no-

ſtram, quia per illam ipſum accepimus mediatorem. Eſt etiam juxta *Bernardum* mediatrix noſtra, quia plurima mediatoris beneficia per illam impetramus. Diſertè hoc docet ſermone ſuper illa verba Apocalypſeos *ſignum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole* &c. „ Opus eſt, „ inquit, mediatore ad mediatorem iſtum, „ nec alter nobis utilior quam *Maria*. „ Crudelis nimirum *Eva*, per quam *Ser*„*pens* antiquus peſtiferum etiam ipſi viro „ virus infudit: ſed fidelis *Maria*, quæ „ ſalutis antidotum & viris, & mulieribus „ propinavit. Illa enim miniſtra ſeductio„nis, hæc propitiationis: illa ſuggeſſit „ prævaricationem, hæc injecit redemp„tionem. Quid ad *Mariam* accedere tre„pidet humana fragilitas? nihil auſterum „ in ea, nihil terribile, tota ſuavis eſt, „ omnibus offerens lac & lanam. Revol„ve diligentius Evangelicæ hiſtoriæ ſe„riem univerſam, & ,ſi quid forte incre„patorium, ſi quid durum, ſi quod deni„que ſignum vel tenuis indignationis oc„currerit in *Maria*, de cœtero ſuſpe„ctam habeas, & accedere verearis. Quod „ ſi (ut verè ſunt) plena magis omnia pie„tatis & gratiæ, quæ ad eam pertinent in-

„ ve-

„ veneris, age gratias ei, qui talem tibi „ mediatricem benigniſſima miſeratione „ providit, in qua nihil poſſit eſſe ſuſpe-„ ctum. Denique omnibus omnia facta „ eſt, ſapientibus & inſipientibus copio-„ ſiſſima charitate debitricem ſe fecit, om-„ nibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de „ plenitudine ejus accipiant univerſi: cap-„ tivus redemptionem, æger curationem, „ triſtis conſolationem, peccator veniam, „ juſtus gratiam, Angelus lætitiam; deni-„ que tota Trinitas gloriam, filii perſona „ carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit „ qui ſe abſcondat à calore ejus. Hæc „ *Bernardus*, cujus auctoritatem adverſa-rii non poſſunt non maximi facere, cum *Lutherus* cum dicat *vincere omnes Eccleſiæ Doctores*: *Michael Neander* eum aſſerat *ſcribere ſuavia & dulcia verba ex Spiritus Sancti inſtinctu profluentia.* *Melanchton* eum à ſanctitate commendet: *Calvinus* nominet *pium & ſanctum ſcriptorem*: & *Daniel Heinſius* ejus meditationes vocet *rivum Paradiſi*, *ambroſiam animarum*, *pabulum Angelicum*, *medullam pietatis*. Hæc Elogia, dum ipſi tribuunt *Bernardo*, tum ſeipſos vehementer condemnant, quando contra *Bernard:* docent cum *Chriſti* inju-

Præfat. ad gnomol. græcorum ibid. In Apolog: lib. concord. ſeu confeſſ: auguſtan: Art. 4, 5. &c. Calvin: lib. 4. Inſtit. c. 10. §. 17. Heinſius Orat. 3.

riâ *Mariam* vocari mediatricem & Advocatam noſtram, & Catholicos toties in unum mediatorem *Chriſtum* peccare, quoties ſanctorum pro ſe preces poſtulant.

§. XXXV.

Mediatores noſtros ſano ſenſu eos omnes dicere poſſumus, qui ſuis precibus ad noſtram conferunt ſalutem.

VErum tantum abeſt, ut *Mariæ* titulus mediatricis tribui non poſſit, ut ſine timore eos omnes mediatores & interceſſores noſtros ſano ſenſu vocare liceat, quicumque precibus ad Deum fuſis noſtram *Deo* commendant ſalutem. Quod
1 Thim: 2. minimè eſt contra Apoſtolum dicentem,
4. quod *unus* ſit *mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*. Etenim eo ipſo capite, ubi iſta verba habet, nos jubet pro omnibus hominibus orare, etiam *pro regibus, & iis, qui in ſublimitate ſunt*. Quicquid enim ſancti pro nobis orantes poſtulant, nonniſi per *Chriſtum* poſtulant, nec tam ſeipſos pro noſtra offerunt redemptione, quam *Chriſtum Ieſum, in quo Deus*

fuit

fuit mundum reconcilians ſibi, & qui *Chriſtus* ſeipſum dedit redemptionem pro „omnibus. Et ideo, ait *S. Thomas*, ſo- *P. 3. q. 26. a. 1.*
„lus *Chriſtus* eſt perfectus Dei & homi-
„num mediator, in quantum per mor-
„tem ſuam humanum genus Deo recon-
„ciliavit. Unde cum Apoſtolus dixiſſet,
„mediator *Dei* & hominum, homo *Chri-*
„*ſtus Ieſus*, ſubjungit: qui dedit ſemet-
„ipſum redemptionem pro omnibus.
Proſequitur autem ſanctus dicens: „nihil
„tamen prohibet aliquos alios ſecundum
„quid dici mediatores inter Deum & ho-
„minem, prout ſcilicet cooperantur ad
„unionem hominum cum Deo diſpoſiti-
„ve vel miniſterialiter. Miniſterialiter
autem ad noſtram reconciliationem cooperantur illi, qui verbum Dei & ſacramenta plebi miniſtrant. Ad eam reconciliationem cooperantur diſpoſitivè, qui ſuis orationibus efficiunt, ut *Chriſtus* citius ſua dona nobis elargiatur. Quæ enim Deus in *Chriſto* nobis donavit, ſive recondidit (donavit autem omnia, ſicuti omnia quoque *Chriſtus* promeruit) ea ulterius non effundit, niſi preces ſanctorum, ſive in cœlis regnantium, ſive in terra gementium ad iſtam effuſionem

viam fecerint. Hinc ipſe Apoſtolus, ut *D*ei gratiam in *Chriſto* ſibi repoſitam obtineret, tam ſolicitè poſtulavit fidelium preces. Hinc cum *Petrus* eſſet in carcere, ut liberaretur, pro illo fiebat Eccleſiæ oratio. Hinc pro gentium converſione orat Eccleſia. Hinc olim pœnitentes, ut obtinerent remiſſionem peccatorum & gratiam bene vivendi omnibus charis Dei, ut ait *Tertullianus*, adgeniculabantur, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungebant. Hinc ait *Pacianus* officium eſſe pœnitentis, ut Dei gratiam obtineat, tenere pauperum manus, viduas obſecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari. Hinc generatim ait *Ambroſius* ſcribens in hæc verba: *expurgate vetus fermentum*, hanc eſſe divinæ miſericordiæ conſuetudinem, ut reis peccata non relaxet, niſi ſanctorum precibus fuerit pulſata. *Velut enim*, inquit, *operibus quibuſdam totius populi purgatur*, & *plebis lachrymis abluitur*, *qui orationibus* & *fletibus plebis redimitur à peccato*, & *in homine mundatur interiore. Donavit enim* Chriſtus *Eccleſiæ ſuæ*, *ut unum per omnes redimeret*, *quæ Domini Ieſu meruit adventum.* In hunc eundem ſenſum

De pœnitentia cap. 9.

Paræneſ: ad pœnitem.

Lib. 1. *de pœnit: cap.* 15.

ſum ſcribit *Auguſtinus* dicens: *Columba, nempe per ſanctorum ſpiritualium preces, tenet, columba dimittit peccata, unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in ſolis bonis eſt.* Cum hic ſit mos divinæ miſericordiæ, ut Deus ſuæ gratiæ dulcedinem, & ſuæ veritatis lucem in *Chriſto* donatas, nobis non infundat, niſi poſt ſanctorum preces, rectiſſime dixit *S. Thomas*, quando dixit, alios præter *Chriſtum* poſſe dici mediatores inter Deum & homines, in quantum ad hominum cum Deo unionem cooperantur diſpoſitivè vel miniſterialiter.

Lib: de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 18.

§. XXXVI.

Exponitur, qua ratione CHRISTUS *ſit Advocatus noſter.*

QUæ hiſce §§. hactenus diſſeruimus, eo præcipue ſpectant, ut declarent ſine *Chriſti* injuria *Mariam* dici poſſe Mediatricem; ſupereſt, ut exponatur, ipſam quoque ſine ulla *Chriſti* injuria noſtram vocari Advocatam. Capietur hoc melius, ſi officium Advocati primo deſcribatur. „ Complectitur illud tria. Pri- „ mum, ea apud Judicem allegare, qui- „ bus

In 1. *Epiſt. Ioann. cap.* 2. *v.* 2.

„bus, inquit graviſſimus Auctor *Eſtius*, „citra rei condemnationem, juſtitiæ ſatisfiat. Alterum, proferre humilitatem „ac preces rei, peccatum agnoſcentis, ac „veniam poſtulantis. Tertium, ſuis etiam „precibus apud Judicem intercedere, ut „clementer & miſericorditer, non autem „ex rigore juſtitiæ cum reo agat. Hæc „tria maxime in *Chriſtum* competunt. „Primum, namque offert Patri ſanguinem ſuum pro lytro ſeu pretio redemptionis peccatorum noſtrorum. Deinde, „allegat humilem rei confeſſionem, de „qua *Joannes Epiſtola prima cap.* 1. ait: „*Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt*, „*& juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* „Tertio, ſuam addit interpellationem, „orans pro nobis indeſinenter Patrem, „uti teſtatur *Paulus Rom.* 8. & *Hebr.* 7. „Orat autem, nunc in cælo conſtitutus, „non ſupplicum more ſeſe proſternens „ante Patrem, aut miſerabiles edens voces: ſed deſiderium ſalutis Electorum „ſuorum eloquens, atque expromens „Deo, tum mente tum verbis ejuſmodi, „quæ filium in humanitate glorioſum, & „ad dexteram Dei ſedentem, atque cum „eo regnantem, non dedeceant. Hæc

Eſtius,

Eſtius, qui poſt citata verba advertit *Jeſum Chriſtum* Advocatum noſtrum apud Patrem à *Joanne* vocari etiam *juſtum*; quia nemo eſt idoneus Advocatus, qui ipſe ſit reus. Convenit autem hoc epitheton *Chriſto* Advocato noſtro perfectiſſime; quia ita juſtus eſt, ut per omnia Deo placeat, ac reconciliatore pro ſeipſo prorſus non egeat. Tandem advertit *Eſtius*, *Jeſum* à *Joanne*, qui eum noſtro ſolatio vocaverat Advocatum noſtrum apud Patrem, etiam dici *Propitiationem pro peccatis noſtris*; quia non ſolum conatur & ſatagit (ut apud hominem Judicem faciunt Advocati) Deum reddere nobis placatum, verum certiſſimè eum nobis placat ac propitium reddit: atque iſtud noſtram in hoc Advocato fiduciam plurimum auget.

§. XXXVII.

Maria *certa quadam ratione Advocata noſtra dicitur.*

Verum, quamvis *Chriſtus Jeſus* officium Advocati ita obeat apud Patrem, ut nemo, qui ſolum eſt creatura, illud cum tanta perfectione queat adminiſtrare; attamen inter cæteros officii & ho-

honoris titulos, quibus eos decoravit, quos ita charos habuit, ut ſuo ipſos ſanguine redimeret, etiam ipſis indulſit officium & titulum Advocati. Eo officio toties funguntur Sancti, ſive in terris prece gemebunda, ſive in cælis oratione lætâ, quoties cauſam noſtræ ſalutis commendantes Deo, *Chriſti* merita allegant. Nam Eccleſia triumphans, perinde ac Eccleſia militans, per *Chriſtum* poſtulat, quicquid à Deo poſtulat. Quamvis autem omnes Sancti, ſive in cælis devicto hoſte triumphent, ſive cum illo in terra confligant, titulo Advocati poſſint inſigniri; attamen nulli poſt *Chriſtum* cum tanto jure tribueris, quam Deiparæ. Unde S. *Bernardus* admonens Fideles, ut totis præcordiorum affectibus venerentur Deiparam ejus patrocinium quam maximè commendat.

Serm: de aqua ductu.

„Totis, inquit, ergo medullis cordium, „totis præcordiorum affectibus, & votis „omnibus *Mariam* hanc veneremur, „quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum „nos habere voluit per *Mariam*. Hæc „inquam voluntas ejus eſt, ſed pro nobis. „In omnibus ſiquidem, & per omnia, „providens miſeris, trepidationem no„ſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem ro„borat,

„ borat, diffidentiam abigit, erigit pu-
„ ſillanimitatem. Ad Patrem verebaris
„ accedere: ſolo auditu territus ad folia
„ fugiebas: *Jeſum* tibi dedit Mediatorem.
„ Quid non apud talem Patrem Filius ta-
„ lis obtineat? exaudietur utique pro re-
„ verentia ſua: Pater enim diligit Filium.
„ An vero trepidas & ad ipſum? Frater
„ tuus eſt & caro tua, tentatus per omnia
„ abſque peccato, ut miſericors fieret.
„ Hunc tibi fratrem *Maria* dedit. Sed
„ forſitan & in ipſo Majeſtatem vereare
„ divinam, quod licet factus ſit homo,
„ manſerit tamen Deus. Advocatum ha-
„ bere vis & ad ipſum? ad *Mariam* recur-
„ re. Puta ſiquidem humanitas in *Maria*,
„ non modo pura ab omni contaminatio-
„ ne, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec
„ dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro
„ reverentia ſua. Exaudiet utique ma-
„ trem Filius, & exaudiet Filium Pater.
„ Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea
„ maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei
„ meæ. Quid enim? Poteſtne Filius aut
„ repellere aut ſuſtinere repulſam, non
„ audire, aut non audiri Filius poteſt?
„ neutrum plane. Inveniſti, ait An-
„ gelus, gratiam apud Deum. Felici-
V „ ter

„ ter ſemper hæc inveniet gratiam, & „ ſola eſt gratia, qua egemus. Pru„ dens Virgo non ſapientiam ſicuti „ *Salomon*, non divitias, non honores, „ non potentiam, ſed gratiam require„ bat. Nimirum ſola eſt gratia, qua ſal„ vamur. Quid nos alia concupiſcimus, „ Fratres? quæramus gratiam, & per *Ma„ riam* quæramus: quia quod quęrit, in„ venit, & fruſtrari non poteſt. Quæra„ mus gratiam, ſed gratiam apud Deum: „ nam apud homines gratia fallax.

In his *Bernardi* verbis licet advertere miram Dei circa nos providentiam. Ne amplius cum *Adamo* ad vocem Dei deambulantis pavidi fugiamus, & nos abſcondamus in medio ligni & foliorum; datus eſt nobis mediator & Advocatus, per quem cum fiducia adiremus ad thronum gratiæ Dei. Unde ne ſimus trepidi & paventes ad iſtum mediatorem; hinc ait *Bernardus* noſtrum increpans timorem: *An vero trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut miſericors fieret.* Quod ſi forte tanta ſit puſillanimitas noſtra, ut nec per iſtum Fratrem & carnem noſtram Patrem adire audeamus, quia nos terret

iſtius

iſtius Fratris cogitata Majeſtas divinitatis; etiam tantæ puſillanimitati noſtræ conſuluit Deus, dando illi *Mariam*, quæ media inter *Chriſtum* & nos exciperet fulgorem Deitatis ejus, & noſtræ attemperaret infirmitati. Hinc in laudatis verbis ait *Bernardus*: *ſed forſitan & in ipſo Majeſtatem vereare divinam, quod licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in* Maria, *non modo pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ.* Ex quibus verbis patet datam eſſe Mariam in mediatricem, non ut illicitum eſſet *Chriſtum* immediatè adire, ſed ut etiam tunc nobis foret proviſum, quando præ puſillanimitate ipſum non auderemus directè adire. Itaque quod nobis opus ſit mediatore ad mediatorem, id non facit ullum ſupremi mediatoris imperium, quaſi ſe abſque mediatore adiri non permittat, nam ad ſe adeundum omnes blandè invitat, nunc dicens: *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.* Nunc clamans: *ſi quis ſitit, veniat ad me*; ſed quod opus ſit mediatore ad mediatorem, provenit ex puſillanimitate, quæ ſubinde nobis ineſt, & obla-

Matth: 11, 28.
Joan: 7. 37.

to ſibi à *Chriſto* honore uti non audet, repercuſſa fulgore Majeſtatis ejus.

XXXVIII.

Dei Filius homo factus eſt, ut hominibus foret exemplo; nec ſe ſolum ipſis dedit exemplum, ſed etiam piſcatores & publicanos.

DEus per orationem eum adire volentibus ita conſuluit, quemadmodum providit eum per imitationem accedere conantibus. Ut ad eum accederemus per morum ſimilitudinem, *Ieſum* nobis dedit in exemplum, quod imitaremur. Hinc *Chriſtus* ſe nunc viam appellat: nunc dicit:
Joan. 13. 15. *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis ita & vos faciatis.* Sed quia humana infirmitas tam ſublime exemplum ſubinde timet imitari; hinc *Paulus* tantum exemplum nobis attemperans, ſe nobis primo imitandum proponit; ne autem in ejus vitæ exemplo hæreamus, in ſuis moribus *Chriſtum* velut in ſpeculo vult agnoſci, noſque eum imitari. *Imitatores,*
1. Cor. 4. 14. inquit, *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Auguſtinus* admirans, quomodo Deus illis conſulat, qui vitæ ſanctimonia ipſi cupiunt

piunt fieri viciniores, ſic ſcribit. Si mul- *De Agone Chriſtiano. cap.* 11.
„ tum de nobis ſentimus, dignemur imi-
„ tari eum, qui Filius Altiſſimi vocatur.
„ Si parum de nobis ſentimus, audeamus
„ imitari piſcatores & publicanos, qui
„ eum imitati ſunt. O medicinam om-
„ nibus conſulentem! omnia tumentia
„ comprimentem! omnia tabescentia re-
„ ficientem! omnia ſuperflua reſecantem!
„ omnia neceſſaria cuſtodientem! omnia
„ perdita reparantem! omnia depravata
„ corrigentem! quis jam ſe extollat con-
„ tra Filium Dei? quis de ſe deſperet, pro
„ quo tam humilis eſſe voluit Filius Dei?
„ quibus adverſitatibus cedat, qui natu-
„ ram hominis à tantis perſecutionibus
„ cuſtoditam credit in Filio Dei? quis ſi-
„ bi clauſum regnum cœlorum putet, qui
„ cognoſcit publicanos & meretrices imi-
„ tatores eſſe Filii Dei? qua perverſita-
„ te non careat, qui facta & dicta intue-
„ tur, & diligit, & ſectatur illius homi-
„ nis, in quo ſe nobis ad exemplum vitæ
„ præbuit Filius Dei? hæc divine *Augu-ſtinus*. Juvabit audire, quid alio in loco ſcribat in eundem ſenſum. Si enim nobis, *Serm*: 30 *de* 20. *martyr: inter eos, quos edidit Sir-*
„ inquit, proponatur imitandus Deus,
„ reſpondet humana fragilitas, multum

„ eſſe à ſe imitari eum, cui non poteſt
„ comparari. Si deinde ipſius Domini no-
„ ſtri *IeſuChriſti* ad imitationem nobis ex-
„ emplum proponatur, qui propterea,
„ cum eſſet Deus, mortali carne veſtitus
„ eſt, ut hominibus mortalem carnem
„ gerentibus inſinuaret præceptum & de-
„ monſtraret exemplum .... tamen hic ad-
„ huc reſpondet humana fragilitas. Quid
„ ſimile ego & *Chriſtus*? Ille etſi caro,
„ tamen verbum caro ..... Ad tollendas
„ igitur omnes excuſationes infidelis in-
„ firmitatis martyres nobis ſtratam (viam)
„ conſtruxerunt .....ſi piget imitari Domi-
„ num, imitare conſervum. Præceſſit ag-
„ men ſervorum, ſublata eſt excuſatio
„ pigrorum.

Ex his *Auguſtini* verbis diſcimus, *Primo*: Deum eſſe exemplar, ad cujus imitationem conditi ſumus, juxta illud: *creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* (Gen. 1. 27.) *Secundò*: quia infirma mentis noſtræ acies Deum contemplari non poterat, Deum per incarnationeem Filii, ut eum imitaremur, ſeſe attemperaſſe infirmitati noſtræ. *Tertiò*: quia & ipſum exemplar *Chriſti* ægris animabus nimis ſublime, quam ut illud auderent imitari, videri poterat,

Deum

Deum adhuc magis nobis condeſcendiſſe, proponendo nobis piſcatores, publicanos & meretrices, ut illos ſequeremur, quatenus illi *Chriſtum* ſecuti ſunt. *Paulus*, ut nos ſublimius noſtræ conditionis admoneret, ait alicubi *eſtote imitatores Dei.* Epheſ. 5.1. Ut noſtræ infirmitati conſulat, jubet nos aſpicere *in auctorem & conſummatorem fidei noſtræ Ieſum.* Ut adhuc magis nobis condeſcendat, ait ſubinde: *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Eo uſque 1Corint. 4 16. ſe Deus nobis attemperat, ne noſtra aut ſuperbia aut ignavia ſe poſſet excuſare, quo minus per imitationem ad eum accederemus.

§. XXXIX.

Deo uniendi ſumus. Christus *Mediator. Sancti etiam mediatores. Deus regula noſtra.* Christus *exemplar noſtrum. Sancti quoque exemplar noſtrum. Datur ratio cur in oratione cum Deo loquendum, cur per Sanctos; item cur Deus aſpiciendus, cur* Christus, *cur Sancti.*

NE noſtra trepidatio vereretur per orationes Deo propinquare, datus eſt

nobis mediaror *Chriſtus*. Sed, ſi nec ſic ſanetur noſtra puſillanimitas, amplius nobis condeſcenſum eſt, & nobis data eſt mediatrix *Maria*, dati ſunt piſcatores, & publicani, & meretrices, velut interceſſores ad *Chriſtum*; ut illos, in quibus non eſt niſi pura humanitas, & in quibus omnibus (excepta *Maria*) etiam fuit originalis & actualis peccati labes & infirmitas, non vereremur orando accedere, atque ita per illos, vel cum illis *Chriſtum*, & per *Chriſtum* Deum ſupplices adire. In hac medicina, qua Deus orantium puſillanimitati conſuluit, ſi Hagiomachus quid ridendum putat: neceſſe quoque eſt, ut rideat eandem Dei circa nos benigniſſimam proviſionem, qua non ſolum nobis Filium ſuum Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ſed etiam piſcatores, publicanos, & meretrices propoſuit, quos imitaremur; ut ad eum morum ſimilitudine accedere haud cunctaremur, ubi videremus eos, ex tam loginqua regione diſſimilitudinis, tam prope ad illum vitæ ſimilitudine acceſſiſſe. Ut recordemur, ad quid conditi ſimus, ſæpe dicendum nobis: *imitatores Dei eſtote*: vel, *eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis*

ſtis

ſtis perfectus eſt. Ut recordemur infirmi- Matth: 5.
tatis noſtræ, ſæpe dicendum nobis: *Chri-* 48.
ſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens ex- 1 *Epiſt.* 2.
emplum ut ſequamur veſtigia ejus. Ut igna- 21.
via noſtra pudefiat, & audaciam ſumat, ſæpè dicendum nobis: *mementote præpoſi-* Hebræ: 13.
torum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt ver- 7.
bum Dei, quorum intuentes exitum conver- ſationis, imitamini fidem. Ut oculi mentis noſtrę aſſueſcant grandibus, levandi ſunt ad contemplandam Dei increatam perfectionem, quæ eſt exemplar & regula, ad cujus imitationem conditi ſumus. Ut conſulatur infirmitati noſtræ, aſpiciendus eſt *Christus*, in quo inviſibilis Dei perfectio quodammodo viſibilis & palpabilis facta eſt. Ne ſocordia noſtra ſe ulla poſſit tergiverſatione defendere, intuendi nobis ſunt piſcatores, publicani, & meretrices, qui pręceſſerunt nos in regnum Dei.

Prodeſt, ut orantes Deum ipſum ſæpe alloquamur, dicendo: *Pater noſter, qui es* Matt: 6. 9.
in cælis: ſanctificetur nomen tuum. &c. tum, ut ſciamus omne donum deſurſum eſſe, & deſcendere à Patre luminum; tum ut ſciamus, nos ad intimam cum Deo conjunctionem eſſe creatos; tum ut cogitata

magnitudine ejus, cui loquimur, cum maxima illi humilitate loquamur. Cogitandum tamen, quando directè Deum alloquimur, hanc nobis libertatem poſt *Adami* lapſum per *Chriſti* merita eſſe conceſſam, unde ſemper diſertis verbis, aut ſubintellectis, orationes noſtræ per *Chriſtum* tanquam per mediatorem Dei & hominum offerendæ ſunt. Sicuti etiam, quando Deum nobis in exemplum imitationis proponimus, cogitare debemus, nullas nobis eſſe vires imitandi ſublimiſſimum exemplar, niſi eas à *Chriſto* mutuemur.

Prodeſt, ut in orationibus noſtris ſæpè *Chriſtum* directè alloquamur; tum, ut ſemper ſimus memores, nullum nobis ad Deum dari acceſſum, niſi per ejus gratiam; tum, ut cogitantes ipſius eſſe officii, utpote Pontificis noſtri, pro nobis orare, majori fiducia ac libertate ipſi noſtras exponamus miſerias. Prodeſt nobis in orationibus ſanctos directè alloqui, ut puſillanimitas noſtra ex majori illorum ad nos propinquitate majorem ſumat orandi fiduciam. Porro ſicuti ſanctos tantummodo imitari licet, quatenus ipſi ſunt imitatores *Chriſti*, ita & Sanctos tantummo-

do

do invocare licet, quatenus ipſi ſunt deprecatores *Chriſti*. Hæc dicta ſunto, ut conſtet nulla *Chriſti* injuria Sanctos, & præſertim *Mariam* dici mediatricem noſtramque Advocatam.

§. XL.

MARIA *eorum Advocata, qui peccata ſua confitentes cum dolore, dolenda iterum non committunt.*

ANtequam huic materiæ finem imponam non, poſſum non advertere, tunc ſolum nos meritò nobis perſuadere, quod *Maria* noſtram agat Advocatam, quando ipſimet noſtram iniquitatem humiliter agnoſcimus, & dolentes confitemur. Audivimus ex *Eſtio* officium Advocati eſſe, proferre humilitatem ac preces rei peccatum confitentis, & veniam poſtulantis: & *Chriſtum* eatenus eſſe Advocatum noſtrum, quatenus humilem eorum confeſſionem ſuo Patri exhibet, juxta illud Joannis: *Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hæc autem eorum confeſſio, quam *Chriſtus* agendo Advocatum noſtrum 1 Joan: 1. 9.

ſtrum

ſtrum apud Patrem allegat, complectitur dolorem & erubeſcentiam de peccatis, invocationem divinæ miſericordiæ, & voluntatem ea faciendi, quæ Deus à pænitentibus exigit; nempe, ut recedant à malo & faciant bonum. Ut autem à malo recedas, recedendum quoque à peccati occaſionibus proximis. Hoc ni feceris, fucata eſt pænitentia: *falſa enim ſit pænitentia*, inquit *Concilium Lateranenſe* ſub *Innocentio ſecundo*, cap. 22. *cum pænitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet.* Eadem eſt mens *Concilii Romani* ſub *Gregorio ſeptimo*. *Quicunque*, inquit, *Miles vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad pænitentiam venerit ..... cognoſcat ſe veram pænitentiam non poſſe peragere ..... niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio Religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia, vel negotium relinquat vel officium deſerat.* Eandem tradit doctrinam *Gregorius Magnus*: *Sunt enim pleraque negotia, quæ ſine peccato exhiberi, aut vix aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant; ad hæc neceſſe eſt, ut* *Homil. 24. in Evang.*

poſt

poſt converſionem animus non recurrat. Ex his certum eſt, quod pęnitentiam veram, quam *S. Joannes* ſub peccatorum confeſſione comprehendit, fruſtra ibi quæſieris, ubi non eſt fuga tum peccati, tum occaſionum proximarum, tum negotiorum, quæ implicant ad peccatum. Ubi autem non eſt iſta de peccatis pœnitentia, quæ ibi peccatorum confeſſio, quæ ibi erit præſumptio de *Chriſti* patrocinio? Hæc ad Mediatricem Deiparam alioſque Sanctos, quos nobis in Advocatos deligimus, transferantur. Ut noſtram cauſam agant apud Deum, ſatagendum eſt, ut noſtram pænitentiam, confeſſionem, & ſupplices preces poſſint allegare. Si autem nulla noſtra ſit ſincera de peccatis pænitentia, non humilis eorum confeſſio, non gemebunda deprecatio, quomodo illam virgo tanquam Advocata judici allegabit? allegabit nos eſſe pænitentes cum toti ſummus affixi peccatis? allegabit nos cum dolore veniam poſtulare, cum non tam pænitendi, quam peccandi tempus poſtulamus? licet de *Mariæ* patrocinio plurimum præſumere, ſi, quam ipſa apud Deum gratiam invenit, nos quoque humili & dolenti prece, & peccati odio, morumque emen-

emendatione poſtulemus. *Semper Maria*, inquit Bernardus, *invenit gratiam, & ſola eſt gratia quâ egemus. Prudens Virgo non ſapientiam ſicut Salomon; non divitias; non honores, non potentiam ſed gratiam requirebat. Nimirum ſola eſt gratia qua ſalvamnr.* Hoc *Mariæ* ſtudium in quærenda ſola gratia imitandum nobis, ſi de *Mariæ* interceſſione præſumere velimus. Hanc gratiam ſi ſolam deſideremus, ſicuti eam ſolam virgo deſideravit, tunc de *Mariæ* patrocinio nobis licebit eſſe ſecuros. *Quid nos*, inquit Bernardus, *alia concupiſcimus Fratres? Quæramus gratiam, & per* Mariam *quæramus, quia, quod quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt. Quæramus gratiam, ſed quæramus apud Deum: nam apud homines fallax gratia.* Hanc gratiam non fallacem tunc ex mente *Bernardi* per *Mariam* inveniemus, quando per illam non quæremus, niſi eam gratiam, quâ plena fuit; quando non quæremus humani favoris, ſed divini amoris gratiam; non gratiam apud homines ſive in oculis hominum,ſed gratiam apud Deum & in oculis Dei; non gratiam fallacem, qualis eſt omnis, quam aut Mundus, aut ſenium, aut morbus, valet auferre, ſed

gra-

gratiam Dei, quám *Paulus* dicit eſſe *Vitam æternam*. Hoc deſiderium gratiæ, ſi in nobis ipſis advertimus, tunc prudenter præſumimus *Mariam* eſſe Advocatam noſtram. Non ſufficit, ut *Mariam* exores, ut tuam cauſam ſuſcipiat, quod illam Advocatam ſæpius voces, niſi id feceris corde pœnitenti. Honoramus illa *Bernardi* verba ad Deiparam: *Tu peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non deſpicis, ſi ad te ſuſpiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit.* Ad verte à *Bernardo* non dici, fœtidos peccatores non deſpici à *Maria*; modo eam vel labiis vel cerimoniis invocaverint: ſed modo *pœnitenti corde* invocaverint. Hoc *pœnitenti corde* Virginem invoca, & eam experieris Advocatam, quæ ita judicem orat, ut exoret, cauſamque obtineat. Crede illam à te invocari *corde* verè *pœnitenti*, ſi præterita mala ſic plores, ut futura iterum non committas. Nam qui plangit peccatum, irriſor eſt & non pœnitens, nec videtur aut Deum aut virginem poſcere humilis, ſed ſubſannare ſuperbus. Quæ autem ponenda fiducia in prece, quæ ſit potius ſuperba ſubſannatio, quam humilis ſupplicatio?

Rom: 6. 23.

In Serm. Paneg. ad B. Virg.

§. XLI.

§ XLI.

Oleum & operam illi perdunt, qui dicunt in diviſione cæleſtis imperii Mariæ *miſericordiam*, Christo *datum eſſe judicium. Hoc Paradoxum contrarium divino conſilio, ex quo Deus factus eſt homo.*

ISaacus Cauſabonus ſcribens *Cardinali Perronio*, inter cætera quæ contra ſanctorum invocationem profert, ait, à Catholicis ad laudem Deiparæ prædicari, ipſi *miſericordiam*, & Chriſto *judicium* eſſe datum. Idem poſt *Cauſabonum* Catholicis objicit *Andreas Rivetus* citans *Jacobum de Voragine*, *Bernardinum de Buſtis*, *Gabriëlem Biel*, & *Blaſium Viegas* : apud quos aſſerit inter *Chriſtum* & *Mariam* inſtitui eam divini imperii diviſionem, qua Chriſto *judicium*, Mariæ *miſericordia* aſſignatur, ut ipſa, quod olim adulator Poëta *Cæſare Octavio* dixit, diviſum habeat cum Deo imperium. Hanc objectionem *Cardinalis Perronius* non alio dignatus eſt reſponſo, quam ut dicat eos, qui ſimilia proferunt, oleum ac operam perdere

Lib. 2. Apologiæ pro Sanctis cap. 2.

l. 8. Repl: cap. 1.

dere, atque in iſtius Paradoxi refutationem quotannis cani ab Eccleſia, *Ieſus amor dulciſſime, quando cor noſtrum viſitas, tu tenebras illuminas, & nos imples dulcedine?* Deinde ait laudatus *Cardinalis Mariam* ab Eccleſia ſalutari matrem miſericordiæ, vitam, dulcedinem, & ſpem noſtram, quia eum peperit, qui eſt miſericordia, vita, dulcedo & ſpes noſtra. Hęc in celeberrimo opere *Perronius* ſcribens cum applauſu totius Eccleſiæ Catholicæ, fecit omnibus manifeſtum, ſibi non probari iſtud Paradoxum, quod Mariæ *miſericordiam*, & *Chriſto* tribuit *judicium*. Quare *Rivetus*, dum illud Eccleſiæ exprobrat, iniquè cum ipſa agit ei exprobrans errorem, à quo abeſt quam longiſſimè. Quæ iniquitas tanto minus ferenda in *Riveto*, quo ipſi ſcripta *Perronii* magis nota: & qui non poterat ignorare, in Eccleſiæ precibus paſſim *Chriſti* miſericordiam commendari, & in millenis Catholicorum Libris *Chriſtum* nobis proponi ut miſericordem, ut volentem ſalvare non damnare Mundum, ut eum, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & cujus bonitatis infinitus eſt theſaurus. Non ignorabat nec *Rivetus*, nec *Cauſabonus*, nec

X etiam

Conſult. 21.

Vide D. Thom: 3. p. q. 1. a. 2. ejuſque Commentatores ibid. lib. 13. de Trinit. c. 10.

Lib. de Catech: rudibus c. 4.

etiam illi, qui teſte *Caſſandro* iſtud Paradoxum Eccleſiæ exprobrarunt, docere omnes Catholicos Theologos redimendo homini nullum remedium eſſe convenientius, quam eſt incarnatio Filii Dei, tum, quantum ad ſpem, quæ per hoc maxime erigitur. Unde *Auguſtinus* dicit, quia *nihil tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, quam ut demonſtraretur nobis, quantum diligeret nos Deus; quid vero hujus rei iſto judicio manifeſtius, quam quod Dei Filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium?* tum quantum ad charitatem, quæ maxime per hoc excitatur. Unde dicit *Auguſtinus*, *quæ major eſt cauſa adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis?* poſtea ſubdit: *ſi amare pigeat, ſaltem redamare non pigeat.* Si *Chriſtus miſericordiam* à ſe ablegaſſet, & eam omnem in Matrem tranſtuliſſet, parum ipſe idoneus foret, qui dilectionem Dei erga nos repræſentaret, eàmque nobis repræſentando corda noſtra in ſpem erigeret, & ad amorem inflammaret. Nam ablegata à ſe miſericordia non tam Dei erga nos dilectionem quam ſeveritatem exhiberet, nec in ſpem & amorem nos erigeret, ſed dejiceret in timorem.

§. XLII.

§. XLII.

CHRISTO *competit miſericordiæ diſtributio, quia Pontifex eſt novi Teſtamenti, hoc eſt Teſtamenti amoris & gratiæ.*

SI quis ſeriò doceret *Chriſtum* aut *miſericordiam* à ſe ablegaſſe, eamque matri tradidiſſe, aut *Chriſtum* ſibi retinuiſſe dumtaxat exercitium *juſtitiæ*, & *Mariæ* commiſiſſe omnem *miſericordiæ* diſtributionem, vel *Chriſtum* nunc agere Judidicem ſeverum, *Mariam* miſericordiæ matrem, is *Chriſtum* ex Mediatore & Pontifice Novi Teſtamenti Mediatorem & Pontificem veteris Teſtamenti conſtitueret. Etenim legi timoris, qualis erat vetus, conveniret magis mediator & Pontifex judiciali ſeveritate formidabilis, quam conveniret legi amoris. Quamvis omnem Pontificem deceat eſſe miſericordem, juxta illud *Pauli* : *Omnis namque* *Hebr: 5. 1.* *Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant.* Quod ſi omnem Pontificem deceat eſſe miſericordem, maximè illud decet Pontifi-

tificem novi Teſtamenti, utpote Teſtamenti amoris & miſericordiæ. *Ieſum* talem nobis eſſe Pontificem luculenter docet Apoſtolus, dum nos exhortatur, dicens: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos*, Jeſum *Filium Dei, teneamus confeſſionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* His *Pauli* verbis conſonat *Ioannes* ſcribens: *Filioli mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit: Advocatum habemus apud Patrem*, Jeſum Chriſtum, *Juſtum, & ipſe propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Non vocatur *Ieſus* in hac *Ioannis* ſententia, *juſtus*, ut per hoc epitheton noſtra in eum fiducia minuatur, ſed potius, ut illa augeatur; nam *juſtus* idem ibi eſt, ac innocens, ſanctus, & inculpatus. De quo *Paulus*: *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Neque enim idoneus eſt Advocatus, qui ipſe ſit reus

Hebr: 4. 14.

1. *Epiſt.* 2. 1.

Hebr. 7.

reus. Dicitur itaque *Ieſus* eſſe *juſtus*, ut ſciamus ipſum ſanctitate & innocentia Patri eſſe gratiſſimum, & ob iſtam ſuam innocentiam ſummæ erga nos charitati conjunctam ad impetrandum nobis veniam maxime idoneum.

§. XLIII.

JESUS *immortalis, miſericors eſt Pontifex.*

NEc hic pontifex cogitandus, tanquam ſolummodo in diebus carnis ſuæ nobis miſericordiam exhibuiſſet, & nunc omnem miſericordiæ diſpenſationem ſuæ matri relinqueret. Nam & *Paulus* & *Ioannes* in laudatis locis loquuntur de *Ieſu*, jam immortali & ſedente ad dextram Patris, & ibi pro nobis ſemper orante. De *Ieſu* immortali à *Paulo* dicitur, quod etiam interpellet pro nobis. De *Ieſu* immortali à *Paulo* dicitur, quod ſemper vivat ad interpellandum pro nobis. Quid eſt autem hæc interpellatio, niſi *Ieſu* noſtri miſerentis oratio? niſi indeficientis miſericordiæ oſtenſio, & niſi perpetua & invicta impugnatio iſtius Paradoxi, *Mariæ miſericordia, Chriſto judicium tributa ſunt.* Sed nimii ſumus in hoc commento refutando, quod ne quidem illis ipſis perſuaſum cre-

Rom: 8.

Hebr: 7.

do, qui illud ſuis ſermonibus evulgarunt. Nam exiſtimo illis in eo nihil placuiſſe præter Antitheſeos amænitatem, qua abrepti non attenderunt ad veritatis ſalubritatem, nec cogitarunt futuros aliquando Hagiomachos, qui inde caperent occaſionem Eccleſiæ inſultandi, & irridendi cultum ſaluberrimum, quo ipſa Deiparam credit colendam.

§. XLIV.

Eccleſia invicta, tametſi vincatur à Voragine, & de Buſtis &c.

DUm autem Hagiomachi ſimilia Paradoxa impugnant, non ſibi perſuadeant, quod Eccleſiæ doctrinam, iſta impugnantes, debellent. Luſus ingenii hujus aut iſtius Scriptoris, non ſunt Eccleſiæ dogmata. Stabunt illa ſua gravitate fundatiſſima, tametſi *de Voragine*, tametſi *de Buſtis*, tametſi *Biel*, tametſi *Viegas* vapulent, vanaque illorum dicta veritatis pondere conterantur. Ridet Eccleſia, vel potius dolet Hagiomachorum vanitatem, qui ſe efferunt, & magnos agunt triumphos, quaſi de expugnato cultu, quem ipſa docet Deiparæ deferendum; cum non vicerint niſi incautum verbum unius

aut alterius Scriptoris parum celebris & minimæ auctoritatis; cujus etiam verba ipſa Eccleſia improbat ac damnat. Permittit & probat Eccleſia, ut *Rivetus* rideat quantum velit, hæc verba *Iacobi de Voragine* : *Tantam enim auctoritatem habet in cœleſti palatio* Deipara, *quod omnibus aliis Sanctis intermediis omiſſis, ad ipſam licet ab omni gravamine apellare, tanquam ad Dominam & Auguſtam, ſive quis gravetur à corpore proprio, ſive à diabolo, ſive etiam ab ipſo Deo. Licet ipſam appellare, ſi quis à juſtitia Dei ſentit ſe gravari. Hoc ſignificatum eſt Heſter.* 5. *cum Rex Aſſuerus, Iudæis eſſet iratus, Regina Heſter ad eum placandum acceſſit. Cui Rex dixit; etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, dabo tibi. Iſta eſt virgo* Maria, *cum qua regnum ſuum diviſit. Cum enim Deus habeat juſtitiam & miſericordiam, juſtitiam ſibi retinuit, & matri miſericordiam conceſſit: & ideo ſi quis ſentit ſe gravari à foro juſtitiæ, appellet ad thronum miſericordiæ matris Dei. Si quis ergo gravatur à throno juſtitiæ, appellet ad thronum miſericordiæ Dominæ & Auguſtæ.* Hæc ille. Sed ubi *Rivetus* hæc verba ad ſatietatem deriſerit, ſuo ridendi pruritu non in-

Serm: 17. *fol.* 10. & 11.

ſultet Eccleſiæ, quæ *Iacobi de Voragine* verba, vel tam futilia exiſtimavit, ut putaverit ſuam non decere gravitatem, de illis judicium inſtituere; vel etiam ea forte ignoravit: & quæ *Rivetus* citius deprehendit, quia livor & invidia ipſum reddidit valde diligentem & oculatum, ut ſimilia Paradoxa in Catholicorum ſcriptis conquireret; illaque ad Catholicæ Eccleſiæ ignominiam tanta cum iniquitate proferret, quanta cum injuria protulerit quis contra regnum ex innumerabili hominum numero conſtans, ſi quid in tenebris contra ejus leges unus aut aut alter peccaverit privatus.

§. XLV.

Deipara in judicio non movetur miſericordia, ut velit damnationi addictos, damnationi eripere.

ET quia recens quidam Sermonum Auctor, qui aliquorum manibus teritur, commentum habet affine commento *Iacobi de Voragine*, nempe virginem in extremo judicio acturam *hædorum* Advocatam; quaſi ipſi his verbis: *Paſce hædos meos*, à Filio ſuo *hædorum* cura & protectio ſit de-

demandata: hinc forſan non erit inutile hic referre, quid contra tam inane & virgini indignum figmentum habet *Bernardus* ſermone 8. in Pſal: *Qui habitat.* Eo ſermone exponens *Bernardus* hunc verſiculum: *oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis*, docet ſanctos in judicio nulla erga reprobos miſeratione movendos, quantumvis eorum damnationem ſuis oculis conſiderent; quia ex illâ advertent, quod ſola Dei Redemptoris miſericordia ipſos à Reprobis ſegregaverit. *Secundo*: quia damnatione Reproborum ſe ab omni impugnatione videbunt ſecuros. *Tertio*: quia ex illorum turpitudine melius ſuum decus percipient. *Quarto*: quia ſe conformabunt æternæ ſapientiæ, quæ in peccatorum interitu ridebit, juxta illud ſapientiæ. *Quia vocavi & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret .... ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis, quod timebatis, advenerit: cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. Quid ergo*, inquit Bernard:, *in inſipientium interitu ſapientiæ credimus placiturum, niſi juſtiſſimam ſuam diſpoſitionem, & irreprehenſibilem ordinem rerum?* Prov: c. 1.

X 5 Sane

„ ſane, quod ſapientię tunc placebit, ſa-
„ pientibus quoque placeat neceſſe eſt u-
„ niverſis. Non igitur tibi durum videa-
„ tur fore, quod dicitur: oculis tuis conſi-
„ derabis: quando & ridebis in eorum in-
„ teritu: non quod velut quadam imma-
„ nitate crudelitatis in ipſa tibi ultione
„ complaceat, ſed quod modus ipſe pul-
„ cherrimus divinæ ordinationis, ultra
„ quam credi poſſit, juſtitiæ zelatorem &
„ amatorem æquitatis oblectet. Ubi op-
„ time omnia conſtituta, & ſuum cuique
„ ceſſiſſe locum, imo in ſuum quemque
„ ceſſiſſe, plenius & perfectius illuſtrante
„ veritate cognoſces: quomodo non om-
„ nia conſiderare, & in omnibus omnium
„ moderatorem magnificare licebit? pul-
Act: 1. „ chre omnino *Petrus* Apoſtolus *filium*
„ *perditionis in locum ſuum abiiſſe* teſtatus
„ eſt, quod in aere crepuerit medius, ae-
„ riarum collega poteſtatum: utpote
„ quem veri Dei & veri pariter hominis,
„ qui de cœlo veniſſet operaturus ſalutem
„ in medio terræ: hujus inquam prodito-
„ rem, nec cœlum reciperet, nec terra
„ ſuſtineret. Itaque oculis tuis conſidera-
„ bis, & retributionem peccatorum vide-
„ bis. *Primo* quidem ob tuam evaſionem.
Se-

„ *Secundo* ob omnimodam ſecuritatem.
„ *Tertio* quoque ob comparationem.
„ *Quarto* ob ipſius juſtitiæ perfectam æmulationem. Erit enim jam tunc non miſericordiæ, ſed judicii tempus: nec ulla omnino credenda eſt erga impios futura illic miſeratio, ubi nec ulla ſperanda eſt correctio. Procul erit humanæ infirmitatis iſta mollities, qua tamen interim pro tempore charitas utitur ad ſalutem, ampliſſimo quodam videlicet expanſæ ſagenæ ſinu & bonos & malos colligens piſces, id eſt, affectus jucundos pariter & moleſtos. Verum hoc quidem in mari: nam in littore ſolos eliget bonos, ſic videlicet gaudens cum gaudentibus, ut ex hoc jam cum flentibus flere non poſſit. Alioquin quomodo in nobis judicabitur hic mundus, niſi hujus teneræ affectionis obliti, introductique fuerimus *in cellam vinariam*, ſecundum eum qui dixit: *introibo in potentias Domini, Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius*? Psal: 70. Nec modo quidem conſiderare permittimur perſonam pauperis, aut miſereri ejus in judicio: ſed cum moleſtia licet, coercendus ejuſmodi pietatis affectus, & æquitatis eſt dictan-

„ da

„ da ſententia. Quanto magis ubi nulla
„ animi colluctatio, ubi nulla poterit ſub-
„ intrare moleſtia, oportet impleri quod
Pſal: 140. „ dictum eſt: *Abſorpti ſunt juncti petræ ju-*
„ *dices eorum*? abſorpti plane in affectum
„ juſtitiæ, & petræ ſoliditatem, cui juncti
„ ſunt, imitantes. *Juncti*, inquit, *petræ*,
„ quam profecto ſolam ut ſequerentur,
„ cœtera omnia reliquerunt. Nempe hoc
„ eſt, quod interroganti *Petro* quidnam
Matt: 19. „ accepturi eſſent, petra ipſa reſpondit:
„ *Cum ſederit filius hominis in ſede Maje-*
„ *ſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duo-*
„ *decim, judicantes duodecim tribus Iſraël.*
„ Hæc quoque Propheta prænuncians ait:
Iſaiæ. 3. „ *Dominus ad judicium veniet cum ſeniori-*
„ *ribus populi ſui.* Tu ne putes flexibile
„ quippiam inveniendum in judicibus jun-
1 Cor. 6. „ ctis petræ. *Qui adhæret Deo*, Apoſtolus
„ ait, *unus ſpiritus eſt*: qui & petræ jungi-
„ tur, lapis unus. Ad quod ſanè Propheta
Pſal: 72. & 140. „ non immerito ſuſpirans: *mihi*, inquit,
„ *adhærere Deo bonum eſt.* Ita ergo ab-
„ ſorpti ſunt juncti Petræ judices eorum.

Liquet ex his *Bernardi* verbis. *Primo*: in Iudicio non eſſe miſericordiæ ſed juſtitiæ tempus; nec ullam illic erga impios fore miſerationem, ubi nulla ſperanda correctio.

rectio. *Secundo*: non eſſe ſanctis poſt hanc vitam humanæ infirmitatis mollitiem,qua interim in hoc tempote utitur charitas colligens affectus jucundos pariter & moleſtos. *Tertio*: introductos in potentias Domini, recordari juſtitiæ ſolius. *Quarto*: nihil flexibile inveniendum in judicibus junctis Petrę. Et adhęrentes Deo unum ſpiritum eſſe, & junctos Petrę unum lapidem eſſe. Et cum nemo magis intime Deo adhęreat, quam illi adhęret Deipara, nemo Petrę magis junctus eſt, quam illi ejus mater juncta eſt. Certiſſimum quoque eſt, neminem cum Deo magis eſſe unum ſpiritum, neminem magis cum Petra eſſe unum lapidem, quam eſt *Maria*; & in nemine minus cogitandam eſſe illam humanę infirmitatis mollitiem & flexibilitatem, quam in Virgine Petrę conjunctiſſima, & in Petram ſic abſorpta, ut ſit cum illa unus lapis.

Hęc peccatores cum majori utilitate audient, quam, quę ex duobus Sermonibus de laudibus Virginis (quorum unus *Methodio* Martyri ſuppoſitus eſt, & alter non majoris dignitatis habet auctorem, quam eſt *Nicephorus Gregoras* ſchismaticus homo) à nonnullis circumferuntur,

non

non tam in laudem Virginis, quam in certiſſimum detrimentum timoris utiliſſimi, quo *Dei* judicium expaveſcere debemus.

Quia *Bernardus* noverat in extremo judicio non miſericordiæ, ſed juſtitiæ tempus eſſe: Hinc poſt laudata verba ait: *Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſollicitudinis excogitari poteſt, quam judicandum aſtare illi, tam terrifico tribunali, & incertum adhuc expectare, ſub tam diſtricto judice ſententiam? Horrendum eſt*, ait Apoſtolus, *incidere in manus Dei viventis. Judicemur interim, fratres, & terribilem illam expectationem præſenti ſtudeamus declinare judicio. Non judicabit Deus bis in idipſum.* Hanc ſequamur ſaluberrimam ſanctiſſimi viri exhortationem. Scrutemur conſcientias noſtras. Quod contra Deum, nosipſos & proximum deliquimus, vindicemus. Non parcamus nobis ipſis, & nobis parcet Deus. Non ſit pœnitentia crimine minor, ſed juxta *Ioannis* præceptum: faciamus *fructus dignos pœnitentiæ.* Hos operetur in nobis timor Domini; non hos negligamus, perſuadentes nobis, quod mortui in peccatis mortalibus per *Mariæ* merita in judicio defen-

Hebræ: 10. 31.

Luc: 3. 8.

defenſionem, & in inferno inveniemus redemptionem. Hęc perſuaſio non eſt ex Deo, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut vivat; ſed eſt ex illo, qui volens nos pręcipitare in mortem ſecundam, non ceſſat falſo polliceri dicens; *nequaquam moriemini.* Quod ergo de ſanctis ultimi Tribunalis aſſeſſoribus, adeoque etiam de Deipara ſenſit *Bernardus*, illud ipſum etiam nos ſentiamus, nam hac in re ſenſus *Bernardi* eſt totius ſenſus & fides Eccleſię.

§. XLVI.

De fiducia qua colendi ſancti: de Invocatione, quæ uni Deo debetur: & de invocatione, quæ ad ſanctos dirigitur.

INter ea, quæ hocce *Tractatu* ſumpſimus exponenda, comprehenditur fiducia, quâ Sanctos ac præſertim Deiparam colunt Orthodoxi, dum eam invocant, ſe ejus precibus commendantes. *Rivetus*, ut impugnet Catholicorum morem Deiparam invocantium, nunc ait, ſolum Deum debere invocari, eo quod invocatio religioſa ſit cultus divini pars præcipua;

Apolog. pro Sanctiſſima Virgine Maria *lib. 2. cap.* 10. *Et ibid. cap.* 2.

pua; nunc Catholicos docere, eſſe utilius *Mariæ*, quam *Jeſu* nomen invocare. Utraque hæc objectio eſt hominis contendere quærentis.

Nam ad *primam* quod attinet, toto corde fatentur Catholici eſſe quamdam invocationem, quæ uni & ſoli Deo debet deferri; illam quippe, quâ is invocatur, qui cor mundum creat in nobis, qui ſuâ propriâ virtute nos aptat ad omne bonum, qui ſuo ſpiritu charitatem diffundit in cordibus noſtris, qui pro bona voluntate ſua operatur in nobis bonum velle & perficere, & qui ſolus tanquam cauſa efficiens, non miniſtra ſed princeps, dat gratiam quâ bene, & gloriam quâ beatè vivitur. De hac invocatione loqui-
Ioel. 2. 32. tur Propheta dicens: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Hanc invocationem ſi creaturæ detuleris, idololatriam commiſeris.

Prȩter hanc, eſt alia invocatio, quȩ dirigitur directè non ad illum, qui per ſe mentem noſtram ſuo lumine illuminare, & voluntatem noſtram ſuo valet amore accendere, ſed ad illum, quem Deo veritatis & charitatis datori charum credis, & qua invocatione ejus ad Deum preces po-

poſtulas. Hanc Apoſtolus *Paulus* defert Epheſ. 6. 18.
Epheſiis adhuc viventibus, ab ipſis poſtulans, ut ſint *vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis; & pro ſe, ut detur ſibi ſermo in apertione oris ſui cum fiducia.* Hanc defert *Coloßenſibus*, Coloſſ. 4. 2.
ipſis ſcribens: *Orationi inſtate, vigilantes in ea, in gratiarum actione: orantes ſimul & pro nobis.* Hanc defert *Hebræis*, Hebr. 13. 18.
ipſis ſupplicando, dicens: *Orate pro nobis.* Hanc defert *Theſſalonicenſibus*, dum 2 Theſſ. 3. 1.
ipſos invocat, dicens: *de cætero, fratres, orate pro nobis.* Hanc invocationem, quam *Paulus Epheſiis, Coloßenſibus, Theſſalonicenſibus*, & *Hebræis* detulit, certò certius ſine Dei injuria licuiſſet Deiparę, cum viveret, deferre. Nunc peto, cur eam defunctę deferre ſine Dei injuria non licebit? An fortè alio invocationis cultu colimus Sanctos in cœlis regnantes, quàm in terris viventes? Nonne *Auguſtinus* L. 20. cont. Fauſt. c. 21.
Eccleſię ſenſum circa cultum ſanctorum declarat, dum, ait: *colimus ergo Martyres* (adde, Deiparam) *eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus: ſed illos tanto devotius, quanto*

to ſecurius poſt incerta omnia ſuperata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in iſta adhucusque pugnantes. Deiparam verò tanto ſublimiori præ aliis ſanctis cultu colimus, quanto eam aliis ſanctis credimus ſublimiorem, & ideo ſublimiorem quia ſubjectiorem. Si cultum invocationis ſocialem licebat ſine Dei offenſa deferre Deiparæ in terris viventi, cur illum ei in cœlis regnanti ſine Dei injuria non poterimus exhibere? ſi ſine idololatria licebat *Mariæ* nobiſcum converſanti dicere, *ora pro nobis*; cur idololatria erit *Mariæ* cum Deo converſanti dicere, *ora pro nobis?* Sed hæc invocatio religioſa eſt. Religioſa quoque eſt invocatio ſancti in terra viventis. Religioſa erat invocatio *Pauli* dum *Hebræos* & *Theſſalonicenſes* invocans dicebat, *orate pro nobis*. Hæc invocatio dicitur à Catholicis religioſa, quia religioſam Dei invocationem habet conjunctam tanquam radicem ex qua oritur. Nam haud invocaremus ſanctos, ipſorum preces poſtulando, niſi Dei favorem & gratiam deſideraremus, & deſiderando invocaremus. Quia ergo ipſa religioſa Dei invocatio ſive Dei deſiderium nos excitat, ut cum

Paulo

Paulo ſanctis dicamus, *orate pro nobis*, ideo ſanctorum invocatio vocatur religioſa.

Hæc expoſitio cultus religioſi, qui ſanctis per invocationem defertur, omnino coincidit cum illa, quæ aliâs data eſt; nempe quod cultus, quo coluntur ſancti, vocetur religioſus, quia Dei ſervi ſunt, non vero quia nobiles & potentes ſecundum carnem &c. Nam dum ſanctis cum Apoſtolo dicimus *orate pro nobis*, minimè in illis attendimus, quod Reges, divites, ſpecioſi ſint ſecundnm carnem. Totum, quod in ipſis attendimus, dum ipſis dicimus, *orate pro nobis*, eſt Dei favor & gratia, quibus illos credimus donatos; unde, quia pauperes Deo credimus chariores, ipſis libentius, quam mundi divitibus ac potentibus, dicere ſolemus: *orate pro nobis.* Qui poſt tales Catholicorum expoſitiones, ipſos ajunt honorem uni Deo debitum transferre ad creaturam, ipſoſque eadem ratione Sanctos, qua Deum invocare, eo quod preces ad ſanctos directas vocent ſanctorum invocationes, ſicuti preces ad Deum directas vocant Dei invocationem; eodem jure aſſerere poterunt, Catholicos nullatenus di-

ſtinguere inter creaturam & creatorem, quia creaturam vocant ens, ſubſtantiam, naturam, juſtam, ſapientem, potentem &c. ſicuti Deus vocatur ens, ſubſtantia, natura, juſtus, ſapiens, potens &c. Hoc autem ſi Catholicis crimini vertant, viderint ne eodem crimine ſe ipſos involvant: etenim ipſimet eundem vocis ſonum nunc ad Deum, & nunc transferunt ad creaturam. Ut autem ſeipſos extra crimen conſtituant, nec amplius gloriam Dei deferant creaturæ, ſuaderem illis novas voces & characteres conquirere, ne eiſdem vocibus & characteribus, nunc Deum, nunc creaturam exprimant. Et præſertim ipſis proſpiciendum, ne litteras D. V. S. in voce *Deus* ſanctificatas, transferant ad Dei æmulum, & profanent in voce *Diabolus*. Ad hæc evigilent Acatholici & advertant, quantum ineptiant, dum ob eundem ſonum & eoſdem characteres, quibus efformatur *vox*: *invocatio*, Catholicos accuſant idololatriæ, licet his verbis, *invocatio Dei*, ſubſit ſenſus toto cœlo diverſus à ſenſu, qui ſubeſt his vocibus, *invocatio ſanctorum*. Hæc ad *primam objectionem* fuſius repoſui, quia non in unius *Riveti Apologia*, ſed ferè in omnibus Hagio-

giomachorum ſcriptis, tanquam achilles præcipuus, ad Catholicorum terrorem oſtentatur. Sed, laus Deo, parum terrentur.

Certe ſi non licet ſanctos invocare; etiam non licebit ſanctos imitari: nam ſumma Religionis eſt imitari, quem colis. Ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creati ſumus, hoc eſt, creati ſumus, ut Deum imitemur, ut Deum tamquam prototypum & exemplar noſtrum ſequamur. Creati ſumus, ut ſimus ſapientes, ſequendo æternam Dei ſapientiam: ut ſimus juſti, ſequendo ejus juſtitiam: ut ſimus ſancti, ſequendo ejus ſanctitatem: ut ſimus perfecti, ſequendo ejus perfectionem: ut ſimus beati, ſequendo, & aſſequendo ejus beatitudinem. Hic Dei cultus, qui in imitatione poſitus eſt, omni tempore à creatura rationali Deo debetur. Angeli, & *Adam* innocens, Deum imitatione colere debebant; oratione colere non debebant. Unde de *Adamo*, dum in Paradyſo innocens erat, ait *Auguſtinus*: *Laudabat, non orabat.* Poſt judicium ceſſabit oratio, ſed non ceſſabit imitatio. Ceſſabit oratio, quia nihil ſupererit, quod ſibi, aut aliis petant: non ceſſabit imitatio, quia ſemper erunt ad

imaginem, & ſimilitudinem Dei. Hinc patet, quod multo probabilius tam Reformatos, quale nomen amant, quam Catholicos accuſaveris idololatriæ, eo quod ſanctos doceant imitatione eſſe colendos, quam ipſi Reformati Catholicos ob ſanctorum invocationem idololatriæ reos clament. Etenim cultus Dei præcipue, imo unicè in eis imitatione conſiſtit. Hinc apud omnes invaluit iſta ſententia: *Sequere Deum.* Dixi autem cultum Dei in imitatione unicè eſſe collocatum, quia oratio, ſive invocatio, qua Deus colitur, ſubordinata eſt imitationi, tamquam fini proximo: ideo enim oramus, ut gratiam, & vires ad Deum imitandum, orando obtineamus, & eis obtentis hic ſanctè, & in æternum vivamus beatè. Quemadmodum ergo, fatentibus Reformatis, non ſolum licet ſine ulla *Dei* injuria, ſanctos imitari, quamvis cultus *Dei* magis in imitatione, quam invocatione ſit collocatus: ita ſine vel minima *Dei* injuria, imo cum incremento divini honoris, licet invocare ſanctos.

§. XLVII.

§. XLVII.

Non docet Eccleſia Catholica utilius eſſe invocare nomen Mariæ, *quam nomen* Jesu.

TRranſcamus ad *Secundam Riveti objectionem*, qua dicit à nonnullis Catholicis doceri, utilius eſſe *Mariæ* nomen, quam ſanctiſſimum nomen *Jeſu* invocare. Verum poterit *Rivetus* pace totius Eccleſiæ Catholicæ iſtud commentum impugnare, & illud ſua eloquentia, quantum libuerit, exagitare. Si dicat illud non aſtrui, niſi auctoritate horum verborum, *velocior eſt nonnunquam ſalus, invocato nomine* Mariæ, *quam invocato nomine* Jeſu; ſi addat, iſta verba non eſſe *S. Anſelmi*; aſſentietur ei illuſtris Eccleſiæ Pugil *Cardinalis Bellarminus*, qui ait opuſculum de Excellentia B. Virginis non videri eſſe *Anſelmi*; non ſolum, quia ejus non meminit *Edinerus*, ſed etiam quia non habet ſtylum neque gravitatem *Anſelmi*. Si dicat inſanam eſſe rationem, qua quiſpiam paradoxum iſtud aſtruit in hunc modum. „ Quia *Chriſtus* eſt Judex, virgo „ Patrona; Patronæ autem eſt ſola miſe- *De Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

„ ricordia, hinc eſt quod *Chriſtus* dicitur „ juſtitia præcinctus, quæ pronam *Chriſti* „ naturam ad miſerendum cohibet, ne „ flectatur. Qui, quemadmodum *Joab* bal- „ theo ſuo aſperſit ſanguinem, quo ma- „ gis incenderetur ad iram, ita indumen- „ tum ſuum hoſtium cruore infecit, quo „ magis provocetur ad vindictam. Con- „ tra, B. Virgo amicta ſole dicitur, quia „ ſol eſt typus miſericordiæ, quippe qui „ ſuper bonos & malos oriatur. Si, inquam, dicat hanc rationem inſanam eſſe, non contradicet ipſi Catholicæ Eccleſiæ ſapientia, quæ amat filios ſuos, ſed non amat aut errores, aut ineptias ſuorum filiorum. Si dicat, ut iſtam rationem impugnet, „ ſi *Chriſtus* talis ſit Judex, qui, „ totus cruore mandens, ſit inexorabilis, „ quid lucrabitur qui ad *Mariam* ſe con- „ verterit? Si Judex ſit hoſtium ſuorum „ Advocatus & judex ſimul, nonne illius „ cauſa eſt in tuto, qui *Chriſtum* habet Ju- „ dicem & Advocatum? Sic argumentans minimè lædet Eccleſiam, quæ veritatis tam amans eſt, ut eam honoret etiam in ore & Scriptis ſuorum inimicorum. Si dicat *Chriſtum* eſſe miſericordiæ hieroglyphicum, adeoque miſericordiam *Chriſto*

com-

competere: non ei adverſabitur Eccleſia, quin potius credet *Rivetum* non *Riveto*, ſed ſibi vincere, eo quod extra Eccleſiam conſtituto nihil proſit ad ſalutem. Si dicat ſe non credere Revelationibus, quæ in confirmationem iſtius paradoxi afferuntur, ejus cautionem Eccleſia non reprehendet. Graves & eruditi Eccleſiæ filii accedentes ejus cautioni dicunt: *Eccleſiæ Chriſti hi graviter incommodant, qui res Divorum præclare geſtas non ſe putant egregie expoſituros, niſi eas fictis & revelationibus & miraculis adornarint. Quæ in re nec ſanctæ virgini, nec Chriſto Domino, horum impudentia pepercit: quin, quod in aliis Divis factitavit, idem quoque in Chriſti & Matris hiſtoria ſcribenda faceret, & pro humani ingenii levitate multa vana & ridicula comminiſceretur.* Hæc *Canus.* In eundem ſenſum loquitur *Gerſon* agnoſcens, *in hoc ſenio ſæculi, in hac hora noviſſima, mundum tanquam ſenem delirum phantaſias plures & illuſiones ſomniis ſimiles pati.*

De Locis Theolog. L. 11. *c.* 6.

Lib. de diſtinct. veræ viſionis à falſis.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Apparitiones & revelationes examinandæ ad Regulam fidei.

OMittere non poſſum, quin hic referam, quæ de revelationibus diſcernendis, num veræ, an falſæ ſint, ſcribit ſanctę mem: *Cardinalis Bona.* „ Examinandum, inquit, quale ſit illud, quod „ revelatur. Veritas autem primo loco attendenda eſt, & conſenſus rerum revelatarum cum ſacris literis, cum divinis „ & Apoſtolicis traditionibus Eccleſiæ; „ dicente Apoſtolo ad Galatas, *quod ſi* „ *Angelus de cœlo Evangelizet nobis, præter* „ *id, quod accepimus, anathema ſit.* Et „ idem Theſſalonicenſibus edixit, *tenete* „ *traditiones, quas didiciſtis.* Eccleſiæ vero infallibilis eſt auctoritas Apoſtolis atteſtantibus, qui hâc graviſſimâ formulâ „ in definiendo uſi ſunt, *viſum eſt ſpiritui* „ *ſancto & nobis.* Quod ſi aliquid in revelationibus reperitur, quod his aliquo „ modo adverſetur, tanquam mendacia „ & illuſiones rejiciendę ſunt; Deus enim „ veritas eſt, & illi canit Pſalmographus: „ *Principium verborum tuorum veritas.*

De diſcretione ſpirituum c. 20.

Cap: 1. 8.

2 *Cap.*2.14.

Actor: 15. 28.

Pſal: 118. Har: 48.

„ Qua-

„ Quapropter *Epiphanius Maximillæ* re-
„ velationibus credendum non eſſe aſſe-
„ rebat, quia ſacris literis non convenie-
„ bant. In hanc ſententiam egregiè loqui-
„ tur *Richardus à S. Victore*: *ſuſpecta eſt* *De prap. animi ad cont. cap.* 31
„ *mihi omnis veritas, quam non confirmat*
„ *ſcripturarum auctoritas, nec* Chriſtum
„ *in ſua clarificatione ſuſcipio, ſi non aſſiſtant*
„ *ei* Moyſes & Elias. *ſi* Chriſtus *docet me*
„ *de rebus exterioribus, vel de intimis meis,*
„ *facile recipio, utpote in his, quæ compro-*
„ *bare poſſum proprio experimento. Verum*
„ *ubi ad alta mens ducitur, quoniam de cœ-*
„ *leſtibus quæſtio ventilatur, ubi de profun-*
„ *dis rebus agitur, in tanta ſublimitatis ver-*
„ *tice non recipio* Chriſtum *ſine teſte, nec ra-*
„ *ta poterit eſſe quamlibet veriſimilis revela-*
„ *tio ſine atteſtatione* Moyſis & Eliæ, *ſine*
„ *ſcripturarum auctoritate.* Hanc normam
„ ſecutus eſt Princeps Apoſtolorum:
„ Chriſti enim transfigurationem enar- 1 Petr. 2.
„ rans, & vocem à Deo Patre delapſam,
„ *hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi*
„ *complacui, ipſum audite,* quam ſe audiſſe
„ teſtatur, cum eſſet cum ipſo in monte
„ ſancto, ſpeculator factus illius magni-
„ tudinis; noluit tamen ei revelationi in-
„ niti, niſi quatenus Prophetarum oracu-

„ lis conſentanea fuit. Et ideo ait, *habe-*
„ *mus firmiorem Propheticum ſermonem*,
„ *cui bene facitis attendentes*, *quaſi lucernæ*
„ *lucenti in caliginoſo loco*: ac ſi apertè di-
„ ceret, quamvis vox è cœlo delapſa reve-
„ ra à Deo Patre manarit, ſermo tamen
„ propheticus certior eſt & firmior omni
„ ſcientia, omnique viſione & revelatio-
„ ne, quia falli ſenſus poſſunt, ſcriptura
„ ſacra non poteſt. Quia vero Sectarii ip-
„ ſam ſcripturam ad ſua dogmata com-
„ probanda perverſâ interpretatione de-
„ torquent, cavendum ſolicitè eſt, ne alio
„ ſenſu explicetur, quam qui illi tribuitur
„ ab Eccleſia, quæ, cum ſit columna & fir-
„ mamentum veritatis, auctoritatis ſuæ
„ pondere homines firmat, ne circumfe-
„ rantur omni vento doctrinæ, ſed verum
„ ſcripturę ſenſum à ſuppoſititio & adul-
„ terino diſcernant.

§. LXIX.

Regulis fidei adverſatur paradoxum, CHRISTO ſolummodo ſeveram juſtitiam tribuens, eique omnem miſericordiam eripiens.

HUcusque eruditiſſimus Cardinalis, ex cujus verbis Acatholici diſcere pote-

runt

runt, iſtes potius ituros Eccleſiæ gratiam, quam incurſuros offenſam, qui ad ſcripturas, ad Apoſtolicas traditiones, ad mores Eccleſiæ expendunt revelationes. Si quis revelationum auctoritate contenderet probare, *Chriſtum* vultus habi„tu ſevero & ſubirato accedentes ad ſe „repellere, *Mariam* verò à *Chriſto* repul„ſos blandiſſimè intueri, ſtudioſè juvare, „& excipere ſingulos. *Chriſtum* juſtitia „pręcinctum, ne ejus effluat miſericor„dia, velut alterum Joab baltheo ſuo aſ„perſiſſe ſanguinem, quo magis incenda„tur ad iram, & ne flectatur miſericordiâ; „*Mariam* autem, ſole, hoc eſt, miſeri„cordiâ amictam, bonis & malis ſuę be„nevolentiæ lumen effundere. Hæc inquam ſi quis revelationibus aſtruere conaretur, primo examinandum foret, num ſacrę paginæ non repręſentent *Chriſtum* ut diligentem peccatores. *Fidelis ſermo*, ait Paulus, *& omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum: ut in me primo oſtenderet* Chriſtus Jeſus *omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* 1 Timot: 1. 15.

Quid

Quid in his verbis non deſignat ſummam *Chriſti* miſericordiam erga peccatores? Epheſ. 5. 2. Nonne alia hęc *Pauli* verba: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis, Chriſti* ſpirant miſericordiam? Rom: 5. 8. Nonne *Paulus* dicens: *commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus*, Chriſtus *pro nobis mortuus eſt, Chriſti* nobis immenſam prædicat charitatem? Nonne ipſe *Chriſtus* ſeipſum dat nobis perfectiſſimę charitatis exemplar, dum dicit, Joan: 13. 34. *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*? Nonne *Chriſtus* ſe probat erga peccatores, miſericordem, dum accuſatus, quod illos reciperet, accuſatoribus reponit: *Non eſt opus valentibus medicus ſed malè habentibus. Euntes autem diſcite, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium*: Matt. 9. 13. *non enim veni vocare juſtos ſed peccatores*? Catholici his ſcripturis inſtructi norunt, non admittendas eſſe revelationes, quibus *Chriſtus* repręſentatur vultus habitu ſevero & ſubirato repellere peccatores, nec illorum moveri precibus, licet ejus nomen interpellent. Non ſolum ſcripturarum veritas ſimiles reprehendit

hendit revelationes; verum etiam ipſe mos Eccleſię eas arguit falſitatis. Nam Eccleſia his *Chriſti* verbis inſtructa: *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, omnes ferè orationes ſuas concludit hâc clauſulâ, *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* &c. Quid autem hæc clauſula, niſi invocatio Domini noſtri *Ieſu Chriſti*? Et quid hæc creberrima nominis *Ieſu* invocatio, niſi clariſſima teſtificatio ejus fidei, qua Eccleſia credit Chriſtum eſſe miſericordiſſimum? Eandem quoque Eccleſiæ fidem eximiè probat ille mos, quo *Chriſtum* Eccleſia pingit, non præcinctum ſevero juſtitiæ baltheo, ut cohibeat miſericordiæ viſcera; ſed capite, manibus, pedibusque perforatis & latere patulo, ut totus miſericordiam effundat & amorem. Ex his rectè concluſeris, eos iniquam Eccleſiæ litem indicere; qui eam vexant ob revelationes & allegorias, quas ipſa tum ſuarum precum formulis, tum ſuarum picturarum figuris perpetuo impugnat.

Joan: 16. 32.

§. L.

§. L.

Enormis calumnia eſt dicere, omnia ſcelera in Papatu cum devotione erga Deiparam poſſe conſiſtere.

Apolog: pro Maria lib. 2. cap. 15.

RIvetus, ut explodat fiduciam, qua credunt Catholici profuturum ſibi cultum impenſum virgini, ait, *cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in Papatu devotionem circa Deiparam.* Ut probet iſtud probrum, quas putas, adfert probationes? Fortè Conciliorum canones? Hiſtoriolas adfert ex *Sermonibus Diſcipuli*, quas *Thomas Morus* non minus eruditionis, quam Martyrii gloria clariſſimus, *res* vocat *per ſe ineptas.* Fortè Decretales ſummorum Pontificum? Narratiunculas ex *Pelbarto de Themeſwar* vix noto in Eccleſia. Fortè Theologię ſcholaſticæ, controverſiarum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ plures & graves Scriptores? Librum, cui nomen *Scala cœli*, & *Cæſarii Libros Miraculorum*, qui in Eccleſia Catholica tam exiguæ ſunt auctoritatis, ut puderet viros eruditos ab iſtorum auctoritate argumentari. Taliane *Rivete* audes adferre teſtimonia, ut probes, iſtud tuum, *notan-*

Epiſt: ad Martinum Dorpium.

tandum eſt enim cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in Papatu devotionem circa B. Mariam. Nonne, quo eminentior is, qui accuſatur, eo eminentior eſſe debet teſtium fides, qui contra eum producuntur? Et nihilominus contra Eccleſiam toto orbe diffuſam, Apoſtolica antiquitate venerabilem, nutricem Sanctorum, Gentium magiſtram, ut eam ſummi criminis ream *Rivetus* pronunciet; ſufficit ipſi auctoritas Scriptorum, qui ſine examinis gravitate, ſine teſtium fide, ſine probationum documentis quoſlibet vulgi rumores credunt ac referunt.

Refert *Pelbartus* mulierem in adulteriis pertinacem, laudari à Deipara per imaginem ſuam loquente, ac ſi offerret ſibi *Encenium gratiſſimum*, quia inter adulteria ſepties de die flexis genibus diceret *Ave Maria.* Refert *Albertus de Caſtello* mulierem, quæ infantem ex illegitimo ſuſceptum concubitu, ſtrangulaverat, è ſententia Judicis vivam terræ infoſſam, poſtquam aliquot horas in profunda foſſa ſepulta fuiſſet, clamaſſe *eruite me, eruite me: nam ego vivo.* Et cum inquireretur, cur adhuc viveret, reſpondiſſe ſe fuiſſe devotam virgini, nempe etſi ſcortaretur

Lib. 12. Stellarii Coron: B. M. part. ult. cap. 3.

& fructum ventris ſui necaret. Ex hujus farinæ teſtimoniis pronunciat *Rivetus* hancce ſententiam contra Eccleſiam omnium eminentiſſimam: *Notandum eſt enim cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in Papatu devotionem circa Deiparam.* Quanta temeritas! ob tam leves probationes, tam ſupinum ac deteſtabilem Eccleſiæ Catholicę aſcribere errorem, atque ille eſt, qui credit omnia ſcelera conſiſtere poſſe cum devotione circa B. *Mariam.*

L.2. Apol. pro S Maria c.15.

§. LI.

Potius nulla crimina in Papatu cum devotione erga Deiparam conſiſtere poſſe.

SI placuit *Riveto* tam infamem errorem Eccleſiæ Catholicæ tribuere ob hiſtoriolas, vel potius ob fabellas: quarum narratores *Beatrici* alicui impudicæ Moniali: Abbatiſſæ alicui ſeſe ad crapulam ingurgitanti, ſuoque famulo proſtituenti; addere potuiſſet *Rivetus*: furi ſæpè latrocinanti: latronum Principi: militi in criminibus mortuo: ſacerdoti ſacrilegè ſcortanti: *Stephano* Judici libenter munera accipienti, & multorum judicia ſubver-

vertenti, tres domos *S. Laurentii*, & hortum *S. Agnetis* violenter auferenti, & poſt mortem à Judice in locum *Judæ* proditoris damnato; hæc concedunt elogia, quod fuerint vel erga *Deiparam devoti*, *vel B. Mariam plurimum in devotione habuerint*, *vel gratiſſimum ei encenium obtulerint*, *vel valde illam dilexerint*. Si, inquam, placuit *Riveto*, quia iſtarum vel fabellarum vel hiſtoriolarum auctores impios & inſigniter ſceleſtos laudant à devotione & amore erga Deiparam, ideo Eccleſiæ Catholicæ tribuere errorem perniciosiſſimum, his ejus verbis expreſſum; *Notantandum eſt enim cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in Papatu devotionem circa B. Mariam*; cur non potius ipſi placuit, ob doctrinam in Catholicorum libris notiſſimis & maximæ auctoritatis expreſſam, annotare *nulla crimina in Papatu conſiſtere poſſe cum devotione erga B. Mariam.* Etenim ignorare non potuit, à *S. Thoma*, 2. 2. q. 72. a. 1. quem ſequuntur Theologi, devotionem, nempe erga Deum, definiri *voluntatem promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum*; atque adeo devotionem erga Deiparam ab illis non poſſe aliter definiri; quam *voluntatem promptè tra-*

dendi ſe ad ea, quæ ad Mariæ *cultum pertinent.* Quid autem magis ad *Mariæ* cultum pertinet, quam ut ejus mores tuis moribus exprimas? quam ut facias, quod ipſa maximè cupit? Et quid ipſa magis à nobis cupere poteſt, quam ut Dei nomen in nobis ſanctificetur? quam ut mandata ejus præcipuo ſtudio obſervemus? Quod ſi devotio erga *D*eiparam exigat, ut *D*ei mandata præcipuo ſtudio ſerves, quî fieri poterit, ut ſentiat Eccleſia Catholica *cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe devotionem circa Deiparam*?

Lib. 8. *de Civitat. Dei c.* 17. Eccleſia Catholica ſentit cum *S. Auguſtino*, quod *ſumma religionis ſit, imitari quem colis.* Quî ergo ſentire poteſt cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe devotionem circa Deiparam? An fortè devotio non pertinet ad religionem? ſed quî ad illam non pertineret, cum devotio ſit religionis actus interior, ſive fons & radix, ex qua fluat religio exterior.

§. LII.

§. LII.

Imitatio virtutum Virginis, ſine qua imitatione vera devotio eſſe non poteſt, excludit ſcelera.

UT *Auguſtinus* olim veriſſimè dixit: *Martyres honorare, & non imitari, nihil aliud eſt, quam mendaciter adulari:* ita perſuaſum eſt genuinis Eccleſiæ Catholicæ filiis, *Mariam* honorare, & non imitari, nihil aliud eſſe quam mendaciter adulari. A Catholicis ergo quam maxime alienum eſt illud *Riveti*: *notandum eſt enim cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in papatu devotionem circa Deiparam.* Summus Eccleſiæ Doctor inquirens, cur *Romani*, qui omnium gentium Deos credebant colendos, Deum non colerent Judæorum, propoſitam quęſtionem ſoluit ſententia *Socratis*: *Socratis* inquit, *ſententia eſt, unumquemq; Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendum eſſe præceperit. Proinde iſtis ſumma neceſſitas facta eſt non colendi Deum Hebræorum; quia ſi alio modo eum colere vellent; quam ſe colendum ipſe dixiſſet, non utique illum colerent, ſed quod ipſi finxiſſent. Si autem illo modo vellent,*

Serm. 30. inter eos quos edidit Sirmund.

Aug. lib. 1. de conſenſu Euang. iſt. cap. 18.

quo ipſe diceret, alios ſibi colendos non eſſe cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc reſpuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falſos offenderent: magis, arbitrantes, ſibi obfuturam fuiſſe iſtorum iracundiam, quam illius benevolentiam profuturam. Si hęc *Socratis* & *Auguſtini* ſententia transferatur à cultu Dei ad cultum matris ejus, conficietur, non coli Deiparam, ſed quoddam pro Deipara figmentum, ſi alio modo eam colere velis, quam quomodo ipſa prçceperit. Quomodo autem ipſa ſe coli præcipit? eadem ratione, qua
Hebr.13.7. *Paulus* ſe prçcipit coli, dum dicit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Eadem ratione, qua *Paulus* vult coli demortuos Eccleſiæ Præpoſitos, dum prçcipit: *mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis imitamini fidem.*
1 Timot.4. 12. Eadem ratione, qua *Paulus Timotheo*, ut cultum ſibi acquirat, prçcipit: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Hâc ratione vult coli Deipara. Hunc cultum, quo eam fideles obſervant tanquam *exemplum in verbo, in converſatione, in charitate, in*

fide,

fide, *in caſtitate*, gratum habet. Hunc cultum Eccleſia ſuis filiis commendat & prædicat. Hic cultus cum nullis conſiſtit ſceleribus. Nam ſi Deiparam fideles habeant ut *exemplum in verbo*, ſuis verbis non ſe, ſed Dominum magnificabunt; nec de aliorum vitiis, ſed de divinis laudibus invicem loquentur. Si eam *exemplar* habeant *in converſatione*, erunt ſeceſſus amantes; cum verecundia & ſobrietate ornabunt ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis; nihil in ſe ipſis pluris facient, quam Dei ſervitutem; & ex nulla re ſe æſtimabunt felices, quam ex caſto Domini timore. Si eam *exemplar* habeant *in charitate*, erunt mundo mortui ut vivant Deo; non volent in mundo videri ſublimes, ut in Domino laudetur anima eorum; proſperis non inflabuntur, nec frangentur adverſis: ſtabunt juxta crucem animo erecto, & in gloria ſe Domino ſubdent famulos & ancillas. Si eam habeant *exemplar in fide*, turbabuntur in ſermone *Pelbarti*, & cogitabunt, qualis eſt iſta narratio, qua refert latronis abſciſſum caput clamaſſe: *confeſſionem, confeſſionem*: & militis in bello cœſi putrefactum cadaver poſt mul-

Lib. 12. ſtellar. coron. B. Mariæ part. 2. art. 1.

tos annos flebili voce poſtulaſſe copiam ſacerdotis: atque etiam quemdam alium peccatis mortalibus gravatum, & tribus diebus *Danubii* aquis abſorptum, tandem ex illis emergentem ad pœnitentię tribunal acceſſiſſe: atque hos tres ob quędam devotionis officia Deiparę impenſa, cum à criminibus minimè recederent, peccatorum facta exomologeſi, abſolutionis beneficio fuiſſe donatos. Magis vero cogitabunt, qualis eſt iſta promiſſio, qua *Pelbartus* poſt iſta exempla, vel potius figmenta ſtupendis prodigiis incruſtata, ſermonem ſuum concludit, dicens: *patet ergo, quoniam, qui B. Mariæ ſervit; ſaltem in morte ad pœnitentiam & confeſſionem dabitur ei gratia; ac damnationem evadendo, perveniet ad regna cœleſtia.* Ille, cui *Maria* eſt *exemplar in fide*, cogitat: qualis eſt illa *Pelbarti* promiſſio? expendet an ſit conſona verbo Dei, qui dicit: *Ego vero in interitu veſtro ridebo*: an cohęreat cum doctrina ſanctorum Patrum, qui dicunt: *quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatis-factionis operari poteſt? & ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: quæ à moriente tantum petitur, timeo, ne & ipſa moriatur*

Auguſt. ſerm. 57. de temp.

riatur. Et ideo, dilectiſſimi, quicumque vult invenire miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ſi ſanus eſſe vult in futuro ſæculo. Tandem expendet: an *Pelbarti* aſſertio conveniat cum moribus Eccleſiæ, quę eos, qui in morbo pœnitebant, quidem abſolvebat, ſed illorum pœnitentiæ tam parum fidebat, ut eos ſuperviventes voluerit ſtare in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem reciperent; perinde ac ſi in morbo eam non recepiſſent.

Vide primum Concil. Aran. can. 3. & Concil. Carthag. 4. can. 78.

§. LIII.

Maria *exemplar caſtitatis Virginalis, conjugalis & vidualis.*

Si *Mariam* habeant *exemplar in caſtitate* Virginali, cogitabunt Virginitatem non eſſe honorandam, quia Virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, & quia in carne corruptibili incorruptionem perpetuam meditatur; nec ſe credent felices, quia voverunt caſtitatem, ſed quia datam Deo fidem ſervaverunt, non aperti dedecoris timore, ſed præclari propoſiti amore. Si *Mariam* habeant *exemplar*

in caſtitate conjugali, quęrent prolem, non libidinem; quęſitos conjugii fructus non mundo ſed cœlo ſacrabunt. Si *Mariam* habeant *exemplar in caſtitate viduali*, deſolati vel deſolatæ ſperabunt in Deum; inſtabunt obſecrationibus & orationibus nocte ac die; & delicias corporis animæ ſuæ mortem reputabunt; &, ſi habeant filios aut nepotes, regent eos, quemadmodum ipſi vel ipſæ reguntur à Domino. Ex hocce cultu *Mariæ*, quem commendat Eccleſia, conficitur, quam longè abſit, ut credere poſſet, cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe devotionem erga Deiparam.

§. LIV.

Recipit Eccleſia cultum MARIÆ, *quia illum recipiens, ſibi à* MARIA *videt impoſitam neceſſitatem recedendi ab omnibus ſceleribus.*

RESpuebant *Romani* cultum veri Dei, quia, ſi alio modo eum colere vellent, quam ſe colendum ipſe dixiſſet, non utique illum colerent, ſed quod ipſi finxiſſent: ſi autem illo modo vellent, quo ipſe diceret, alios ſibi colendos non eſſe

cer-

cernebant, quos ille coli prohibebat: ac per hoc reſpuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falſos offenderent.

Recipit Eccleſia Catholica cultum Deiparæ, quia, eo recepto, videt ſibi majorem factam neceſſitatem non colendi ſive patrandi crimina; quia ſi alio modo eam Catholici colere vellent, quam ſe colendam ipſa dixiſſet, non utique ipſam colerent, ſed quod ipſi finxiſſent. Si autem illo modo vellent, quo ipſa diceret, crimina ſibi colenda aut frequentanda non eſſe diſcernunt, quæ ipſa omnia deteſtatur. Ac per hoc recipiunt *Mariæ* cultum, ut omnia crimina offendant & expellant; arbitrantes ſibi *Mariæ* patrocinium magis profuturum, quam temporalis peccati habere jucunditatem.

Dum dico cultum Virginis, vel devotionem erga Deiparam, non poſſe cum ſceleribus conſiſtere, illud non eo ſenſu à me dictum eſt, quod arbitrer criminibus implicitos non poſſe quicquam efficere, quod ſit Deo aut Deiparæ gratum ac placitum. Nam Deo gratas exiſtimo illas omnes affectiones, eaque pœnitentiæ opera, quibus peccatores moventur adverſus peccata, & à Deo moti ejus gra-

tiam

tiam tum cordis gemitibus, tum eleëmoſynarum diſtributione, tum corporis cruciatu ſatagunt obtinere. Verum iſtud ideo à me dictum, quia cum Eccleſia Catholica credo nihil profutura ſive jejunia, ſive eleëmoſynas, ſive preces, quæ ab illis funduntur, qui ea exercent, non ut à peccatis recedant, ſed ut illis mercentur peccandi impunitatem.

§. LV.

Damnantur à SS. *Patribus, qui bonis operibus quærunt peccandi impunitatem.*

POrro tum ad *Riveto* credulis perſuadendum, falſiſſimum eſſe illud ejus, *notandum eſt enim cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in Papatu devotionem, circa Deiparam*: tum ad Catholicos excitandos ut non partem legis, ſed legem integram obſervent; & ne ſe credant in Dei gratia morituros, licet per totam vitam in ſceleribus vivant, modo Deiparæ externum aliquod officiolum impenderint, proderit hic referre, quæ ſancti Patres ſcripſêre contra illos, qui decepti quibusdam ſcripturæ locis, in quibus dicitur eleëmoſyna extinguere peccatum, liberare à morte,

Deum

Deum promereri, & miſericordiam obtinere, ita eleëmoſynas frequentabant, ut ſe illarum præſidio contra iram Dei arbitrarentur ſecuros, quantumvis criminibus inſordeſcerent.

Contra iſtam perſuaſionem ſcripſit *Auguſtinus* nonnulla in *libro de fide & operibus*. Eandem etiam impugnat *in Enchiridio*, ubi ait. „Sanè qui ſceleratiſſimè „vivunt, nec curant talem vitam mores„que corrigere, & inter ipſa facinora & „flagitia ſua eleëmoſynas frequentare „non ceſſant, fruſtra ſibi ideo blandiun„tur, quoniam Dominus ait, *date elee„moſynam, & ecce omnia munda ſunt vo„bis.* Hoc enim quam latè pateat, non „intelligunt. Sed ut intelligant, atten„dant, quibus dixerit. Nempe in Evan„gelio ſic ſcriptum eſt: cum loqueretur, „rogavit illum quidam Phariſæus ut pran„deret apud ſe, & ingreſſus recubuit. „Phariſęus autem cœpit intra ſe reputans „dicere, quare non baptizatus eſſet ante „prandium? & ait Dominus ad illum. „*Nunc vos Phariſæi quod deforis eſt calicis „& catini mundatis, quod autem intus eſt „veſtrum, plenum eſt rapina & iniquita„te. Stulti, nonne, qui fecit id, quod fo-*

Cap. 75, 76, 77.

Luc. 11.

„*ris*

„ *ris eſt, etiam id, quod intus eſt, fecit? ve-*
„ *rumtamen quod ſupereſt, date eleemoſy-*
„ *nam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*
„ Itane hoc intellecturi ſumus, ut Phari-
„ ſæis non habentibus fidem *Chriſti*, etiam
„ ſi non in eum crediderint, nec renati
„ fuerint ex aqua & Spiritu Sancto, mun-
„ da ſint omnia, tantum ſi eleemoſynas
„ dederint, ſicut iſti eas dandas putant:
„ cum ſint immundi omnes, quos non
Actor: 15. „ mundat fides *Chriſti*, de qua ſcriptum
„ eſt, *mundans fide corda eorum*: & dicat
ad Titum 1. „ Apoſtolus, *immundis autem & infideli-*
„ *bus nihil eſt mundum, ſed polluta ſunt eo-*
„ *rum & mens & conſcientia.* Quomodo
„ ergo Phariſæis omnia munda eſſent, ſi
„ eleëmoſynas darent, & fideles non eſ-
„ ſent? aut quomodo fideles eſſent, ſi in
„ *Chriſtum* credere atque in ejus renaſci
„ gratia noluiſſent? & tamen verum eſt,
„ quod audierant? *date eleemoſynam, &*
„ *ecce omnia munda ſunt vobis.*

„ Qui autem vult eleemoſynam ordi-
„ nate dare, à ſeipſo debet incipere, &
„ eam ſibi primum dare. Eſt enim eleë-
„ moſyna opus miſericordiæ, veriſſime-
Eccl: 30. 24. „ que dictum eſt: *miſerere animæ tuæ pla-*
„ *cens Deo.* Propter hoc renaſcimur, ut
„ Deo

„ Deo placeàmus, cui merito diſplicèt,
„ quod naſcendo contraximus. Hæc eſt
„ prima eleemoſyna, quam nobis dedi-
„ mus, quoniam nos ipſos miſeros per
„ miſerantis Dei miſericordiam requiſi-
„ vimus, juſtum judicium ejus confiten-
„ tes, quo miſeri effecti ſumus, de quo
„ dicit Apoſtolus: *Judicium quidem ex* Rom: 5.
„ *uno in condemnationem*; & magnæ cha-
„ ritati ejus gratiam agentes, de qua idem
„ ipſe dicit gratiæ prædicator: *commendat*
„ *autem ſuam dilectionem Deus in nobis*,
„ *quoniam, cum adhuc peccatores eſſemus*,
„ Chriſtus *pro nobis mortuus eſt*, ut & nos
„ veraciter de noſtra miſeria judicantes,
„ & Dei charitatem, quam donavit ipſe,
„ diligentes, pie recteque vivamus. Quod
„ judicium & charitatem Dei cum Phari-
„ ſæi præterirent, decimabant tamen
„ præter eleëmoſynas, quas faciebant, e-
„ tiam quæcumque minutiſſima fructuum
„ ſuorum: & ideo non dabant eleemoſy-
„ nam à ſeipſis incipientes, ſecumque
„ prius miſericordiam facientes, ſicut iſti
„ eas dandas putant. Propter quem di-
„ lectionis ordinem dictum eſt, *diligès*
„ *proximum tuum, ſicut te ipſum*. Cum er-
„ go increpaſſet eos, quod forinſecus ſe
„ lava-

„ lavabant, intus autem rapinâ & iniqui-
„ tate pleni eſſent, admonens quandam
„ eleëmoſynam, quam ſibi homo primi-
„ tus debet dare, & interiora mundare,
„ *verumtamen*, inquit, *quod ſupereſt*, *da-*
„ *te eleemoſynam*, & *ecce omnia munda*
„ *ſunt vobis*. Deinde, ut oſtenderet, quid
„ admonuiſſet, & quid ipſi facere non cu-
„ rarent, ne illum putarent eleemoſynas
„ eorum ignorare, ſed *væ vobis*, inquit,
„ *Phariſæis*: tanquam diceret: ego qui-
„ dem commonui vos ad eleemoſynam
„ dandam, per quam vobis omnia mun-
„ da ſint; ſed væ vobis, qui decimatis
„ mentham, & rutam, & omne olus:
„ has enim novi eleemoſynas veſtras, ne
„ de illis me vos nunc admonuiſſe arbi-
„ tremini: & præteritis judicium & cha-
„ ritatem Dei, qua eleemoſyna poſſetis ab
„ omni inquinamento interiori mundari,
„ & vobis munda eſſent & corpora, quæ
„ lavatis, hoc eſt enim omnia, & inte-
Luc: 12. „ riora ſcilicet & exteriora: ſicut alibi le-
„ gitur, *mundate quæ intus ſunt*, & *quæ*
„ *foris ſunt munda erunt*. Sed ne iſtas elee-
„ moſynas, quæ fiunt de fructibus terræ,
„ reſpuiſſe videretur, hæc inquit, *opor-*
„ *tuit facere*, id eſt, judicium & charitatem
„ Dei,

„ Dei, *& illa non omittere*, id eſt, elee-
„ moſynas fructuum terrenorum.

„ Non ergo ſe fallant, qui per elee-
„ moſynas quaſlibet largiſſimas fructuum
„ ſuorum vel cujuſque pecuniæ, impuni-
„ tatem ſe emere exiſtimant, in facino-
„ rum immanitate ac flagitiorum nequitia
„ permanendo. Non ſolum enim hoc fa-
„ ciunt, ſed ita diligunt, ut in eis ſem-
„ per optent tantum, ſi poſſint, impunè
„ verſari. *Qui autem diligit iniquitatem*, Pſal: 10.
„ *odit animam ſuam*: & qui odit animam
„ ſuam, non eſt miſericors, ſed crude-
„ lis. Diligendo eam quippe ſecundùm
„ ſæculum, odit eam ſecundum Deum.
„ Si ergo vellet ei dare eleemoſynam, per
„ quam munda illi eſſent omnia, odiſſet
„ eam ſecundum ſæculum, & diligeret
„ eam ſecundum Deum. Nemo autem
„ dat eleemoſynam quamlibet, niſi, un-
„ de det, ab illo accipiat, qui non eget,
„ & ideo dictum eſt, *Miſericordia ejus* Pſal: 58.
„ *præveniet me*.

Hâc *Auguſtini* doctrinâ inſtructi Catholici credunt illos fruſtra externis quibuſdam officiolis colere Deiparam, qui illis impunitatem ſe emere exiſtimant, in facinorum immanitate ac flagitiorum ne-

quitia permanentes? Hac doctrina inſtructi credunt apud illos, qui in latrociniis ad mortem perſeverant, ut ille *Pelbarti* Princeps latronum, aut *Stephanus* judex juſtitiam vendens, & ſacrilegis furtis *S. Laurentii* tres domos, & *S. Agnetis* hortum violenter auferens, tam nihil eſſe verę devotionis ergaDeiparam,quam nihil eſt verę miſericordiæ penes illos, qui eleemoſynas diſtribuunt, & in facinorum nequitia perſeverant, & hæc ita diligunt, ut in eis ſemper optent, tantum ſi poſſint, impunè verſari.

§. LVI.

Iuxta Divum Paulinum nulli ſpes ſalutis, niſi qui ſtudet ab omnibus criminibus recedere.

SAnctus Paulinus *Auguſtino* coætaneus & intima amicitia junctus, in *Epiſtola ad Celantiam*, non minus elegantur quam fortiter docet, non ſola fidei confeſſione ſed fide, cui opera juſtitiæ juncta ſint, nos cæleſtis pręmii magnitudinem promereri; neque etiam ſufficere ad ſalutem

ſi

ſi vel declinemus à malo nec faciamus bonum, vel faciamus bonum nec declinemus à malo. Deinde docet non Virginem, non viduam, non nuptas à Dei imperio ſive mandato liberas eſſe; inter Chriſtianum & Gentilem (adde inter Catholicum & Acatholicum) non fidem tantum, ſed & vitam debere diſtinguere, & diverſam religionem per diverſa opera eſſe monſtrandam. Tandem ait anguſtam viam, ſi velimus ad vitam pervenire, eſſe ineundam; non attendendum eſſe, quod faciant multi, ſed quod fecerit *Chriſtus*. Solis autem illis qui ambulant per anguſtam viam, dat ſpem ſalutis.

Referamus *Paulini* verba, ut Eccleſiam vindicemus à *Riveti* injuria, & oſtendamus, quam illa longe ſit ab ea perſuaſione, *quæ omnia ſcelera dicit conſiſtere poſſe in Papatu cum devotione erga Deiparam*, & quam non credat *Pelbarto* promittenti: *Patet ergo quoniam, qui Beatæ Mariæ ſervit*, nempe ſicut illi ſervierant Princeps Latronum, miles in peccatis damnabilibus putrefactus, & homo abſorptus undis Danubii, *ſaltem in morte ad pœnitentiam & confeſſionem faciendam dabitur gratia, ac damnationem evadendo*

A a 2 *per-*

perveniet ad regna cœleſtia. „ Ipſe itaque, „ inquit *Paulinus*, te informet, ipſe te doceat (non, neſcio quis *Anſelmus in Libro Miraculorum*, non liber qui intitulatur *Scala cœli*) „ Qui interroganti in „ Evangelio adoleſcenti, quid faceret, „ ut mereretur vitam æternam; divina „ continuò mandata proponit, oſtendens „ nobis ejus voluntatem eſſe faciendam, „ à quo ſperamus & pręmia: propter „ quod alio teſtatur loco: *Non omnis*, „ *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe* „ *intrabit in regnum cœlorum.* Quo manifeſtè illud oſtenditur, nos non ſola Dei „ confeſſione tanti præmii magnitudinem „ promereri, niſi fidei & juſtitiæ opera „ conjuncta ſint. Qualis enim eſt illa confeſſio, quæ ſic Deo credit, ut pro nihilo „ ejus ducat imperium? aut quomodo ex „ animo verè dicimus, Domine, Domine; „ ſi ejus, quem Dominum confitemur, „ pręcepta contemnimus? Unde ipſe in „ Evangelio dicit: *Quid autem vocatis me*, „ *Domine, Domine; & non facitis quæ dico?* Et iterum: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Et rur-

Epiſt. 50. ad Celantiam.

Matth. 7. 21.

Luc. 6. 46.

Matt. 15. 8.

Malach: 1. 6.

„ rurſum loquitur per Prophetam: *Filius*
„ *honorificat Patrem, & ſervus Dominum*
„ *ſuum timet. Et ſi Pater ego ſum, ubi eſt*
honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi
„ *eſt timor meus?* ex quo apparet, nec ho-
„ norari ab eis Dominum nec timeri, qui
„ ejus pręcepta non faciunt. Unde ad
„ *David* expreſſius dicitur, qui peccatum
„ admiſerat: *& pro nihilo duxiſti Deum.*
„ Et ad *Heli* fit ſermo Domini: *qui hono-* 2.Reg.12.
„ *rificat me, honorificabo eum; qui autem* 9.
„ *pro nihilo me habent, ad nihilum redigen-* 1 Reg.2.
tur. Et nos ſecuro & bono animo ſu- 30.
„ mus, qui per ſingula quæque præcepta,
„ inhonorantes Deum clementiſſimum,
„ ad iracundiam provocamus; ejuſque
„ imperium ſuperbiſſimè contemnendo,
„ in tantę Majeſtatis imus injuriam? Quid
„ enim unquam tam ſuperbum, quid ve-
„ rò tam ingratum videri poteſt, quam
adverſus ejus vivere voluntatem, à quo
„ ipſum vivere acceperis? quam illius
„ præcepta deſpicere, qui ideo aliquid
„ imperat, ut cauſas habeat remuneran-
„ di? neque enim obſequii noſtri Deus
„ indiget, ſed nos illius indigemus im-
„ perio. *Mandata ejus deſiderabilia ſuper* Pſal. 18.
„ *aurum & lapidem pretioſum multum, &* 11.

 dul-

„ *dulciora ſuper mel & favum; quoniam*
„ *in cuſtodiendis illis retributio multa.* Et
„ ideo nobis iraſcitur, idcirco magis illa
„ immenſa *D*ei bonitas offenditur, quia
„ eam per tanti etiam præmii detrimenta
„ contemnimus: nec ſolum imperata, ſed
„ etiam promiſſa illius pro nihilo duci-
„ mus. Unde ſæpè, imo ſemper illa no-
Matt: 19. 17. „ bis *D*omini revolvenda ſententia: *ſi vis*
„ *ad vitam venire, ſerva mandata.* Hoc
„ enim tota nobiſcum lege agitur: hoc
„ Prophetæ, hoc Apoſtoli docent; hoc
„ à nobis & vox *Chriſti* & ſanguis efflagi-
„ tat, qui ideo pro omnibus mortuus eſt,
Gal: 2. 19. „ *ut, qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed*
„ *ei, qui pro illis mortuus eſt.* Vivere au-
„ tem illi, non eſt aliud, quam ejus præ-
„ cepta ſervare, quę nobis ille, quaſi cer-
„ tum quoddam dilectionis ſuę pignus,
Joan: 14. 15. „ ſervanda mandavit. *Si diligitis*, inquit,
„ *me, mandata mea ſervate*, Et, *qui ha-*
„ *bet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt*
„ *qui diligit me.* Ac rurſus: *ſi quis diligit*
„ *me, ſermonem meum ſervabit; & Pater*
„ *meus diligit eum, & ad eum veniemus,*
„ *& manſionem apud eum faciemus. Qui*
„ *non diligit me, ſermones meos non ſervat.*
„ Grandem vim obtinet vera dilectio. Et
qui

„ qui perfectè amatur, totam ſibi amantis vindicat voluntatem. Nihil eſt imperioſius charitate. Nos, ſi verè *Christum* diligimus, ſi ejus nos redemptos ſanguine recordamur; nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoſcimus. *Duo* autem ſunt genera mandatorum, in quibus clauditur tota juſtitia: prohibendi unum eſt, jubendi alterum. Ut enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otium imperatur, hîc ſtudium; ibi coërcetur animus, hîc incitatur; hîc feciſſe, illic non feciſſe, culpabile eſt: unde & Propheta dicit: *quis eſt homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Probibe linguam tuam à malo, & fac bonum.* Et beatus Apoſtolus: *odientes malum, adhærentes bono.* Hoc itaque duplex diverſumque præceptum, prohibendi ſcilicet & imperandi, ęquo omnibus jure mandatum eſt. Non Virgo, non vidua, non nupta, ab hoc imperio libera eſt. In quovis propoſito, in quovis gradu, æquale peccatum eſt, vel prohibita admittere, vel juſſa non facere. Neque vero eorum te ſeducat error, qui ex arbitrio

Pſal: 33: 13.

Rom: 12: 9.

„ ſuo éligunt, quæ potiſſimum *D*ei mandata faciant, quæve quaſi vilia ac parva deſpiciant: nec metuunt, ne ſecundum divinam ſententiam, minima contemnendo, paulatim decidant. Stoicorum quidem eſt, peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria judicare, nec ullum inter ſcelus & erratum diſcrimen facere. Nos vero, & ſi multum inter peccata diſtare credimus, quia & legimus: tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cavere. Tanto enim facilius abſtinemus à quocumque delicto, quanto illud magis metuimus. Nec cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Et ſane neſcio, an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat, quod juſſum ſit, quam illum qui juſſerit; nec quantitatem imperii, ſed imperantis cogitat dignitatem. Ædificanti itaque tibi ſpiritualem domum, non ſuper levitatem arenæ, ſed ſuper ſoliditatem petrę, innocentiæ imprimis fundamentum ponatur, ſuper quod facilius poſſis arduum culmen juſtitiæ erigere.

„ rigere. Maximam enim partem æquitatis implevit, qui nulli nocuit: beatusque eſt, qui poteſt cum S. Job dicere: *nulli nocui hominum, juſte vixi cum omnibus.* Unde audenter & ſimpliciter loquebatur ad Dominum: *quis eſt ille qui judicetur mecum?* ideſt, quis tuum adverſum me poteſt implorare judicium, ut ſe læſum à me convincat? puriſſimæque conſcientiæ eſt, ſecurè canere cum Propheta: *perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ.* Unde idem alibi dicit: *Non fraudavit eos Deus bonis, qui ambulant in innocentia.* Itaque malitiam, odium, atque invidiam, quæ vel maxima, vel ſola ſemina ſunt nocendi, Chriſtiana à ſe propellat anima: neque manu tantum aut lingua, ſed corde quoque cuſtodiat innocentiam: nec opere modò, ſed voto etiam nocere formidet. Quantum enim ad peccati rationem pertinet, nocuit & qui nocere diſpoſuit, Multi nomen illud abſolutè atque integrè definiunt, *innocentem*, qui ne in eo quidem ulli noceat, quo prodeſſe deſiſtat: quod ſi eſt verum, tum demum lætare de innocentiæ conſcientia, ſi, cum po-

Cap. 27. v. 6.

Job 13. 19

Pſal: 100. 2.

Pſal: 83. 13.

„tes, adjuvare non deſinas. Si vero di-
„viſa inter ſe iſta atque diſtincta ſunt;ali-
„udque eſt, non nocere; quod ſem-
„per potes; aliud prodeſſe, cum poſſis;
„aliud malum non facere, aliud operari
„bonum: illud tibi rurſum occurrat, non
„ſufficere Chriſtiano, ſi partem unam ju-
„ſtitiæ impleat, cui utrumque præcipitur.
„Neque enim debemus ad multitudinis
„exempla reſpicere, quæ nullam morum
„diſciplinam ſequens, nullum vivendi
„tenens ordinem, non tam ratione du-
„citur, quam quodam impetu fertur.
„Nec imitandi nobis illi ſunt, qui ſub
„Chriſtiano nomine gentilem vitam a-
„gunt, & aliud profeſſione aliud con-
„verſatione teſtantur; atque, ut Apo-
Tit. 1. 16. „ſtolus ait, *Deum confitentur ſe noſſe, fa-*
„*ctis autem negant.* Inter Chriſtianum &
„Gentilem non fides tantum debet, ſed
„etiam vita diſtinguere, & diverſam Re-
2 Cor. 6. v. 14. „ligionem per diverſa opera monſtrare.
„*Nolite*, ait Apoſtolus, *jugum ducere*
„*cum infidelibus: quæ enim participatio ju-*
„*ſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lu-*
„*cis ad tenebras? quæ autem conventio Chri-*
„*ſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum in-*
„*fideli? qui autem conſenſus templo Dei cum*
„*idolis?*

„ *idolis?* ſit ergo inter nos & illos maxima „ ſeparatio. Diſiungitur certo diſcrimine „ error & veritas. Illi terrena ſapiant, „ qui cœleſtia promiſſa non habent: illi „ brevi huic vitæ ſe totos implicent, qui „ æterna neſciunt: illi peccare non metuant, qui peccatorum impunitatem putant: illi ſerviant vitiis, qui non ſperant „ futura prœmia virtutum. Nos vero, qui „ puriſſima confitemur fide, *omnem hominem manifeſtandum eſſe ante Tribunal* 2 Cor. 5. 10. „ *Chriſti, ut recipiat unusquisque propria* „ *corporis ſui, prout geſſit, ſive bonum ſive* „ *malum*; procul eſſe debemus à vitiis, Gal. 5. 24. „ dicente Apoſtolo: *qui enim Chriſti ſunt,* „ *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis &* „ *concupiſcentiis.* Nec turbam ſequantur „ errantem, qui ſe veritatis diſcipulos „ confitentur. Duas certè converſationis „ vias, & diſtincta in diverſum itinera vivendi Salvator in Evangelio oſtendit: Matth. 7. 13. & 14. „ *quam*, inquit, *ſpatioſa via, quæ ducit* „ *ad mortem! & multi ſunt, qui intrant* „ *per eam.* & rurſum: *quam arcta via &* „ *anguſta eſt quæ ducit ad vitam! & pauci* „ *ſunt qui inveniunt eam.* Vide, quanta „ inter has vias ſeparatio ſit, quantumque „ diſcrimen. Illa *ad mortem,* hæc tendit *ad* „ *vitam.*

„ *vitam*: illa celebratur & teritur *à multis*,
„ hæc vix invenitur *à paucis*: illa enim vi-
„ tiis per conſuetudinem, quaſi declivior
„ ac mollior, & velut quibusdam amæna
„ floribus voluptatum, facile ad ſe rapit
„ commeantium multitudinem; hæc ve-
„ ro, inſueto calle virtutum, triſtior at-
„ que horridior, ab his tantum eligitur,
„ quibus non tam *delectatio itineris* cordi
„ eſt, quàm *utilitas manſionis*. Aſperam
„ enim nobis & inſuavem virtutum viam
„ nimia facit vitiorum conſuetudo; quæ
„ ſi in partem alteram transferatur, *inve-*
Prov.4.28. „ *venietur* (ſicut Scriptura dicit) *ſemita*
„ *juſtitiæ levis*. Ponamus ergo jam ratio-
„ nem vitæ noſtræ; & per quam potiſſi-
„ mum gradiamur viam, conſcientia te-
„ ſte diſcamus. Omne enim quod agimus,
„ omne quod loquimur, aut de lata aut
„ de anguſta via eſt. Si cum *paucis* angu-
„ ſtum iter, & ſubtilem quamdam ſemi-
„ tam invenimus, *ad vitam* tendimus: ſi
„ vero *multorum* comitamur viam, ſecun-
„ dum Domini ſententiam, imus *ad mor-*
„ *tem*. Si ergo odio atque invidia poſſi-
„ demur; ſi cupiditati & avaritiæ cedi-
„ mus; ſi præſentia commoda futuris præ-
„ ferimus; per ſpatioſam viam incedi-
„ mus

„ mus : habemus enim ad hæc comitum
„ multitudinem ; & latè ſimilium ſtipa-
„ mur agminibus. Si iracundiam libi-
„ dinemque explere volumus ; ſi inju-
„ riam vindicare ; ſi maledicenti remale-
„ dicimus ; & adverſum inimicum ini-
„ mico animo ſumus ; æquè cum pluri-
„ bus ferimur. Si vel adulamur ipſi , vel
„ adulantem libenter audimus ; ſi ve-
„ rum dicere gratia impedimur ; & ma-
„ gis offendere animos hominum time-
„ mus , quam non ex animo loqui ; de
„ multorum item via ſumus. Tot noſtri
„ ſunt ſocii , quot extranei veritatis. At
„ è contrario , ſi ab his omnibus vitiis ſu-
„ mus extranei , ſi purum ac liberum ani-
„ mum præſtamus , & omni cupiditate
„ calcata , ſolis ſtudemus divites eſſe vir-
„ tutibus ; per *anguſtam viam* nitimur :
„ converſatio enim iſta paucorum eſt :
„ eſtque perrarum atque difficile , ido-
„ neos hujus itineris comites reperire :
„ quin etiam multi hâc ire ſe ſimulant , &
„ per diverſa errorum diverticula ad viam
„ multitudinis revertuntur ; ideoque ti-
„ mendum eſt , ne , quos duces recti hu-
„ jus itineris habere nos credimus , eos
„ comites habeamus erroris. Si igitur in-

„ ve-

„ veniuntur exempla, quæ nos per hanc
„ ducant viam, & rectum Evangelii tra-
„ mitem teneant, ſequenda ſunt: ſin verò
„ ea vel deficiunt, vel deficere putantur,
„ Apoſtolorum forma univerſis propoſita
Phil. 3. 17. „ eſt. Clamat *vas electionis Paulus*, noſque
„ quaſi ad anguſtum hoc iter convocans,
„ dicit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego*
„ *Christi.* Certè, quod eſt amplius om-
„ nibus, ipſius Domini relucet exem-
Matt. 11. 28. „ plum, qui in Evangelio ait: *Venite ad*
„ *me omnes, qui laboratis & onerati estis,*
„ *& ego reficiam vos. Tollite jugum meum*
„ *ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis*
„ *ſum & humilis corde.* Si periculoſum
„ eſt imitari illos, de quibus dubitas an
„ imitandi ſint: hunc certè imitari tutiſſi-
„ mum eſt, atque ejus veſtigia ſequi, qui
Joan. 14. 6. „ dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.*
„ Nunquam enim errat, qui ſequitur
1. Joan: 2. 6. „ veritatem, unde & Apoſtolus *Joan-*
„ *nes* ait: *Qui dicit ſe in Chriſto manere,*
„ *debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe am-*
1. Pet: 2. 21. „ *bulare.* Et B. *Petrus* ait: *Christus pro no-*
„ *bis paſſus eſt, vobis relinquens exem-*
„ *plum, ut ſequamini veſtigia ejus: qui pec-*
„ *catum non fecit, nec eſt inventus dolus in*
„ *ore ejus: qui cum malediceretur, non ma-*
„ *ledi-*

„ *ledicebat: cum pateretur, non commina-*
„ *batur: tradebat autem judicanti ſe iniu-*
„ *ſtè. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in*
„ *corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mor-*
„ *tui, juſtitiæ vivamus.* Ceſſet omnis ex-
„ cuſatio errorum, auferantur peccandi
„ fœda ſolatia. Nihil omnino agimus,
„ qui nos per multitudinis exempla de-
„ fendimus; & ad conſolationem no-
„ ſtram aliena ſæpe numerantes vitia, de-
„ eſſe nobis dicimus, quos debeamus
„ ſequi. Ad illius exemplum mittimur,
„ quem omnes fatemur imitandum. At-
„ que ideo præcipua tibi cura ſit, legem
„ noſſe divinam, per quam poſſis quaſi
„ præſentia cernere exempla Sanctorum,
„ quid faciendum ſit, quidve vitandum,
„ illius conſilio diſcere.

§. LVII.

Non quibuſlibet Miracula narrantibus credendum; præſertim ſi referantur in confirmationem dogmatum fidei contrariorum.

HIs ſcripturarum oraculis per *Paulinum* congeſtis potius credunt Catholici, quam mulieri, quæ principi latro-

num

Pelbart. in Stel. l. 12. p. 1. art. 1. num dicit, quod audiverit *à quodam ſancto Prædicante, quod, quicumque jejunat ob devotionem B. Mariæ in Sabbathis, merebitur confeſſionem facere in articulo mortis, & non decedet ſine gratia veræ pœnitentiæ, atque damnationem evadet.* Et quamvis iſtius Prædicantis promiſſio ſtupendis miraculis narretur confirmata, iſtam tamen promiſſionem credunt Catholici, Serpentis promiſſioni, *nequaquam morte moriemini; ſed eritis ſicut Dii,* Gen. 3. eſſe perſimilem. Judicant enim ab iſto Prædicante promitti, quod non promiſit Deus, qui omnibus ambulantibus *in via ſpatioſa* minatur *mortem*, & ſolis gradientibus *in via anguſta* pollicetur *vitam*: qui volentibus *vitam* & *dies videre bonos*, hanc fixit legem, *declina à malo & fac* Pſal. 36. 27 *bonum*; & qui jejunantibus & à peccato non recedentibus iratus dicit: *Ecce in die* Iſaiæ. 58. 3. *jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie. Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter.*

An putat fortè *Rivetus* Catholicos adeo inſulſos, ut credant Deum jeju-

nium illius, qui rigidius ſua repetit; faſtidire, & gratum habere ejus jejunium, qui aliena rapit violenter? ejus offendi jejunio, qui jejunans ſua in judicio repetit, litemque indicit debitori; & ejus placari jejunio, qui non ſolum latronem, ſed principem agit latronum? increpare ejus jejunium, qui percutit pugno, & laudare ejus jejunium, qui ſævit ferro? Credunt Catholici fieri miracula, ſed non credunt quibuſlibet miracula referentibus: præſertim, ſi nec locus, nec tempus referantur, ubi & quando ea fuerint patrata; ſi non proferantur teſtes, qui ea viderint, nec judices qui ea probaverint; & quicumque miracula talibus notis deſtituta refert, noſcitur fuiſſe nec ingenii perſpicacia, nec judicii maturitate Hiſtoricus prudens, ſed rumorum popularium ſine diſcretionis examine avidus collector.

Moventur Catholici miraculis, ſed miraculis, quæ non proferuntur in confirmationem errorum, quos clarum Dei verbum majoribus miraculis confirmatum impugnat. *Antichriſtus* ingentia edet miracula in ſuorum errorum aſſertionem; illis non movebitur Catholicæ Ec-

 cleſiæ

cleſiæ frumentum grave, licet leves illius paleæ iis movendæ ſint. Nam illorum miraculorum auctoritas elevata eſt per grandiora miracula, quibus *Chriſtus* ſuam aſſeruit doctrinam. Quemadmodum olim *Virga Moyſis* verſa *in Serpentem* devoravit Virgas magorum Ægypti verſas quoque in *Serpentes*, ut ſic *Moyſis* veritas de magorum mendaciis triumpharet; ita *Chriſti* veritas majoribus miraculis armata Antichriſti mendacium prodigiis inſtruendum, diu ante ortum ejus deſtruxit ac devicit. In fine mundi ex area Eccleſiæ miraculis Antichriſti rapientur leves paleæ: nunc ſi à via mandatorum *D*ei ſeducantur nonnulli, vel etiam in ſceleribus confirmentur, ob pollicitationem, neſcio, cujus Prædicantis, non tam miraculis, quam inneptis miraculorum figmentis deformatam; non alii ſeducuntur, nec alii in ſeductione confirmantur, quam homines, quibus tanta mentis levitas, ut potius alicui *Pſeudo-Anſelmo* ad infimam ſcriptorum claſſem dejecto, quam Evangelio in ſummę auctoritatis arce conſtituto credere velint. Aliud ergo *Rivetus* ex iſtis narrationibus conficere non poteſt, quam eſſe quaſdam areæ Catholicæ leves paleas,

quæ

quę quibuſdam prodigiorum figmentis motæ, ſibi ipſis (ut ſine torquente gehennarum timore in ſceleribus uſque ad vitæ finem perſeverent) promittunt, quod ob quædam pietatis opera ad honorem *Deiparæ* facta in morte vel etiam poſt mortem donabuntur peccatorum remiſſione, & quicumque (etiamſi foret princeps latronum, & *Stephanus* judex qui munera libenter accipiens multorum judicia ſubvertebat, & tres domos Eccleſię *St. Laurentii*, & unum hortum Eccleſię *St. Agnetis* violenter abſtulerat, & ablata injuſtè poſſederat) jejunat ob devotionem *B. Mariæ* in Sabbatis, merebitur confeſſionem facere in articulo mortis, & non decedet ſine gratia veræ pœnitentiæ, atque damnationem evadet.

§. LVIII.

Eccleſiæ fides non incertis miraculorum rumoribus, ſed traditionis & ſcripturarum oraculis regitur. Unde libenter audit Sanctos Patres, qui nullis niſi

à crimine recedentibus dant ſpem ſalutis.

VErum hæc ſi credant paleæ, non credunt Eccleſiæ frumenta. Regitur illorum fides non rumoribus aut fabulis *libri miraculorum B. Mariæ*, ſed ſcripturarum oraculis; ſed traditionibus Apoſtolicis; ſed unanimi Patrum conſenſu. Illa libenter audiunt hanc graviſſimam *S. Eligii* monitionem: rogo vos, ut diligentius conſideretis, & quantum poteſtis expaveſcatis vel caveatis, ne vobis ille crudelis humani generis inimicus ita ſubrepat, quomodo ſolet incautos & negligentes iniqua calliditate decipere. Nam aliquibus homicidis, raptoribus, & adulteris, inceſtuoſis & ſacrilegis, vanam ſecuritatem ingerit, ut, cum crimina quotidiana committant, putent quod *D*eus corruptorum judicum more, pecuniam accipiat & peccata dimittat. Accipit planè *D*eus pecuniam, & eleemoſynis delectatur, ea tamen ratione, ut unusquisque peccator, quando offert *D*eo pecuniam, offerat illi & animam ſuam. Quænam, Fratres, juſtitia eſt, ut aliquis criminoſus pecu-

Hom: 8. *Tom*. 7. *Biblioth*: *SS. PP.*

„niam

„ niam ſuam per eleemoſynam Deo offe-
„ rat, & animam ſuam Diabolo per ini-
„ qua opera tradat? In pecuniâ imaginem
„ imperatoris offert Deo, & in ſeipſo ima-
„ ginem Dei tradit Diabolo, cum Do-
„ minus dicat in Evangelio: *reddite quæ*
„ *ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei,*
„ *Deo.* Quomodo in nummo imaginem
„ Cæſaris, ſic in vobis ipſis reddite Deo
„ imaginem Dei. Nam quaſlibet largas
„ eleemoſynas aliquis tribuat, ſi capitalia
„ crimina non declinet, timeo, ne falſa
„ temeritate deceptus, & pecuniam per-
„ dat & peccatum non redimat. Aliud
„ eſt enim mutare vitam, aliud tolerare
„ vitam. Mutare vitam eſt, à capitalibus
„ criminibus abſtinere: tolerare eſt, mi-
„ nuta peccata, ſine quibus eſſe non poſ-
„ ſumus, eleemoſynâ quotidianâ redime-
„ re. Nam qui ſubſtantiam ſuam tribuit
„ Deo, & animam ſuam offert inimico,
„ impletur in eo, quod ſcriptum eſt: *qui* Eccl: 34.
„ *baptizatur à mortuo, & iterum tangit mor-*
„ *tuum, quid proficit lavatio ejus?* quam
„ rem Apoſtolus exprimens ait: *canis re-* 2 Petr: 2.
„ *verſus ad vomitum, & ſus lota in volu-*
„ *tabro luti.* Quod & ipſe Dominus in
„ Evangelio confirmat: *ecce ſanus factus* Joan: 5:14.

Eccl: 19. „ *es, jam noli peccare, ne deterius aliquid* „ *tibi contingat.* Quod denuo *Salomon* conteſtatur & clamat. *Fili, peccaſti? ne adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi remittantur.* Quam rem non „ de minutis peccatis, ſine quibus eſſe „ non poſſumus, ſed de capitalibus cri- „ minibus dixiſſe manifeſtum eſt.

Hæc *S. Eligius*, poſt cujus verba rogo illos, qui hæc legent, ut diligentius conſiderent, & quantum poſſint expaveſcant vel caveant, ne ipſis ille crudelis humani generis inimicus ſubrepat, quomodo ſolet incautos & negligentes iniqua calliditate decipere. Nam aliquibus homicidis, raptoribus, & adulteris, inceſtuoſis, & ſacrilegis vanam ſecuritatem ingerit, ut, quamvis quotidiana crimina committant, putent, quod *Maria* vanarum mulierum more munus à lingua accipiat, & intercedendo peccata dimittat. Accipit plane *Maria* ſalutationum munus, jejuniorum cenſum, eâ tamen ratione, ut unusquisque peccator, quando offert *Mariæ* munus labiorum, aut jejunii cenſum, offerat illi & animam ſuam, ut ejus virtutes æmuletur. Quænam enim juſtitia eſt, ut aliquis criminoſus labiorum ſoni-

ſonitum, aut vacui ventris ſtrepitum, aut oſcitationes jejuni gutturis *Mariæ* offerat, & animam ſuam Diabolo per iniqua opera tradat? in *Ave Maria* imaginem angelicæ ſalutationis, & in jejuniis ſimulachrum angelicæ ſobrietatis offert *Mariæ*, & in ſeipſo imaginem Dei tradit Serpenti *Mariæ* inimico, cum Dominus dicat: *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Quomodo in ſalutationibus angelicis imaginem angelicę reverentiæ *Mariæ* exhibetis, ſic in vobis ipſis per *Mariæ* imitationem redditeDeo imaginem Dei. Nam quaslibet frequentet ſalutationes, quælibet Sabbathina jejunia tribuat, ſi capitalia crimina non declinat, timeo, ne falſa temeritate deceptus, & ſalutationes & jejunia perdat, & peccatum non redimat. Hic ſenſus Eccleſiæ Catholicæ, non ille, quem ei *Rivetus* imponit dicens: *notandum eſt enim cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in Papatu devotionem circa B. Mariam.*

§. LIX.

Nemo prudens Catholicus ſibi ſalutem promittit, ob uſurpata in malis moribus aut Mariæ *aut* Chriſti *ſigna.*

ET quamvis ab injuria, quam *Rivetus* intulit Eccleſię, eam ſufficienter vindicaverimus : tamen ad illam injuriam magis obterendam, & ſimul ad evellendam è nonnullorum carnalium Catholicorum animis illam fiduciam, quâ ob externa quædam ſymbola ſive veſtes, ſive coronas, ſive imagines, quæ in honorem Deiparæ ſe gerere putant, moribus non verentur eſſe gentiles : hic referam, quæ contra illos ex ſcripturis docet ſummus Theologus *Guilielmus Eſtius*. „ *Si* „ *averſione averſi fueritis vos & filii veſtri* „ . . . *auferam Iſraël de ſuperficie terræ* . . . „ *& templum projiciam à conſpectu meo.* „ Hic locus oſtendit, quod omnia exte- „ riora, quæ ad cultum divinum deputa- „ ta ſunt, ſive ſit templum materiale, „ ſive vaſa argentea & aurea, aliaque „ Eccleſiæ ornamenta, Deo non ſint ac- „ cepta, niſi propter cultum interiorem „ mini-

In lib. 3. *Reg. cap.* 9.

„ miniſtrorum ac plebis. Cultus autem „ interior conſiſtit in actibus fidei, ſpei, „ & charitatis. De quo *Auguſtinus in En-* „ *chiridio*: fide, inquit, ſpe, & chari- „ tate colitur Deus. Ubi iſta deſunt, „ quicquid exterius agitur in ſacrificiis, „ pſalmis, hymnis, & orationibus, in- „ utile eſt, & mimicis geſticulationibus „ ſimile, magiſque talibus ad iram pro- „ vocatur Deus, quam commovetur „ ad miſericordiam. Hæc *Eſtius* ex ſen- ſu Eccleſiæ Catholicæ. *Eſtio* conſonat *S. Memª. Card. Bona*, dum vitam Chri- ſtianam, non in uſu exteriori ſacramen- torum, non in propatulo Religionis of- ficio, ſed in affectibus Dei amorem ſpi- rantibus, & in operibus externis à tali affectu promanantibus dicit eſſe colloca- tum.

„ Ita, inquit, Chriſtianis vivendum „ eſt, ut ab illecebris ventris & gulæ; „ ab immodeſto corporis cultu; ab ina- „ nibus ludorum negotiis; à torpore pi- „ gritiæ; ab honorum ambitu; à laudis „ cupiditate; ab amore pecuniæ abſti- „ neant. Iram omnino pellant; & alteri „ non faciant quod pati nolunt. Nihil „ remiſſe agant, nihil audacter, nihil

Principia vitæ Chriſt. p. 1. §. 24. & 25.

„ fictè, aut per ſimulationem. Quod-
„ cumque officium vitæ Chriſtianę, quæ-
„ cumque exterior virtutis exercitatio,
„ ſi careat interiori ſpiritu & veritate,
„ nihil aliud eſt, quàm hypocriſis, &
„ actio ſcenica. Solent nonnunquam vi-
„ ri nefarii præclara ſanctorum geſta in
„ theatro repræſentare: hic Martyris con-
„ ſtantiam, ille Virginis modeſtiam, aut
„ Apoſtoli, vel *Chriſti* heroicos actus
„ egregie ſimulant, ſed actione peractâ
„ alienam perſonam deponunt, ſuamque
„ turpem & impuriſſimam ſuſcipiunt. Si-
„ mili modo, qui opera exteriora in ſo-
„ lam ſpeciem, & inanem oſtentationem
„ exercent, veluti hiſtriones ſunt, &
„ ſcenici joculatores, qui omni virtute
„ & ſanctimonia deſtituti, viri ſancti per-
„ ſonam in ſcena gerunt, quorum vita,
„ & mores nihil aliud, quam fabula ſunt.
„ Ideo pauci ad Chriſtianæ perfectionis
„ faſtigium pertingunt, quia opera ſua
„ ſpiritu veritatis non perficiuut. Præva-
„ lent *Chriſti* exemplis, & præceptis fal-
„ ſa mundi axiomata, & communes vir-
„ tutum notiones à natura inſitæ perver-
„ ſis hominum opinionibus depravatæ, ad
„ vitia detorquentur. Cum ergo inter
„ homi-

„ homines falſis doctrinis imbutos vivamus, debet quiſque in ſeipſum crebro „ inquirere, an & ipſe ignoret, quę recta ſunt, & an rectè fungatur officio ſuo. „ Via veritatis una eſt, & immutabilis, „ per quam, qui recto tramite cupit incedere, non terram intueri debet, ſed „ cœlum; non homines ſequi, ſed Deum, „ qui via, veritas, & vita eſt.

„ Cavendum, ne ſenſus in actionibus „ noſtris primam ſibi ſedem uſurpet, inde etenim omnia mala emergunt. Senſuum occaſus veritatis exortus eſt. Ideo „ vix poſſumus nobis ipſis polliceri aliquid nos egiſſe, quod omni ex parte „ bonum fuerit, quia, licet gratia impellente & coöperante, multa propter „ Deum operari cæperimus, non ſumus „ gratię fideles, ſtatimque labimur ad „ nos ipſos. Epiſcopo Sardis dictum eſt „ ab Angelo: *Non invenio opera tua plena* Apoc: 3.2. „ *coram Deo meo.* Nam preces, jejunia, „ eleëmoſynæ, & alia ejuſdem generis „ opera, plena ſunt coram hominibus, „ qui ſolam faciem vident, ſed vacua coram Deo, qui intuetur cor, niſi pura „ & ſimplici intentione divini beneplaciti perficiendi, & ſpiritu interiori impleanplean-

„ pleantur. In Evangelio decem Virgi-
„ nes commemorantur, quarum quin-
„ que fatuæ excluſæ ſunt à nuptiis, non
„ defectu virginitatis, aut lampadarum
„ ſive operationum, ſed quia defecit o-
„ leum bonæ intentionis, & ſanctarum
„ affectionum. Idem nobis eveniet, niſi
„ opera noſtra ſpiritu interiori, & Dei
„ amore animentur, ut placeant Deo.
„ vita exterior apud omnes Chriſtianos
„ eadem eſt, ſed ſicut horologii exſtima
„ facies ab interioribus rotis pendet, &
„ ab intima corporis conſtitutione vivi-
„ dus color procedit: ita boni à malis ex
„ interiori ſpiritu diſcernuntur. *Regnum*
„ *Dei intra nos eſt.*

§. LX.

Chriſtiani boni à malis diſcernuntur internis affectibus, non externis Sacramentis.

EX his verbis viri eminentiſſimi patet, Eccleſiam Catholicam non diſcernere bonæ ſpei à malæ ſpei Chriſtianis, ſymbolorum ſive Deiparæ, ſive *Chriſti* geſtatione, neque etiam à ſacramentorum frequentatione. Etenim ait vitam exte-

exteriorem apud mimicos & veros Chriſtianos eſſe eandem; ſed docet interiori ſpiritu bonos diſcerni à malis, & regnum Dei intra nos eſſe, non vero in externo apparatu. Unde etiam cum §. *primo* laudati libelli omnem multitudinem Chriſtianorum in Catholica Eccleſia viventium in tria genera diſtribuiſſet, duo priora non uſu Sacramentorum, ſed internis affectibus, eiſque operibus, quibus caro mortificatur, & quibus mens in Deum attollitur, à ſe invicem diſcriminat. Tertium vero diſcernit à ſecundo, quod ſecundum ab apertis ſceleribus ſibi temperet & Sacramenta uſurpet frequenter: tertium vero genus nequidem ſibi ab iſtis temperet ſceleribus: hujus vero generis multitudinem dicit eſſe immenſam. Quare nemini mirum videri debet, ſi plurimi eſſe dicantur, qui aut nimia in Sacramentis fiducia, aut etiam defectu reverentiæ, quæ illis debetur, in Deum delinquunt. Sed audiamus *Eminentiſſimum Cardinalem.* „Cum omnem, inquit, „Chriſtianorum multitudinem in Ca„tholica Eccleſia viventium, eorumque „mores & inſtituta, veluti è ſpecula pro„ſpicio, tria quaſi eorum genera mihi „vi-

Bona de Princip: vitæ Chriſt. §. 1. part. 1.

„ videor deprehendiſſe. Unum eſt eo-
„ rum, qui, *Chriſti* doctrinam & exem-
„ pla in ſpiritu & veritate ſectantes, ſe re
„ & nomine Chriſtianos eſſe perpetua &
„ exactiſſimaEvangelicæ perfectionis ex-
„ ercitatione oſtendunt: Deo enim ſer-
„ vientes, & in lege ejus die ac nocte
„ meditantes, carnem ſuam cum deſide-
„ riis & concupiſcentiis crucifigunt, nul-
„ lis adverſitatibus victi, nullis proſpe-
„ ritatibus depravati. In hoc autem ge-
„ nere nonnulli eminent, quorum vir-
„ tutes ultra humanam conditionem aſ-
„ ſurgunt. Servant ſiquidem continen-
„ tiam uſque ad tenuiſſimum victum &
„ perpetuum jejunium: puritatem cuſto-
„ diunt uſque ad cujuſcumque etiam lici-
„ tæ delectationis contemptum: patien-
„ tiam exercent uſque ad cruces & flam-
„ mas: ſeipſos abnegant uſque ad omni-
„ modam abjectionem, & odium ſui:
„ divitias ſpernunt uſque ad patrimonia
„ diſtributa pauperibus: Deum diligunt
„ uſque ad ſupremum gradum, qui in
„ hac vita haberi poteſt: omnes denique
„ virtutes in gradu heroico poſſident, ita
„ ut mirentur cæteri, qui eos vident; &
„ fateantur imbecillitatem ſuam, qui ad
tan-

„ tantam perfectionem pervenire non
„ poſſunt. Sed horum numerus ad pau-
„ ciſſimos redigitur, & vulgo ignotos,
„ qui ſibi ac mundo mortui, & crucifixi
„ vitam degunt abſconditam cum *Chri-*
„ *ſto* in Deo.

„ Alterum illos complectitur, qui or-
„ thodoxæ fidei profeſſione contenti, his
„ rebus dumtaxat, quę foris apparent,
„ Chriſtiani hominis officia contineri ar-
„ bitrantur; timentes quidem Deum, ſed
„ & idolis ſuis ſervientes. Ad ſacramenta
„ frequenter accedunt, ſed tanta animi
„ remiſſione & ſocordia, ut ex frequen-
„ tia nihil proficiant: à gravioribus pec-
„ catis abſtinere ſatagunt, leviora negli-
„ gunt: exteriores Religionis actus non
„ omittunt; ſed terrenis affectibus im-
„ merſi, ſibique ſemper & propriis com-
„ modis addicti, quid ſit vita interior,
„ quid perfectio Chriſtiana, quid aſcen-
„ ſus mentis in Deum, quid abnegatio
„ rerumque omnium abdicatio, ſine quâ
„ neminem poſſe ſuum eſſe diſcipulum
„ toties *Chriſtus* docuit, aut prorſus igno-
„ rant, aut diſcere nolunt: & ſi quis eis
„ ſanctioris vitę documenta proponat, il-
„ la ad monachos, & ad Anachoretas
„ ab-

„ ablegant, ſtulto & lacrymabili errore „ decepti.

„ Tertium genus illos omnes compre- „ hendit, qui ideo Chriſtiani dicuntur, „ quia à Chriſtianis parentibus orti, & „ aqua Baptismatis regenerati, inter Chri- „ ſtianos commorantur: moribus autem „ deteriores ſunt infidelibus, improbi, „ ſceleribus pleni, abominabiles, quorum „ immenſa multitudo eſt.

§. LXI.

Auguſtinus Chriſtianos in tres claſſes diſtribuens, eos non à ſacramentis, ſed à moribus diſtinguit.

HÆc *Emin*: *Bona*: ante quem *Auguſtinus* Chriſtianos in tres claſſes diſtribuens, eorum ab invicem diſtinctionem non repetit ab uſu ſacramentorum, aut alio externo apparatu, ſed à cordis intentione, ſive amoris & timoris affectibus, „ ſunt, inquit *Auguſtinus*, qui propterea „ volunt eſſe Chriſtiani, ut, aut prome- „ reantur homines, a quibus temporalia „ commoda expectant; aut quia offende- „ re nolunt, quos timent. Sed iſti repro- „ bi ſunt, & ſi ad tempus eos portat Ec- „ cleſia,

De Catechiz. rudibus cap. 17.

„ cleſia, ſicut area uſque ad tempus ven-
„ tilationis paleam ſuſtinet: ſi non ſe cor-
„ rexerint, & propter futuram ſempiter-
„ nam requiem Chriſtiani eſſe cœperint;
„ in fine ſeparabuntur. Nec ſibi blandi-
„ antur, quod in area poſſunt eſſe cum
„ frumento Dei, quia in horreo cum il-
„ lo non erunt, ſed igni debito deſtinan-
„ tur. Sunt etiam alii meliore quidem ſpe,
„ ſed tamen non minore periculo, qui
„ jam Dominum timent; & non irrident
„ Chriſtianum nomen; nec ſimulato cor-
„ de intrant Eccleſiam Dei; ſed in iſta vi-
„ ta expectant felicitatem, ut feliciores
„ ſint in rebus terrenis, quam illi, qui
„ non colunt Dominum. Ideoque cum
„ viderint quoſdam ſceleratos & impios
„ iſta ſæculari proſperitate pollere & ex-
„ cellere; ſe autem vel minus habere
„ iſta, vel amittere, perturbantur tan-
„ quam ſine cauſa Dominum colant, &
„ facile à fide deficiunt. Qui autem pro-
„ pter beatitudinem ſempiternam & per-
„ petuam requiem, quę poſt hanc vitam
„ Sanctis futura promittuntur, vult fieri
„ Chriſtianus, ut non eat in ignem æter-
„ num cum diabolo, ſed regnum æter-
„ num intret cum *Chriſto*, vere ipſe

 Chri-

„ Chriſtianus eſt : cautus in omni tenta-
„ tione, ne proſperis rebus corrumpa-
„ tur, & ne frangatur adverſis; & in
„ abundantia bonorum terrenorum mo-
„ deſtus & temperans; & in tribulatio-
„ nibus fortis & patiens. Qui etiam pro-
„ ficiendo perveniat ad talem animum,
„ ut plus amet Dominum, quam timeat
„ gehennam: ut etiam ſi dicat illi Deus:
„ utere delitiis carnalibus ſempiternis, &
„ quantum potes pecca, nec morieris,
„ nec in gehennas mitteris, ſed mecum
„ tantummodo non eris: exhorreſcat &
„ omnino non peccet, non jam, ut in
„ illud, quod timebat non incidat; ſed
„ ne illum, quem ſic amat, offendat: in
„ quo una eſt requies, quam oculus non
„ vidit, nec auris audivit, nec in cor
„ hominis aſcendit, quam præparavit di-
„ ligentibus eum.

Hæc *Auguſtinus*, cui Catholica con-ſentiens Eccleſia, à ſe repellit impoſitam ſibi à *Riveto* calumniam, & in ſuis paleis ſupinam caſtigat in ſignis externis fiduciam.

§. LXII.

§. LXII.

Gaudendum, quod advertant inimici Eccleſiæ Catholicæ, ridendum eſſe errorem, cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe devotionem erga Deiparam; *quia inde ſperandum, quod deteriorem in ſe deteſtabuntur errorem.*

ADvertit *Rivetus*, advertunt ejus Symmyſtę, non minus deridendum quam deteſtandum eſſe errorem, ſi quis putaret cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe devotionem circa B. Virginem. Non dolemus, imo multum gaudemus, quod hoc advertant. Nam inde in ſpem erigimur, eos evigilaturos, ut in ſe ipſis advertant ac deteſtentur errorem multo pejorem, non paucis ſuæ Communionis Scriptoribus proprium, ſed omnibus communem; non privatis ſcriptis editum, ſed *Nationalis Synodi* decretis ſancitum; nempe eum, qui ſemel fuerit regenitus, qui ſemel fide juſtificante fuerit donatus, nullo tempore amittere aut regenerationis beneficium, aut fidem

ſalvificam, aut charitatem, aut certitudinem de divina erga ſe benevolentia. *a* Unde ex decretis *Synodi Dordracenæ*, *David* adulter, & homicida, & ingratus in optimum militem, & per novem menſes iſtis criminibus inſordeſcens: *Salomon* ad prodigium uſque incontinens, idololatra *Aſtarthenis Deæ Sidoniorum*,

a Etſi autem illa potentia Dei verè fideles in gratia confirmantis, & conſervantis, major eſt, quam quæ à carne ſuperari poſſit &c. Non ſolum à carne, mundo & Satana in peccata etiam gravia & atrocia abripi poſſunt, verum etiam interdum juſta Dei permiſſione abripiuntur. Quod triſtes Davidis, Petri, aliorumque ſanctorum lapſus in ſacra ſcriptura deſcripti demonſtrant. *Synod. Dord: Doctrinæ cap.* 5. *art* 4. Deus enim, qui dives eſt in miſericordia, ex immutabili electionis propoſito, ſpiritum ſanctum etiam in triſtibus lapſibus à ſuis non prorſus aufert, nec eo uſque eos prolabi ſinit, ut gratia adoptionis, juſtificationis ſtatu excidant; aut peccatum ad mortem ſive in ſpiritum ſanctum; committant: & ab eo penitus deſerti, in exitium æternum ſeſe præcipitent. *ibid. art.* 6. in iſtis lapſibus conſervat in illis ſemen illud ſuum immortale. *Ibid. art.* 7. De hac electorum ad ſalutem cuſtodia, vere fidelium in fide perſeverantia, ipſi fideles certi eſſe poſſunt, & ſunt, pro menſura fidei, qua certo credant, ſe eſſe & perpetuo manſuros, vera & viva Eccleſiæ membra, habere remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. *ibid. art.* 9.

Molock

Moloch idoli *Ammonitarum*, *Chamos* idoli *Moab*, aliorumque non numinum ſed monſtrorum: *Petrus Chriſtum* tertio ejurans & anathematizans: tamen manſerunt juſti, ſancti, caſti, religioſi, & omnium bonorum operum ſtudio inſtructi. Unde ipſi in ſuis criminibus volutantes, nihilominus erant nati Dei, qui non peccant, quoniam *ſemen Dei*, nempe ipſa fides & charitas in illis manebant. *b* Ipſi in illis criminibus proſtrati, erant audientes & facientes verba Dei, & ideo ſimiles ſapientibus, qui ædificant ſuper petram, quorum domus tentationibus non cadit. Unde etiam horrendis criminibus immerſi, nihilominus de divina erga ſe dilectione manſerunt certi, tametſi dicat Dei verbum: *An neſcitis, quia*

b Si vel minimam veræ fidei ſcintillam habeo; certus & ſecurus ſum, quia dona Dei ſunt ſine pœnitentia. *Scarpius de juſtific: controv.* 4. Qui docent, non eſſe abſurdum, hominem priore regeneratione extincta; iterato, imo ſæpius renaſci. Hi enim per hanc doctrinam negant ſeminis Dei, per quod renaſcimur, incorruptibilitatem: adverſus teſtimonium Apoſtoli Petri *Epiſt.* 1. *c.* 1. 23. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, *Ibid. Synod.* Rejectionis errorum. *art.* 8.

2. Cor. 6. 9. *iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* Tametſi *Chriſtus* clamet: Matt: 10. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus; negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Et tametſi Deus dicat: Ezech. 33. 13. *Etiam ſi dixero juſto quod vita vivat, & confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem; omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate ſua, quam operatus eſt, in ipſa morietur.*

Dixit *Rivetus*, ſed falſo, *Notandum enim eſt, cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in Papatu devotionem circa B. Mariam*; ſed liceat ipſius Symmyſtis, liceat omnibus dicere, qui Decreta *Synodi Dordracenæ* ſequuntur: notandum eſt enim cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in c *Calviniſmo* ſalvificam ſive juſtificantem, quæ non peccat, fidem in *Chriſtum*.

c Negant catholici (ſic ſe vocant prætenſe Reformati) ullo peccato quamtumvis graviſſimo quemquam receptum in gratiam, excidere gratia, *Cham: Tom: 3. l. 6. c. 12. vid. Damnan in concordia. p.* 108.

Si

Si petas, an cum adulterio, hypocriſi, homicidio, fides juſtificans, cujus, ut ait *Marcus Fredericus Wendelinus*; adjuncta ſunt: 1. charitas quæ cum omnium bonorum operum ſtudiò ſemper eſt conjuncta: 2. perſeverantia, qua, qui ſemel accipit fidem ſalvificam, numquam eam amittit vel abiicit: 3. certitudo, quâ vera fides ſua cuique fideli certa eſt, adeo ut ſciat ſe credere & fidem habere. Si, inquam, petas, an fides tam ſacris inſtructa comitibus cum enormibus ſceleribus conſiſtere poſſit? Reſpondebunt tam ſanctam fidem cum tantorum criminum contaminatione conſiſtere poſſe. Si dubites, probabunt non fabuloſo exemplo principis latronum, aut *Beatricis* monialis; ſed d *Davidis Bethſabeam* adulterio vitiantis, &, ut hypocriſi crimen obtegeret, *Vriam* occidentis: addent *Davidem* in tantis ſceleribus iſtius fidei beneficio manſiſſe virum ſecundum cor Dei.

Chriſt. Theol. l. 1. cap. 24. Theſ. 16.

Si petas, an fides ſalvifica, cujus charitas comes individua, conſiſtere poſſit cum inobedientia contra mandatum Dei

d Non deſiit tamen tunc temporis eſſe vir ſecundum cor Dei. *Dungan in pacific: p. 258. 259.*

prohibentis, ne rex habeat uxores plurimas, & ne nubat *Hethæis*, *Gergeſæis*, *Amorrhæis*, *Chananæis* &c. Item an conſiſtere poſſit cum idololatria, quæ plurimis idolis templa extruit, poſt iteratam & miraculoſam Dei monitionem ſevere illam inhibentis? Reſpondebunt eam cum tantis criminibus poſſe conſiſtere. Si dubites; non illud probabunt ſumpto, ex neſcio qua Legenda (quas ipſi Nugendas vocant) *Florentii* militis *Chriſtum* filium Dei, matrem Eccleſiam, & ſanctorum conſortium abnegantis; ſed illud aſſerent mutuato è ſacris paginis exemplo *e Salomonis*, in cujus intimis animæ receſſibus, tum etiam manſit fides juſtificans & charitas, quę non agit perperam, cum foris appareret totus Apoſtata. Et ſi replices quomodo tam horrenda luxuries cum charitatis caſtitate; impudentiſſima,

Deut. 17. & 7.

e Deum *Salomoni* in delicto ſuo vitam aliquam ſpiritualem conſervaſſe credimus, etiam tum cum plane mortuus videbatur. *Guill. Ameſ. Anti Synod:* ſcripta. p. 334. vide Moyſem Amirault: de perſeverant: fidei *par. poſt. n.* 20. Quæcunque perpetravit *Salomon*, nempe duplicata & gravia peccata, in eadem prolabi poſſunt filii Dei &c. *Mechnius* in Anchora *animæ p.* 134. Moyſes Amirault ubi ſupra,

in

in idololatria cum ſincera Dei religione, in eadem anima componi poſſint, cum juxta Apoſtolum *non ſit participatio juſtitiæ cum iniquitate, non ſocietas lucis ad tenebras, non conventio Chriſti ad Belial, non conſenſus templo Dei cum idolis.* Reſpondebunt, tametſi nulla alia via reſpondendi ſuppeteret, modeſtis ingeniis debere ſufficere, quod ſint quædam in ſcriptura & theologia *ἄπορα*, quæ Deus à nobis capi noluit, ut ad humilitatem erudiremur. 2 Cor. 6. 14.

Si petas, an fides juſtificans, quæ ſecundum ipſos, tam non poteſt à charitate divelli, quam non poſſunt divelli ignis & lux, *Chriſtus* & ſpiritus, poſſit conſiſtere cum perfida *Chriſti* ejuratione & anathematizatione? Intrepide reſpondebunt poſſe conſiſtere *f*. Et ut illorum reſponſum fiat captu facillimum, non nodoſis argumentis, ſed planis & indubitatis exemplis rem facient manifeſtam. Oſtentabunt *Petrum Chriſtum* ejuran-

f Tam non poſſunt divelli fides & charitas, quam ignis & lux; imo, inquit *Calvinus*, quam *Chriſtus* & ſpiritus, *Cham. l.* 12. *c.* 14. 9. perpetuo inter ſe nexu, illa juſtificatio & ſanctificatio cohærent. *Beza in Apol: pro juſtificat:*

tem *g* & anathematizantem, & tamen ſalvifica fide in ejus amore & cultu perſeverantem.

Si petas an fides juſtificans, cui charitas tam intima, quam Spiritus *Chriſto* intimus eſt, conſiſtere poſſit cum inceſtu uxoris patris tui, & cum tam abominanda fornicatione, quæ nec inter Gentes audiatur? Reſpondebunt, iſtud fieri poſſe. Et ſi urgeas, ut illud exemplo probent; rem conficient exemplo iſtius *h Corinthii*, qui abutebatur uxore patris ſui; tametſi enim ille, adhærens meretrici, unum corpus cum illa efficiebatur, attamen, quia ſemel fidem quis juſtificantem adeptus eam amittere non poteſt, fide illa & comite ejus charitate Deo adhærens, unus cum Deo Spiritus, etiam inceſtuoſus remanebat.

Vide inter Epiſt. Bezæ Ep. 9. & 10.

Si petas, an tanta in concubinatu obduratio, ut nullis monitionibus, nullis

g Quamvis Petrus Apoſtolus tam turpiter lapſus eſſet, & tam horribiliter peccaſſet, ſervatorem ſuum ter, idque cum execratione negando; propterea tamen non penitus regenerationis ſpiritum, fidem & jus adoptionis amiſit. Collat. Hagien. p. 373.

h Vide Scholia Belgica in *cap.* 5. *Ep.* 1. *ad Corinth.*

ce-

cedat cenſuris, nequidem excommunicationi, conſiſtere poſſit cum juſtificatione & ſanctificatione, quæ perpetuo nexu ſibi cohærent? Reſpondebunt illud fieri poſſe: aſſertionem ſuam probabunt exemplo cujuſdam Itali, *nobilis quidem genere, ſed vita omni impietate contaminatiſſimi*. Hic, licet excommunicatus, à *Beza* tamen non judicatur à *Chriſto* excidiſſe, ſed humani quid paſſus? & ne cæteris membris offendiculo foret, ac ne vulnus foret læthale, acriore excommunicationis remedio eguiſſe.

Ut verbo finiam, ſuam fidem juſtificantem & ſanctificationem, tam credunt criminum patientes, ut *Deputati Groeningenſes in Synodo Dordracena* declaraverint, nulla eſſe peccata, quantumvis atrocia (excepta impœnitentia finali, quam ſolam ipſi videntur vocare peccatum ad mortem, aut in Spiritum Sanctum) ſive contra primam, ſive contra ſecundam Tabulam, in quæ fideles prolapſi deſinant eſſe fideles, juſti, & ſancti. Unde veriſſime dicere poſſumus: Notandum enim eſt cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe in prætenſa Reformatione ſalvificam fidem in *Chriſtum*. Dum autem *In actis Belgicis pag. 367.*

hoc

hoc notabunt Acatholici, examinent an ſua jactata reformatio ſit à Patre luminum; & an non potius ſit opus tenebrarum. Hæc per digreſſionem dicta ſunto.

§. LXIII.

Catholici non ſupplicant MARIÆ, *quaſi jubenti* CHRISTUM *ut nos exaudiat; ſed ei ſupplicant ut Advocatæ ad Advocatum* CHRISTUM.

ANtequam ad alia progrediar, *duo* adhuc examinanda cenſeo, quæ prætenſè Reformati in Catholicis reprehendunt, tamquam nimis in *Maria* fidentibus. *Unum* eſt, quod dicant Catholicos ſupplicare *Mariæ*, non tamquam ſubditæ *Chriſto*, ſed ei præpoſitę; ac in eum, licet in cœlis regnantem, imperium exercenti. Hinc *Calvinus* apud *Rivetum* ait, *Satanam Papiſtas eo impudentiæ & furoris proripuiſſe, ut imperium illi in* Chriſtum *traderent, hanc enim eſſe eorum cantilenam*: *Roga Patrem, jube natum.* Ait etiam *Gregorius Caſſander* eo deventum eſſe, *ut etiam* Chriſtus, *jam in cœlo regnans*,

Lib. 1. Apolog. pro Maria cap. 19.

Conſult. art. 21.

gnans, Matri ſubiiciatur: *quomodo etiam in nonnullis Eccleſiis canitur*: *Ora Patrem, jube filio, O felix puerpera jure matris impera, noſtra pians ſcelera, Redemptori.* Verum ipſe *Caſſander* hæc dicit Eccleſiæ minime probari. Sed his, inquit, opponi debent, quæ à ſanioribus ſcriptoribus, etiam ſcholaſticis, piè traduntur: ut vel illud Bonaventuræ, cum ait: „ *etiamſi mater ſit habenda in reverentia, multo major tamen eſt habenda erga filium, ex quo eſt illi omnis honor & gloria*: *qui eſt omnium Redemptor & Salvator*; *qui omnibus aperuit ianuam*; *& unus pro omnibus mortuus eſt.* Idem cavendum docet, *ne, dum matris excellentia ampliatur, filii gloria minuatur*; *& ſic in illo mater provocetur, in quo magis vult Filium extolli & honorari, quam ſeipſam, utpote Creatorem creatura.* Hæc pro Eccleſia ex S. *Bonaventura Caßander.*

Bellarmino hæc *Calvini* objectio, nempe nos rogare Virginem ut Filiò jubeat facere, quod petimus, tam aliena à ſenſu Catholicorum viſa eſt, ut indignabundus reſpondeat: *At quis noſtrum hoc dicit? cur non probat ullo exemplo?* Poterit ergo *Calvinus*, poterit *Rivetus* cum ap- *Lib. 1. de Beatitud. Sanctorum cap. 16.*

plau-

plauſu totius Eccleſiæ Catholicę, illud-*Roga Patrem*, *iube natum*; vel etiam illud, *jure matris impera Redemptori*, quantum ſibi libuerit, vexare & obterere. Nec putet *Rivetus*, quod de *Bellarmino* dicente: *quis noſtrum hoc dicit? cur non probat ullo exemplo?* meritum agat triumphum, licet *Rivetus* citatis teſtimoniis referat, hæc prædicata à *de Snekis*, *de Voragine*, & *à Pelbarto de Temeswar.*: nam tam nullius auctoritatis, & tam incelebres ſunt in Eccleſia Catholica iſti ſcriptores, ut quod ab illis ſolummodo ſcriptum, à nullis ſcriptum dici poſſit: & merito ignoraverit *Bellarminus*, legendis celebriorum auctorum ſcriptis occupatus, quod nonniſi ab iſtis *Bellarmini* tempore ſcriptum fuit. Quod ſi reponat *Rivetus* in aliquibus Eccleſiis cani hunc rithmum, *Ora Patrem*, *&* *jube Filio* &c. atque inde velit concludere, Catholicos à *Maria* poſtulare, non, ut velut Mediatrix ad Mediatorem, vel Advocata noſtra apud ſupremum Advocatum pro nobis ſupplicet, ſed ut velut mater & Domina Filio imperet ac jubeat: poterit eâdem æquitate Catholicis tribuere, quod credant Sanctiſſimam Trinitatem
eſſe

eſſe ſororem B. Virginis: quia invenient in quadam *Braccarenſis* diœceſis Parochia fuiſſe cantatum: *Benedicta ſit ſancta Trinitas ſoror noſtra Domina.* Verum quemadmodum omnis, cuicunque eſt vel minima ſcintilla juſtæ rationis, dum leget à *Dominicani Ordinis*, immo totius Eccleſiæ ſydere illuſtri *Bartholomæo de Martyribus* Archiepiſcopo *Braccarenſi* Parochiam præfatam viſitante; *Vide lib. 3. vitæ Barthol. de Martyribus. cap. 7.* iſtum hymnum tamquam prodigioſæ ignorantiæ fœtum fuiſſe reprobatum, procul dubio colliget non ex iſto hymno, ſed ex iſtius hymni condemnatione, quid ſentiat Eccleſia Catholica. Ita pariter, quicumque fuerit æquus rerum æſtimator, ex illis ipſis hymnis, dum eos advertet in nullis liturgicis libris, qui nunc ſunt in uſu, inveniri, certo ſtatuet, vel eos nunquam in illis fuiſſe; vel ſi fuerint, eſſe ſublatos, tanquam Eccleſię minimè probatos; atque adeo ob illorum rithmorum futilitatem non accuſabit Eccleſiam, ſed potius ob illorum rithmorum correctionem laudabit Eccleſiam. Hoc poſtulat æquitas, hoc pręcipit ratio.

§. LXIV.

§. LXIV.

Quid credat aut non credat Eccleſia, non repetendum eſt, ex hujus aut illius parochiæ aut hymnis aut rithmis.

QUod autem, ut ſcias, quid credat aut probet Eccleſia Catholica, non debeas conſulere preces, quę ab hoc aut illo frequentantur, vel etiam à Presbytero vel Presbyteris unius alteriusve Parochię ſacramentorum adminiſtrationi adhibentur, utiliſſimum fuerit hic referre, quid repoſuerit *Auguſtinus* ad verba *Sedati à Tuborbo*, putantis inſici Baptiſma, cum ſacerdos illud miniſtrans preces adhibet errore infectas. „Respondetur, (inquit) quia, ſi non ſanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per „imperitiam precator effundit, multi „non ſolum mali, ſed etiam boni fratres „in ipſa Eccleſia, non ſanctificant aquam. „Multorum enim preces emendantur „quotidie, ſi doctoribus fuerint recitatæ; & multa in eis reperiuntur contra „Catholicam fidem. Nunquid, ſi mani-

Lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas. cap. 25.

„ nifeſter, aliquos baptiſatos cum illæ
„ preces dictæ ſuper aquam fuiſſent, jube-
„ buntur denuo baptizari? quid ita? quia
„ plerumque precis vitium ſuperat pre-
„ cantis affectus. Et quia certa illa Evan-
„ gelica verba, ſine quibus non poteſt
„ baptiſmus conſecrari, tantum valent,
„ ut per illa ſic evacuentur, quæcumque
„ in prece vitioſa contra regulam fidei
„ dicuntur, quemadmodum dæmonium
„ *Chriſti* nomine excluditur. Nam uti-
„ que hęreticus, ſi afferat precem vitio-
„ ſam, nec habeat bonum charitatis af-
„ fectum, quo poſſit illa imperitia ſupe-
„ rari, & ideo ſimilis eſt ei, quicumque
„ in ipſa catholica invidus & malevolus,
„ quales illic arguit *Cyprianus*, afferat e-
„ tiam (ut fieri ſolet) aliquam precem,
„ in qua loquatur contra regulam fidei.
„ Multi quippe irruunt in preces, non ſo-
„ lum ab imperitis loquacibus, ſed etiam
„ ab hęreticis compoſitas; & per igno-
„ rantiæ ſimplicitatem, non eas valentes
„ diſcernere, utuntur eis, arbitrantes,
„ quod bonæ ſint: nec tamen quod in
„ eis perverſum eſt, evacuat illa, quæ
„ ibi recta ſunt; ſed ab eis potius evacua-
„ tur; ſicut in ipſo homine bonæ ſpei &

„ probabilis fidei, ſed tamen homine, „ ſi quid aliter ſapit, non inde evacuantur, quæ rectè ſapit, donec ei *Deus* revelet, & quod aliter ſapit. Si autem „ ipſe malus eſt atque perverſus, ſi precem integram dicat, & nulla ex parte „ fidei Catholicæ adverſam, non ideo „ ipſe rectus eſt, quia illa recta eſt: & ſi „ in aliquibus perverſam precem afferat, „ Deus adeſt verbis Evangelicis ſuis, ſine „ quibus baptiſmus *Chriſti* conſecrari „ non poteſt, & ipſe ſanctificat ſacramentum ſuum, ut homini, ſive antequam baptizetur, ſive cum baptizatur, „ ſive poſtea quandoque ad ſe veraciter „ converſo, id ipſum valeat ad ſalutem, „ quod ad pernitiem, niſi converteretur, valeret.

Ex his *Auguſtini* verbis multa diſcimus: *primo*: ſacramenta non vitiari per imperitię verba, quæ inter adminiſtrandum adhibentur. *Secundo* multa ſæpe in precibus eſſe contra fidem. *Tertio* illa quotidie emendari, ſi doctioribus fuerint recitatæ: quod profectò poſt *Concilium Trid.* ſummo ſtudio factum eſt, & fit quotidie inſtitutâ Romæ *S. Congregatione de Ritibus*, cujus primarium officium eſt

eſt advigilare, tum ut corrigat, ſi quid in Ritus & precum formulas, quibus *D*eus colitur, irrepſerit, quod à fidei regula ſit alienum:tum ut caveat, ne quid ſimile deinceps irrepat. *Quarto*: colligitur plerumque precis vitium ſuperari à precantis affectu. *Quinto*: non evacuari, quod in illa rectum eſt, per illud, quod in illa perverſum eſt; ſicut in ipſo homine bonæ ſpei & probabilis fidei, ſed tamen homine, ſi quid aliter ſapit, quam habeat regula fidei, non inde evacuantur quæ rectè ſapit, donec ei Deus revelet, & quod aliter ſapit. *Sexto*: precantem, ſi malus ſit atque perverſus, & precem integram dicat, & nulla ex parte ſidei Catholicę adverſam, non ideo rectum eſſe, quia precis ejus verba recta ſunt.

§. L X V.

***Catholici, ſi qui verbis*: roga Patrem, jube natum, *uſi ſunt, in illis affectum habuerunt orthodoxum. Explicantur verba* Petri Damiani.**

HÆc *Auguſtini* doctrina clariſſimè oſtendit Acatholicos horum tempo-

rum movere Catholicis bella injuſta, quando eos vexant ob rithmum & cantilenam non ſat caute ad regulas fidei compoſitam, prę̧ſertim cum in verbis non ſat limatis fidem & mentem habeant orthodoxam, pleramque ſuperante precis vitium recto precantis affectu. Unde in illis verbis: *Roga Patrem, jube Natum*; vel in illis: *jure Matris impera Redemptori*, Catholicorum Religio affectum, intentionem, imo & ſenſum potuit habere, vel maxime orthodoxum. Crediderim enim probos Catholicos, ſi qui illis verbis uſi ſint, Deiparæ apud Filium poſtulationi fiduciâ plenę tribuiſſe nomen imperii, eo ferè ſenſu, quo ſcriptura vocem precantis *Joſue*: *Sol contrà Gabaon ne movearis*, videtur repręſentare, perinde ac ſi quoddam mandatum & imperium in Deum fuiſſet, dum ait ſacer textus ſolem ſtetiſſe in medio cœli, *obediente Deo voci hominis*. Forſan per eundem tropum, quo in optimo ſenſu hæc verba: *obediente Deo voci hominis*, intelliguntur, ad ſanum ſenſum *de Snekis*, *de Voragine & Pelbarti* verba trahi poſſunt; id ego fecerim libenter, ut eos gaudeam in veritatis cognitione mihi ſocios eſſe.

Joſue 10. 13.

Si

Si vero *Rivetus* eorum verba nolit excuſare, ut habeat unde rideat, iſtum de aliena miſeria riſum illi non invidebo. Sive tamen velit, ſive nolit *Rivetus*: hæc verba *B. Petri Damiani ad Mariam*: *Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare non ſolum rogans ſed imperans, Domina non Ancilla*; vel eo ſenſu exponemus, quo exponenda ſcripturæ verba, quę *Joſue* videntur imperium, & Deo tribuere obedientiam: vel dicemus ſanctiſſimum *Cardinalem*, dum ita loquitur Deiparæ, *Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare*, nempe humanam naturam Filii ſui, *non ſolum rogans*, *ſed imperans*, *Domina non Ancilla*, non loqui de imperio & dominio *Mariæ* in Filium, ſed de imperio & dominio *Mariæ* in cæteras creaturas. Atque hunc crediderim eſſe verum *B. Petri Damiani* ſenſum. Etenim cum docuiſſet neminem gaviſurum in patria, qui *Christum* non fuerit imitatus in via; nec quemquam ejus participem futurum in perventione, qui eum non habuerit in itinere ducem; etiam ad B. Virginem extendit hanc legem, aitque, quod ad promiſſa præmia non perveniſſet, ſi injuncta *Christi* man-

Serm. 1. de Nativ. B. M.

Serm. 2. ex nativitate.

data contempſiſſet; & quod pertingere non potuiſſet ad *Chriſti* ſublimitatem, niſi ſecuta fuiſſet ejus humilitatem. Sed audiamus ſanctum. „ Expedit ergo, inquit,
Serm: 2. de Nativ. B. M.
„ ut Redemptori ſuo ſemetipſum offerat, „ quicumque ad ejus conſortium pervenire feſtinat. Illius veſtigia imitetur in „ via, qui cum eo gaudere anhelat in patria. Illum ſibi ducem faciat in itinere, „ qui ei particeps eſſe deſiderat in perventione. *Si enim compatimur, & conregnabimus: Si commorimur, & convivemus.* Et iterum idem dicit Apoſtolus:
Rom: 8.
„ *Si complantati facti ſumus ſimilitudini* „ *mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Nemo ſe, fratres mei, inaniter „ ſeducat: nemo ſe vanæ ſpei ſecuritate „ decipiat. Non enim poſſumus hic gaudere de ſeculo, & illic regnare cum „ *Chriſto.* Ecce, intemerata & glorioſa „ Virgo *Maria*, cujus hodie ſplendidiſſima Nativitate univerſa per orbem „ ſancta illuſtratur Eccleſia, in lege præfigurata, in Patriarcharum & Prophetarum oraculis prænunciata, ab Angelo ſingulari honorificentię privilegio „ ſalutata, thronus Dei, ſolium divinitatis, palatium Regis æterni, grazo-
Rom: 6.

„ phy-

„ phylacium theſauri, quo ſumus de cru-
„ enti prædonis ſervitio comparati, nobis
„ proponitur in exemplum. Hęc tam ſin-
„ gularis, tam incomparabilis Virgo, ſi
„ non ſequeretur humilitatem *Chriſti*,
„ numquam pertingeret ad celſitudinem
„ *Chriſti* : Si injuncta mandata contem-
„ neret, ad promiſſa præmia nullatenus
„ perveniret.

Hæc *Petrus Damiani*, tum, ut confundat eos, qui putant, modo *Mariam* quibuſdam exterioribus actibus colant, ſe cum *Chriſto* regnaturos, tametſi hic ſtudeant gaudere cum ſæculo; tum, ut doceat *Mariam* humiliter *Chriſto* obediviſſe, ejuſque exemplum fuiſſe ſecutam; non vero egiſſe *Chriſti* Dominam aut Imperatricem: quod ſi in terris non egerit Dominam *Chriſto* imperantem, minus eam agit in cœlis.

Non poſſum non etiam hoc annotare, male eſſe citatum *Petri Damiani* textum, tum à *Riveto*, tum à *Salazaro*, ex quo illum *Rivetus* excerpſit, ſic enim citant illi: *accedis ad aureum illud divinæ ſeveritatis tribunal non ſolum rogans*, &c. habet autem ille: *accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non*

ſolum rogans, &c. Suſpicor *B. Petri Damiani* verba male fuiſſe citata, ut ejus auctoritate aſſereretur paradoxum, quo *Chriſto* judicium & *Mariæ* per antitheſim tribuitur miſericordia. His per tranſennam annotatis redeamus ad *Rivetum.*

§. LXVI.

Recte credidit Bellarminus *à nullo doceri Catholico, quod* MARIA *in cælis* CHRISTO *imperet.*

HIc, cum prçter *Cornelium de Snekis*, *Jacobum de Voragine* & *Pelbartum*, adduxiſſet *Coſterum* & *Quirinum de Salazar*, quos aſſerit *Mariæ* in ipſis cœlis ſuper *Chriſtum* regiam quamdam tribuere poteſtatem, demum *Bellarmino* inſultat, dicens: *An potuit jure Bellarminus exclamare; At quis noſtrum hoc dicit? En, Bellarmine, præter alios duo ex Sodalitio tuo non ignobiles.* Repono, recte nihilominus exclamaſſe *Bellarminum, At quis noſtrum hoc dicit?* quia cum hoc ſcriberet *Bellarminus*, necdum ſcripſerat *Quirinus de Salazar*, & forte nec tum illud ſcripſerat *Coſterus*, quod illum *Rivetus* dicit ſcripſiſſe. Bene autem ſe habet,

bet, quod *Rivetus* fateatur *Toletum*, & *Cajetanum* Cardinales, *Nicolaum de Gorram*, *Dionyſium Carthuſianum*, *Janſenium Gandenſem*, *Maldonatum*, & ante hos *Ambroſium*, & *Bedam* Catholicæ Eccleſiæ Scriptores haud incelebres, eripere *Salazaro* omne fulcrum, quo nititur perpetua illa poteſtas ac imperium, quibus *Mariam* in *Chriſtum* potiri ille aſſerit, & ob cujus Mariani imperii tentatam aſſertionem videtur de ſeipſo loqui cum quadam philautia. Etenim cum multus fuiſſet in aſtruenda hac perpetua *Mariæ* in omnes creaturas etiam ipſum *Chriſtum* omnium Dominum poteſtate ac imperio, ſic finit iſtam diſſertationem: *Hactenus de regia dignitate Mariæ, de qua eo libentius diſceptavi, quia cum paſſim à Patribus Reginæ ac Dominæ nominibus decoretur, nullus (quod ſciam) hujus Mariani imperii vim & poteſtatem expendit, vel primam illius radicem eruit.* Hæc *Salazar*, cui reponi poteſt, noſtros eruditos primam illam radicem non eruiſſe, quia quæ non erat, erui non poterat.

In cap. 8. Proverb. verſ. 16.

§. LXVII.

§. LXVII.

CHRISTUS MARIÆ *ſubditus fuit, non legis neceſſitate, ſed volunta-ria humilitate.*

PRæcipuum, quod pro iſta poteſtate affertur, eſt, quod dicatur *Chriſtus Joſepho* ac *Mariæ* fuiſſe ſubditus: *Et erat ſubditus illis* inquit ſacer textus. Unde *Salazar*, & ante eum *Ludovicus Vives* infert perpetuam *Mariæ* in *Chriſtum* poteſtatem. Verum in hac collectione ingentia ſunt vitia. Etenim argumentantur imprimis, ac ſi *Chriſti* ſubjectio fuiſſet neceſſitatis & non libertatis; præcepti & non indebiti obſequii; cum tamen ſubjectio *Chriſti* erga *Joſephum* & *Mariam* ex ſolo humilitatis ſtudio proceſſerit, quo pueris, quibus utile eſt parentibus prudentiâ & ſapientiâ majoribus morem gerere, voluit ſuadere, ut illos debita pietate colerent; cum ipſum adverterent, licet ſuis parentibus ſapientia & prudentia majorem, tamen illis ſeipſum ſubdere. Juvabit huc referre *Eſtii* expoſitionem in hæc verba, *& erat* „*ſubditus illis.* „quæritur, inquit, an „lege

Luc. 2.

In Luc. *cap.* 2. 51.

„ lege ſubjectionis tenebatur *Chriſtus*, „ reſpectu illorum, ſaltem reſpectu ma- „ tris ſuæ, tamquam verę parentis ac ge- „ netricis? ſic enim ad D. Virginem *Lu-* „ *dovicus Vives* in piis precationibus: tu „ jus habuiſti injungendi miniſteria tuo- „ rum uſuum, cui mundus univerſus mi- „ niſtrat. Tu Ergo Angelis hoc jure po- „ tior; huic enim Angeli obtemperant, „ hic tibi. At contra, *Chriſtus* legi non „ erat ſubjectus, quamvis natus ſub lege; „ erat enim filius hominis Dominus eti- „ am Sabbathi. *Lucæ*. 6. Igitur nec ſub- „ jectus parentibus neceſſitate legis ſed „ tantum, quantum ipſe ſe ſponte vellet „ ſubiicere. Sicut enim non neceſſitate, „ ſed voluntate mortuus eſt; ita non ne- „ ceſſitate legis, ſed voluntate electio- „ nis ſubditus ſuis parentibus fuit.

Hæc *Eſtius*, cui conſonat *Cardinalis Toletus dicens*: *obedientia* (*Chriſti*) *parentibus non erat debita, nec ſecundum naturam, cum eſſet æqualis cum parentibus, ſed voluntaria, quia voluit illis ſubdi; ſicut enim carnis infirmitates voluntarie ſuſcepit, ita & obedientiam matris, non autem ratione animæ, quia non habuit ignorantiam, nec indiguit eruditione. Non ergo potuit* *Annotatio 84. in Lucam.*

non

non eſſe ſubditus Deo Patri cum homo eſſet, potuit tamen non ſubdi parentibus ſi voluiſſet. Ita *Toletus*, qui hanc doctrinam mutuatus eſt à *D. Ambroſio* ſcribente in illud *Lucæ*: *& erat ſubditus illis. Quid enim*, inquit Ambroſius, *magiſter virtutis, niſi officium pietatis impleret? .... non utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjectio eſt .... deferebat homini, deferebat Ancillæ (ipſa enim dicit: Ecce Ancilla Domini) deferebat ſimulato Patri.* Hæc *Ambroſius*, ex cujus verbis fit clarum *Chriſti* ſubjectionem non fuiſſe infirmitatis, ſed pietatis. Non fuit infirmitatis, quia ſapientiâ & ſcientiâ erat vir ab utero, ſenex à puero: fuit pietatis, quia deferebat homini, deferebat Ancillæ, deferebat ſimulato patri, ut ejus exemplo diſcerent homines, quid parentibus ſuis deberent, cum legerent filium à Patre æterno non voluntate, non opere, non tempore diſcrepare, & tamen non ſolum æterno Patri, ſed etiam matri Ancillę, & homini ſimulato patri detuliſſe.

Lib. 2. *in* **Luc.** *cap.* 2.

Non ſolum *Ambroſius* docet *Chriſti* ſubjectionem fuiſſe pietatis, ſed & *Gregorius Nyſſenus* egregiè exponit eam proceſſiſſe ex iſto conſilio, quo ſub infanti-lis

In dictum Apoſt. tunc etiam ipſe filius ſubjicietur ei.

lis & puerilis ætatis humilitate voluntaria, quoadusque manifeſtaretur in Iſraël, delegerat deliteſcere. „ Quod ſi etiam, „ inquit, illam ſubjectionis ſpeciem ad- „ dere oportet, quam prodit Evangelium „ *Lucæ*, quod ad duodecimum annum „ uſque progreſſus Dominus, parentibus „ ſubditus erat : nec hoc quidem de eo, „ qui & ante ſæcula fuit & verus eſt, ad „ verum ipſius Patrem relatum dici con- „ veniat. Nam illic quidem qui juxta no- „ ſtri ſimilitudinem, excepto peccato, in „ omnibus periculum fecit, per naturæ „ quoque noſtrę progredi ętates haud re- „ cuſavit : ac quemadmodum puellus fa- „ ctus infantibus convenientem cibum „ non reſpuit, butyro & melle veſcens : „ eodem modo, cum in adoleſcentulum „ evaſiſſet, quod illam ætatem decebat „ & accommodatum erat, non detrecta- „ vit ; per ſuam vitam exemplum diſci- „ plinæ atque modeſtiæ præbens. Cum „ enim in cæteris hominibus ejus ætatis „ imperfecta mens eſt, & juventus opus „ habet, ut à perfectioribus ad meliorem „ frugem quaſi manu ducatur : idcirco „ duodecim annos natus matri ſubjicitur, „ ut oſtenderet, quod id, quod profi-

ciendo

„ ciendo tendit ad perfectionem, ante-
„ quam eam aſſecutum ſit, ſubjectionem
„ tanquam ad bonum quaſi manuducen-
„ tem rectè admittat. At qui in omni bo-
„ no ſemper perfectus eſt, & neque pro-
„ greſſus facere, neque diminutionem
„ in ſe ſuſcipere poteſt, quippe cum na-
„ tura ejus nihil amplius deſideret, ac
„ diminutionis expers ſit, cujus rei gra-
„ tia ſubjiciatur, dicere non poſſint, quod
„ omnia dicunt inconſideratè. Nam quod
„ eo tempore, quo in carne cum huma-
„ na verſabatur natura, in ætate puerili
„ per ea, quæ agebat, quaſi lege juven-
„ tuti obedientiam ſanciebat, hinc pa-
„ tet, quod ad perfectam ætatem progreſ-
„ ſus, jam non amplius poteſtatem matris
Joan. 2. „ curabat. Cum enim illa hortaretur eum
„ in Cana Galileæ, ut in eo, quod de-
„ erat epulo nuptiali, virtutem ſuam o-
„ ſtenderet; & vinum, quo opus erat,
„ convivio largiretur: beneficium qui-
„ dem indigentibus conferre haud recu-
„ ſavit: maternum vero conſilium, ut
„ quod non amplius in tempore ſibi ſug-
„ gereretur, reiecit atque repudiavit, cum
„ diceret, *Quid mihi tecum eſt mulier?*
„ nunquid etiam hanc meam ætatem re-
ge-

„gere vis? an nondum venit hora mea, „ quę liberum arbitrium & ſuum jus ac „ poteſtatem ætati præbet? Si igitur in „ vita, quam in carne degebat, juſtus & „ competens ætatis modus genitricis ju- „ gum excutit, quem locum ſubjectio „ habeat in illius vita, qui vi potentatus „ ſui ſæculi dominus eſt, nemo dicere „ poſſit.

§. LXVIII.

MARIA *ita* JESUM *habuit ſibi ſubditum, ſicuti illum ſubditum habuit* Joannes Baptiſta.

EX his *Nyßeni* verbis clarum eſt, *Chriſtum* ex iſta diſpenſatione conſilii,qua elegerat non omnia facere mirabiliter, ne auferret quod decreuerat facere miſericorditer, ad tempus voluntatis pietate, & non legis neceſſitate Matri & ſimulato patri ſeipſum ſubdidiſſe. Poſſent hæc pluribus *SS. Patrum* teſtimoniis aſſeri, niſi per ſe res foret manifeſta; & niſi eo ipſo loco, quo *Jeſus* legitur fuiſſe illis ſubditus, ſignificaretur *Mariam* filio ſuo ut ſuperiori detuliſſe. Poſtquam enim ſacer textus dixiſſet: *Deſcendit cum eis,* &

& erat ſubditus illis, ſubjungit, *Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc*, dicta ſcilicet & facta *Jeſu*. *Conſervabat* ea, non tanquam dicta & facta pueri, ſed filii Dei; *conſervabat* ejus ſubjectionem, ut Myſteriis gravidam; ut prçcelsâ humilitate venerandam; ut eam, quam non depreciabat puerilis aut ignorantia aut imbecillitas, ſed quam commendabat ſapientia & poteſtas æterna. Quare crediderim Deiparam, quotieſcumque videbat *Jeſum* ſe ei aut ſimulato patri ſubdentem, ita ſemper animo fuiſſe affectam, ut affectus erat *Joannes Baptiſta*, quando *Jeſum* ſibi ſubditum undis Jordanicis aſpergebat; vel quomodo affectus erat *Petrus*, quando videbat *Ieſum* ad ſuos pedes, ut eos ablueret, proſtratum. Unde, quamvis *Maria Ieſum* ſibi ſubditum videret, minime tamen ejus egit Dominam aut Reginam: præfuit ei obediens, non imperans; Ancilla, non Domina: ſicuti *Ieſum Ioannes* baptizavit, non dominantis faſtigio, ſed obedientis obſequio: non quia cupiebat *Ieſum* ſibi habere ſubditum, ſed quia, poſtquam verbis erga *Ieſum* religioſiſſimis dixiſſet, *ego à te debeo baptizari*, *&*

tu

tu venis ad me? non poterat non obedire jubenti *Ieſu. Sine modo: ſic enim decet nos adimplere omnem juſtitiam.*

§. LXIX.

Tametſi contra veritatem ſupponeretur, quod JESUS *in terris vivens,* MARIÆ *debuiſſet obedientiam, minime inde ſequeretur, quod eam adhuc illi debeat in cœlis.*

Hęc dicta ſunto, ut conſtet eos nullo niti fundamento, qui ex ſubjectione *Jeſu* duntaxat voluntaria, & ſolummodo ad tempus aſſumpta, perpetuam & neceſſariam ejus inferunt ſubjectionem. Accedit quod tametſi contra veritatem ſupponeretur, *Jeſum* legis neceſſitate in diebus carnis ſuæ fuiſſe matri ſubditum; nequaquam inde confeceris eam quoque in cœlis in filium habere imperium. Subditus fuit *Abel Adamo* patri, mortalis mortali; ergo ſubditus erit immortalis immortali? *Oneſimus* ſervus ſive mancipium *Philemoni* Domino in terris obediebat; ergo in cœlis illi obedit? lege divina *Laurentius*, ut Diaco-

nus; tenebatur miniſtrare *Sixto* ſummo Pontifici; ergo in cœlis *Sixto* miniſtrat *Laurentius*? Subditus fuit *Auguſtinus* lege naturali matri *Monicæ*; ergo in cœlis *Monica* imperat *Auguſtino*? *S. Ludovicus* minorennis obtemperavit matri *Blanchæ*; ergo in cœlis ſubeſt Blanchę imperio? *S. Borromæus* ex divino præcepto ſubditus fuit *Pio* IV. & V. ſummis Pontificibus; ergo in cœlis adhuc illis ſubeſt? Quæ conſequentia? profectò nulla. Ut autem illa futilis eſt; ita futile eſt hoc argumentum; *Mariæ* lege temporalis generationis *Chriſtus* fuit ſubditus; ergo lege æternæ regenerationis *Mariæ* quoque ſubditus erit? Procul ſint è libris & ſermonibus Catholicorum ſimilia argumenta, quibus debitus *Mariæ* cultus non augetur ſed minuitur; & quibus *Riveto*, ejuſque Symmyſtis, præbetur occaſio Catholicis inſultandi, quamvis immeritò.

§. LXX.

§. LXX.

Tranquillitas humanæ Reipublicæ exigit, ut exterior honor deferatur non magis ſanctis, ſed magis ſpectabilibus. Verus Principatus eſt in ſancta converſatione.

ORdo hujus mundi, in quo latent conſilia cordium, merita animarum, excellentia charitatis, & in quo vita noſtra abſcondita eſt cum *Chriſto* in Deo, iſtud poſtulat; ut ſecundum externas aut corporis aut muneris prærogativas, quæ cum tranſeunte mundo tranſeunt, plerumque illi, qui coram Domino maximi ſunt, illis ſubduntur, qui coram Domino aut nulli aut minores ſunt.

Verus principatus & ſublimitas duratura non eſt in carnis prærogativa; non in ordine carnalis generationis; non in officiorum præcellentia; ſed in caſto timore Domini, & in eminentia charitatis. *Primatus autem*, inquit, *Auguſtinus*, *non eſt, niſi in ſancta converſatione, & vita bona: quo pertinent omnes, ex quibus, tanquam membris, conſtat illa ſponſa,*

Lib. 5. de baptiſ. contra Donat. cap. 16.

ſa, non habens maculam neque rugam. Juxta hunc *Primatum*, in terris honorum gradus non diſtribuuntur, quia in terris parum notus eſt. In cœlis vero, ubi notiſſimus eſt, ex illo cenſebimur duntaxat. Fueris ſervus, fueris in Republica ærarius, fueris in Eccleſia ultimo loco poſitus; non juxta gradus mundani, aut etiam Eccleſiaſtici ordinis, ſed ſolummodo juxta gradus charitatis diſtribuentur in cœlis præmia meritorum. Atque hæc præcipua cauſa eſt, cur Chriſtiani, quos *Tertullianus* eleganter vocat *æternitatis Candidatos*, minime debeant dolere, quod infima in hoc mundo gerant officia; certi quod in æternum erunt magni aut parvi, non ex ſublimitate muneris externi, ſed ex ſublimitate affectuum interiorum; nec tam quæretur ab illis, quid geſſerint, quam quomodo ſe geſſerint. Servus humiliter, & piè ſerviens non erit minor Domino piè imperante. Diaconus religiosè miniſtrans, non erit minor Sacerdote religiosè ſacrificante. Audiamus *Ambroſium* iſtud exemplo *Vitalis* & *Agricolæ*, quorum ille ſervus, hic dominus fuit, luculenter exponentem. „Martyri nomen, inquit, „*Agri-*

In tract. de hortatione ad Virginitatem.

„ *Agricola* eſt, cui *Vitalis* ſervus fuit an-
„ te, nunc conſors & collega Martyrii.
„ Præceſſit ſervus, ut provideret locum:
„ ſecutus eſt Dominus, ſecurus quod fi-
„ de ſervuli jam inveniret paratum. Non
„ aliena laudamus. Paſſio enim ſervi, do-
„ mini diſciplina eſt. Hic inſtituit, ille
„ implevit. Nihil illi decerpitur. Quo-
„ modo enim minui poteſt, quod *Chri-
„ ſtus* donavit? Egregriè & ille, qui ho-
„ mini ſerviendo, didicit quomodo *Chri-
„ ſto* placeret. Hic tamen geminam lau-
„ dem acquiſivit: in illo magiſterii, in
„ ſe Martyrii. Certaverunt tamen inter
„ ſe invicem beneficiis, poſtquam æqua-
„ les eſſe meruerunt. Hic illum ad Mar-
„ tyrium præmiſit, ille iſtum accerſivit.
„ Nullum ergo ad commendationem ho-
„ minis conditio affert impedimentum:
„ nec dignitas proſapię meritum, ſed fi-
„ des affert. Sive ſervus, ſive liber, om- Epheſ. 6.
„ nes in *Chriſto* unum ſumus: & *unuſquiſ-
„ que, quodcumque fecerit bonum, hoc re-
„ cipiet à Domino.* Nec ſervitus derogat,
„ nec libertas adjuvat. Vide ad eam rem
„ quam nihil in conditione momenti ſit.
„ *Servus*, inquit, *vocatus es? non ſit tibi* 1. Cor. 7.
„ *curæ. Qui enim vocatus eſt in Domino*

„ *ſervus*, *libertus eſt Domini. Similiter qui*
„ *liber vocatus eſt*, *ſervus eſt Chriſti.* Vi-
„ de, inquam, vim Apoſtoli. Plus pu-
„ tatur dediſſe ei qui ſervus, quàm ei,
„ qui liber vocatus eſt. Ex ſervo enim li-
„ bertus *Chriſti* fit, ex libero ſervus. Sed
„ nulli plus dedit, verum utrique æqua-
„ lem menſuram diviſit. Apud *Chriſtum*
„ enim ſervitus & libertas æqua lance
„ penduntur; nec ullo diſcerniculo bo-
„ næ ſervitutis & libertatis merita divi-
„ duntur: quia nulla major eſt dignitas,
Rom. 1. „ quàm ſervire *Chriſto*. Denique *Paulus*
1. Petr. 1. „ *ſervus Chriſti Jeſu.* Hæc enim ſervitus
„ glorioſa eſt, in qua gloriatur & Apo-
„ ſtolus. An non ſumma gloria eſt, quan-
„ do tali pretio æſtimati ſumus, ut ſan-
„ guine Domini redimeremur? Hæc
Ambroſius, ex Scripturis preclare pro-
bans, minimè ſequi, quod ſi fueris ma-
jor in mundo, ſis etiam futurus major in
cœlis. Catholici his aliiſquè edocti tum
rationum momentis, tum Scripturarum
oraculis, tum SS. Patrum teſtimoniis,
Chriſtum in cœlis regnantem non am-
plius noſcunt ſecundum carnem, &
minime credunt illum Matri in cœ-
lis eſſe ſubditum, quia in terris infans
&

& puerulus Matri & ſimulato patri ſubditus fuit.

§ LXXI.

Catholici multo magis fidunt Miſericordiæ Dei, quam Miſericordiæ ſanctorum.

REfutatâ ineptiâ, qua *Maria* fingitur, tanquam ſi non ſolum in cœlis diviſum cum *Chriſto* haberet imperium, ſed ac ſi etiam in ipſum omnium Dominum, ſuum non minus quam noſtrum Redemptorem, regiam exerceret poteſtatem; nec dumtaxat invocaretur ut Advocata & Mediatrix ad Mediatorem, ſed ut faſtuosè imperans Salvatori: forſan non erit inutile, quamvis ex ſuperioribus abundè deſumi poſſit, hic oſtendere, Catholicos, non magis miſericordiæ ſanctorum ac prȩſertim Deiparȩ fidere, quod ipſis ab Adverſariis imponitur, ſed eos infinito amplius miſericordiæ Dei, quàm ſanctorum confidere. Quemadmodum enim ſancti non ſunt propter ſe ipſos amandi & laudandi, ita nec in ipſis propter ipſos ſperandum. Uti noſter erga illos amor non debet eſſe amor manſorius, qui in illis hæreat, ſed tranſitorius, qui per

ipſos ſeſe in Deum effundat;ita nec manſoriâ ſpe ſperandum in Sanctis,ſed ſolummodo tranſitoriâ, quæ ſe integram in Deum referat,tanquam omnis miſericordiæ ac potentiæ Oceanum. Etenim tam Sanctorum, quam noſtræ preces tendunt in Deum, tamquam in eum,qui ſolus dat gratiam, quâ bene vivitur, & gloriam, quâ beatè vivitur, juxta illud Pſalmiſtæ;
Pſal: 38, 12. *gratiam & gloriam dabit Dominus.*

Sem: 15. Egregiè hanc doctrinam illuſtrat *Bernardus* in Pſalmum, *qui habitat in adjutorio Altiſſimi*, dum docet, nec in Angelis ſanctis, nec in hominibus noſtræ cuſtodiæ deputatis, ſpem noſtram hærere debere, quod ipſi per ſeipſos nos nequeant reddere ſecuros; quod nihil boni, neque per Angelos, neque per homines, niſi ex Deo nobis ſit exſpectandum. Audiamus eum ſuâ mellifluâ hæc facundiâ exponentem: „Angelis ſuis „mandavit de te, ut cuſtodiant te in om„nibus viis tuis: quid ultra potuit tibi „facere, & non fecit? novi quid cogi„tes, ingenua creatura. Habes gratiam „Angelis Domini, ſed ad ipſum ambis „Dominum Angelorum. Oras & op„tas, ut, nuntiis non contentus, ipſe

„quo-

„ quoque, qui loquebatur, adſit: nec
„ te quaſi per medium, ſed ſui oris oſcu-
„ lo oſculetur. Audiſti ſuper aſpidem &
„ Baſiliſcum, Leonem pariter & draco-
„ nem tibi ambulandum fore, nec ſuper
„ dracone ipſo victoriam *Michaelis* &
„ Angelorum ejus ignoras. Verum-ta-
„ men non *Michaeli*, ſed Domino cla-
„ mant deſideria tua: *libera me, & po-*
„ *ne me juxta te, & cujusvis manus pugnet* Job. 17.
„ *contra me*. Hoc nempe non eſt modo
„ aliis, ſed ipſis quoque altioribus altius
„ captare refugium, ut ex ſententia pro-
„ fitenti *quoniam tu es ſpes mea*, merito
„ reſpondeatur, *altiſſimum poſuiſti refu-*
„ *gium tuum*. Non enim dedignatur eſſe
„ ſpes miſerorum miſerator & miſericors
„ Dominus: non ſeipſum liberatorem
„ ſimul & protectorem in ſe ſperantibus
„ exhibere recuſat. *Quoniam in me ſpera-*
„ *vit*, inquit, *liberabo eum: protegam eum,*
„ *quoniam cognovit nomen meum*. Nempe, Pſal. 126.
„ *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fru-* 2.
„ *ſtra vigilat, qui cuſtodit eam*, ſive ille
„ homo, ſive etiam Angelus eſſet. Mon-
„ tes in circuitu Hieruſalem; ſed parum
„ hoc, imo nihil hoc foret, ſi non etiam
„ Dominus in circuitu eſſet populi ſui.
Ee 5 Meri-

Cap. 3. „ Merito proinde in Cantico ſponſa de-
„ ſcribitur inventis licet vigilibus (imo
„ ab eis magis inventa; nec enim eos ip-
„ ſa quærebat) non ſubſtitiſſe, nec con-
„ tenta fuiſſe vigilibus, ſed percunctata
„ breviter de dilecto ad ipſum ocius per-
„ volaſſe. Erat enim cor ejus non in vi-
„ gilibus, ſed in Domino fiduciam ha-
„ bens. Et aliter fortè ſuadentibus aje-
Pſal. 10. „ bat: *in Domino confido, quomodo dici-*
„ *tis animæ meæ, transmigra in montem,*
„ *ſicut paſſer?* minus vigilanter id obſer-
„ varant Corinthii, cum offenſis quaſi vi-
„ gilibus ſecederent apud eos, & minime
„ pertranſirent. *Ego quidem Cephæ, ego*
1. Corint. 1. „ *autem Pauli*, ajunt, *ego vero Apollo.* Sed
„ quid fecerunt vigiles ſobrii, vigiles cir-
„ cumſpecti? non enim poterant ſibi ſuſ-
„ cipere ſponſam, qui benè eam æmula-
„ bantur, qui æmulabantur *Dei æmula-*
„ *tione*, qui deſponderant uni viro vir-
„ ginem caſtam exhibere *Chriſto. Per-*
„ *cuſſerunt me & vulneraverunt me*, ait.
„ Ut quid ita? ni fallor, urgebant, ut
Cant. 5. „ pertranſiret, proinde inventura dile-
„ ctum. Denique etiam *tulerunt pallium*
„ *meum* inquit, haud dubium, quin ut
„ curreret expedita. Animadvertere eſt,
„ quam

„ quam valide percutiat, quibus ſagittis
„ Apoſtolus vulneret eos, qui divertiſſe
„ apud vigiles videbantur: *nunquid Pau-*
„ *lus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine*
„ *Pauli baptizati eſtis?* Et item: *cum enim*
„ *dicit quis: ego ſum Pauli: alius autem:*
„ *ego ſum Apollo: nonne homines eſtis? quid*
„ *ergo eſt Apollo? quid vero Paulus? mini-*
„ *ſtri ejus, cui credidiſtis. Quoniam in me*
„ *ſperavit, liberabo eum*: non in vigilibus,
„ non in homine, non in Angelo, ſed in
„ me, inquit, ſperavit: nihil boni niſi ex
„ me, ne per ipſos expectans: *omne enim*
„ *datum optimum, & omne donum per-* Jacob. 1.
„ *fectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre*
„ *luminum.* Sicuti ergo juxta *Bernardum* omne noſtrum ex Deo bonum; ita omnis ſpes noſtra ad Deum referenda, & in Deo, qui ſolus per ſeipſum & ex ipſo ſperata concedit, ultimum figenda eſt.

§. LXXII.

Qui Deum ſibi habet placatum, etiam omnes Sanctos; & è contra, qui Deum ſibi habet iratum, ſanctos quoque habet iratos.

HAc de cauſa docet Eminentiſſimus *Cardinalis Perronius* infinitè magis miſe-

miſericordiæ Dei, quàm Sanctorum eſſe fidendum; eo quod Dei miſericordia infinitè major ſit miſericordiâ Sanctorum. Unde etiam ſi quis cogitaret Sanctos ſibi infenſos, & hac de cauſa non auſus illorum petere interceſſionem, ſe ad Deum tanquam ipſis infinitè magis miſericordem converteret, quis hoc poſſet
Cap. 63. 16. reprehendere? Nemo arguit illos, qui apud *Iſaiam* ita orant: *Tu enim Pater noſter; Abraham neſcivit nos, & Iſraël ignoravit nos. Tu Domine Pater noſter, Redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum. Neſcit*, inquit *Hieronymus* in illum locum, *nos Abraham, & ignorat Iſraël, quia te offendimus, nec cognoſcunt filios, quos à Deo ſuo intelligunt non amari.* En quomodo *Iſraëlitæ*, non auſi ſe convertere ad Sanctos, Deum tamen orare, tamquam Sanctis infinitè, non ſolum potentiâ, ſed etiam miſericordiâ, præſtantiorem, certi, quod ſi Deum placarent, Sanctos, etſi non rogatos, ultro haberent faventes & comprecatores, juxta il-
Contra Celſum lib. 8. lam *Originis* ſententiam à pluribus Eccleſiæ Scriptoribus & defenſoribus laudatam: unus nobis placandus Deus uni„ verſorum Dominus: unus favor ambien-

„ biendus per pietatem virtuteſque cæ-
„ teras. Si vult (ſcilicet *Celſus*) præter
„ hunc placari etiam alios, cogitet, quod,
„ ſicuti moto corpore, umbra quoque
„ ipſius movetur, ita cum aliquis Deum
„ habet propitium, ſequitur, ut amicos
„ habeat omnes ejus Angelos, animas
„ & ſpiritus cæteros beatiores; quippe
„ qui ſimul & ſentiant, quinam Dei ſint
„ benignitatem commeriti. Nec ſolum
„ ſe hi erga digniores quoſque propitios
„ reddunt; ſed & Deo gratificari volenti-
„ bus opitulantur, hiſque placatiorem
„ hunc faciunt; unàque & ſupplicant, &
„ precantur: & ita, ut affirmare id au-
„ ſim, vel hominibus ultrò, quę potiora
„ ſunt animo deſtinantibus, Deoque
„ ſupplicantibus, poteſtates illas innu-
„ meras, nec uocatas quidem, ultro
„ Deum unà comprecari, generique huic
„ noſtro adeſſe, & cum Dæmonibus,
„ (ut ita dixerim) vel certamen inire,
„ quos viderint eorum impugnare ſalu-
„ tem, qui ſe Deo permiſerunt. Hæc
Origenes, ut doceat Sanctos illis favere,
quibus Deus favet; àb illis eos averti, à
quibus Deus avertitur; eoſque Dei mo-
tum & nutum in omnibus ita ſubſequi,
ac

ac umbra corporis motus obſervat & ſequitur.

Et quamvis ſupponeremus, Beatos ſeſe quandoque Deo iraſcenti opponere, ſicuti *Moyſes* dicenti Deo: *dimitte me ut iraſcatur furor meus*, ſeipſum opponebat, dicens: *quieſcat ira tua*, attamen non inde ſequeretur, Beatos non ſemper ſequi nutum ac motum divinæ voluntatis: nam Deus, qui exterius videbatur *Moyſi* oppoſitus, ipſe intus in corde *Moyſis* operabatur, ut orando diceret: *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum?* Tanta *Moyſis* erga populum dilectio non *Moyſi* à ſeipſo, ſed ex Deo erat: nam charitas ex Deo eſt. Ex Deo ergo erat, quod ſe Deo opponeret; nec à nutu & motione Dei recederet, ſed potius eam, cum ei videretur adverſus, obedientiſſimè ſequeretur. Unde etiam non tam erat contra voluntatem Dei, quam ſecundum eam, & ex illa, quod *Moyſes* ſupplicaret; *eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.*

Exodi., 32. 10. 12.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

Sicut ex Dei miſericordia erga Paulum *erat, quod* Stephanus *pro illo oraret; ita eſt ex Deo peccatoris miſerante, quod* MARIA *oret pro peccatoribus.*

QUare etiam, dum de nonnullis legitur, eos damnandos fuiſſe, niſi pro illis Deipara oraſſet, iſtud eodem modo intelligendum eſt, ſicuti intelligendum iſtud celebre *Auguſtini* effatum: *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Quod profectò non ita intelligendum eſt, ac ſi *Stephanus* prius quam Deus, *Pauli* fuiſſet miſertus; ſed quod *Stephani* oratio præceſſerit *Pauli* converſionem, eamque impetraverit. Verum ut eam impetraret, unde hoc erat? niſi ex Spiritu Sancto, qui in *Stephano gemitibus inenarrabilibus Pauli* poſtulabat converſionem. Deus autem tam efficaciter *Stephanum* movebat ad intercedendum pro *Paulo*, quia ab æterno *Paulum* ſibi elegerat; & quia *Stephano* illam gloriam deſtinaverat, ut ſuis orationibus ad *Pauli* converſionem cooperaretur. Quicquid ergo

ergo miſericordiæ fuit in *Stephano* erga *Paulum*, illud omne ex Deo hauſit; adeo ut *Stephani* pro *Paulo* oratio, Dei fuerit in *Stephano* operatio, quæ tanquam medium, quo *Pauli* juſtificatio à Deo obtineretur, ſecuta eſt æternam *Pauli* electionem, à qua meruit *Vas* dici *Electionis*.

Non abſimili modo ex Deo eſt, quod virgo oret pro peccatoribus, illorumque miſereatur; neque etiam aliam magis ob cauſam illos dicitur à damnatione eripere, quam quia Deus eam elegit ab æterno, & permovit in tempore, ut ſuæ orationis ſuffragio peccatoribus veniam, & miſeris impetraret ſalutem.

Certum ſit ergo, nullam eſſe miſeridiam in virgine, aliiſque ſanctis, quam à Deo non mutuaverint, neque ullum eſſe in illis motum charitatis, qui divinæ miſerationis motum non ſubſequatur; neque etiam illos orare pro miſeris, niſi quia Deus ſuo eos Spiritu excitat ad orandum.

§. LXXIII.

§. LXXIV.

Abominanda eorum vanitas ac ſuperſtitio, qui ob cultum huic illive Sancto impenſum pollicentur ſibi, ſe ex hac vita ſine pænitentia non migraturos.

ASſertâ ergo utilitate invocationis ſanctorum, eaque à nonnullis injuriis vindicata, hæc omnia concludamus auctoritate *primæ Synodi Cameracenſis*, quâ Belgium nunquam vidit celebriorem, quam etiam *ſecunda* ejuſdem Provinciæ *Synodus* luculenter confirmavit. „ Doceatur itaque, inquit, populus, preces Sanctorum admodum utiles eſſe ad impetranda dona, non modo corporalia & temporalia, ſed & ſpiritualia & æterna; ſed tamen abominandam eſſe eorum vanitatem ac ſuperſtitionem, qui certò pollicentur, non ex hac vita migraturos ſine pœnitentia ac ſacramentis eos, qui hunc illumve ex *Divis* coluerint; qui ſecuritatem in rebus agendis, fortunæ certum aut optatum eventum eiſdem promittunt: & ſi quæ alia hujuſmodi proferantur & cre- *Tit. de Sanctis cap. 6.*

„ dantur. Veluti illud quoque planè re-
„ probandum eſt, ſi qui, certo numero,
„ præſcriptaque *Miſſarum* forma aliqua
„ aut precum, affirmant certas deſignataſ-
„ que animas è Purgatorio ſemper libe-
rari. Hæc *Synodus*, cujus ſi Sanctio reli-
gioſè ſervetur, Sanctorum invocatio Ca-
tholicis utilior, & ipſis Acatholicis eva-
det veneranda.

§. LXXV.

Vindicatur Gilbertus Maſius *ab injuria illi illata ob verſiculum;* poſitus in medio, quod me vertam neſcio.

QUia autem ex præpoſtera quadam erga Deiparam fiducia nati videntur hi verſiculi: *Hinc lactor ab ubere, hinc paſcor à vulnere. Poſitus in medio, quo me vertam neſcio. In hoc dulci dubio, dulcis eſt collatio*; de iſtis vexatiſſimis verſibus pauca ſubjungam, quæ *Tractatui* de fiducia erga Deiparam accedent inſtar appendicis.

Poſſem quidem compendii ergo illos omnino præterire, tanquam *S. Auguſtino*, aliiſque ſanctis Eccleſiæ Doctoribus

bus per errorem attributos : verum quia *Gilberto Maſio Sylvæducenſium Epiſcopo*, qui ſe medium inter *Jeſum* crucifixum & *Mariam* lactantem cum his verſibus : *Poſitus in medio, quo me vertam neſcio : in hoc dulci dubio, dulcis eſt collatio*, pingi voluit, Acatholici eos ſolent exprobrare cum his verbis bono Præſuli indignis : O ſot/ keert u tot Godt : ad Illuſtrem Præſulem à tanta injuria vindicandum, eorum genuinum hic ſenſum exponam.

Rivetus hos verſiculos impugnans, dicit Catholicos eo tandem prorupiſſe, ut inſtituerint collationem inter lac Matris & ſanguinem Filii, & ambiguos ſe poſuerint inter utrumque. Non ſe, *Rivete*, Catholici poſuerunt ambiguos inter lac Matris & ſanguinem Filii. Sciunt hunc eſſe *Ieſu Chriſti*, Dei & hominis; illud eſſe *Mariæ*, ſolummodo hominis, quamvis purorum hominum ſanctiſſimę. Sciunt hunc eſſe immenſi pretii; illud pretii limitati. Non hærent ergo dubii in utriuſque æſtimatione, ſi utrumque per ſe ſpectes. Ubi ergo dubia hæſit pii Epiſcopi mens meditabunda? In collatione *Dei exinaniti ad lactis indigentiam*, cum *Deo exinanito ad crucis ignominiam*. Mentes

piè meditabundas non oblectant, aut in *Mariæ* uberibus carnis mollities & lactis dulcedo; aut in *Chriſti* vulneribus acerbus dolor & ſanguinis horror. Uberum mollitie recreatur fœda libido; lactis dulcedine moroſitas infantium delinitur. Acerbo dolore paſcitur livor, crudo ſanguine ſæva immanitas. Animus ſanctus hinc aſpiciens Matrem, cui *Deus pendet ab ubere*, inde contemplans crucem, à qua *Deus pendet in vulnere*, ſapienti dubio exclamat: *Poſitus in medio, quo me vertam, neſcio.* In uberibus Deum infantē lactantibus arridet infantilis ſimplicitas, neſcia iraſci; in crucis cruore arridet patientis manſuetudo, de Judæorum ſævitia triumphans. Ubera *Ieſum* lactantia, eum repręſentant charitate imbecillē; crucis vulnera eum repræſentant charitate fortem. In infantis *Ieſu* imbecillitate relucet dulcedo charitatis; in fortitudine *Chriſti* patientis relucet vis invicta charitatis. In uberibus *Ieſum* lactantibus clarior exhibitio humilitatis, in crucis ignominia magnanimitatis, quæ ſpernit mundi gloriam, ſplendor illuſtrior. Pudebat *Neſtorii* faſtum agnoſcere & revereri *D*eum bimeſtrem & trimeſtrem, quem non

non pudebat agnoſcere *Deum* crucifixum. Contemplatio *Ieſu* è cruce pendentis maxime accommoda, ut nobis repræſentet æternam Dei virtutem & incomprehenſibilem ejus ſapientiam; contemplatio *Ieſu* pendentis à *Mariæ* ubere maximè accommoda, ut nobis repræſentet Dei amorem omnia omnibus factum. Dum itaque *Gilbertus Maſius* hinc contemplatur *Mariam* ſuo *Ieſu* ubera præbentem; inde vero *Ieſum* ſuo ſanguine madidum, hęret dubius non inter Matrem & Filium, ſed inter Filium ætate parvulum, & inter Filium annis majorem. Myſteriis & documentis gravida eſt crux, *quæ tulit Chriſtum Dominum*; Myſteriis & documentis gravida ſunt ubera, *quæ lactaverunt Chriſtum Dominum. Ieſus* crucifixus ſe contemplantibus infinitam præbet ſanctarum cogitationum materiem; *Ieſus* lactens ſe contemplantibus innumeras ingerit cœleſtes affectiones. Sive ergo ſe ad Matrem, ſive ſe Epiſcopus verteret ad Crucem, ad *Ieſum* ſe vertebat, in ſinu *Mariæ* adoratum à magis, in cruce deriſum à Judæis. Ibi verbum infans; hic verbum expirans; utrobique *Verbum caro factum, Ieſus* & Redemptor

noſter. Scurriliter ergo illius picturæ ſubſcripſit, qui illi ſubſcripſit, **o ſot/ keert u tot Godt.** Id eſt, *ô inſane, te ad Deum converte.*

§. LXXVI.

Nihil nimium in externo apparatu, quo ex decretis Eccleſiæ coluntur Sancti. Dies feſti recte inſtituti in Sanctorum memoriam.

QUæ hactenus de cultu Deiparę diſſeruimus, evincunt nihil eſſe in *amore, laude*, & *fiducia*, quibus Eccleſia Catholica Deiparam veneratur, quod honori, qui uni Deo & Filio ejus *Ieſu Chriſto* debetur, non apprime conſentiat. Supereſt, ut oſtendamus, nihil quoque eſſe in externo apparatu, quo Eccleſia Deiparam, alioſque Sanctos docet colendos, quod deroget Religioni, quæ uni Deo debetur. Hic apparatus conſiſtit in *diebus feſtis*, *Sacrificiis in memoriam Deiparæ*, *aliorumque Sanctorum* Deo oblatis, item in *votis*, *Altaribus*, *Baſilicis* & *Imaginibus*.

Georgius Caſſander conſultatione ſæpius memorata, ait, quod vulgi imperitia divinos honores Sanctis attribuit, ut cum

tem-

templa, araæ, ſacrificia, ſacerdotia, vota, feſti dies, non tantum memoriæ (ut veteres loquebantur) ſed honori & cultui Sanctorum conſecrata putantur. *Rivetus*, *Dalæus*, aliique Acatholici *Caſſandrum* non ſolum ſecuti, ſed longe prætergreſſi, non vulgi imperitiam, ſed canam Eccleſiæ ſapientiam hac in re idololatriæ & novitatis accuſant.

Ait *Dalæus* tribus primis à *Chriſto* ſæculis nullos dies feſtos ſanctorum memoriæ recolendæ fuiſſe inſtitutos. Verum inſigniter fallitur. Nam Smyrnenſis Eccleſia, cujus Epiſtolam ad Eccleſias *Ponti* refert *Euſebius*, ſcribit, quod *S. Polycarpi* Reliquias auro & argento pretioſiores congruo loco repoſuerit, ut annuum ejus Martyrii diem cum gaudio celebraret: *oſſa ejus*, inquiunt *Smyrnenſes*, *potiora lapillis pretioſis, auroque puriora, ex cineribus ſelecta, eo loco repoſuimus, qui illis erat decorus conſentaneusque: ubi ſane nobis in unum aliquando coactis Dominus præſtabit, ut celebrem ejus martyrii diem, inſtar natalis feſti, cum exultatione & gaudio, quantum fieri poteſt, maximo recolamus: idque cum ad martyrum memoriam, qui antè tale certamen confecerunt;*

Lib. 3. de objecto cultus religioſi cap. 3.

Lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 14.

tum ad eorum exercitationem, mentiſque ad talem conſtantiam præparationem, qui poſtea Chriſtum *eo genere mortis ingenue confeſſuri ſint*. Hæc in medio ſecundi poſt *Chriſtum* ſeculi *Smyrnenſis* Eccleſia, ab Apoſtolis fundata, in Apocalypſi claro celebrata præconio. Sub finem ſecundi ſæculi imperante *Severo* teſtatur *Tertullianus* ea inter, quæ ex traditionis auctoritate fideles exercerent, eſſe oblationes, quas pro natalitiis annua die facerent. Natalitia autem, quę annua die celebrat Eccleſia, non ſunt ea, quibus naſcuntur in mundo peccatores, ſed quibus per beatam mortem juſti naſcuntur in cœlo. Paganicæ vanitatis ac ſuperbię fuit, non vero Chriſtianæ Religionis, dies natales in mundo annua lætitia celebrare: undę etiam advertit *S. Hieronymus*, quod nemo vir juſtus legatur in ſcriptura proprium celebraſſe Natalem. Natalitia ergo, quæ *Tertullianus* dicit ex traditione à Chriſtianis annue celebrari, ea erant, quibus non mortales, ſed immortales & beati naſcebantur in cœlo è mundi ergaſtulo diſcedentes. Quid autem eſt annuos dies pro Natalitiis celebrare, niſi ad celebrandam Sanctorum memoriam agere

De Pallio. c. 3.

In cap. 14. *Matt:*

agere dies feſtos? *Origines* ſub *Alexandro Severo* ſub initium tertii à *Chriſto* ſæculi ait, *Infantium innocentium memoriam ſemper, ut dignum eſt, in Eccleſiis celebrari, ſecundum integrum ordinem Sanctorum, ut Primorum Martyrum pro Domino occiſorum.* In medio tertii ſæculi teſtatur *Cyprianus* anniverſarios Martyrum dies in Eccleſiis celebrari: unde ſuis Presbyteris & Diaconis præcipit, ut diligenter annotarent dies eorum, qui pro confeſſione Domini carceribus incluſi ante torturas morerentur, ut etiam illorum inter Martyres annua haberetur memoria. *Dies eorum, quibus excedunt,* inquit, *annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus.* En ſecundi & tertii ſæculi illuſtriſſima teſtimonia: quibus fit perſpicuum, apud illorum ſæculorum Chriſtianos, tam in *Græca* quàm *Latina* Eccleſia, certos dies fuiſſe deſignatos, quibus martyrum memoria celebraretur. Quod cum *Dalæus*, *Cypriani* teſtimonio convictus, negare non poſſet; fatetur homini cuivis in pietate ac fide, maxime vero ob *Chriſti* nomen mortuo, tribui ac deferri fas eſſe; ſcilicet ut ejus

Homil. 3. in diverſos.

Epiſt. 57.

Dalæ: lib. 3. de objecto cultus relig. cap. 3.

tum ad eorum exercitationem, mentiſque ad talem conſtantiam præparationem, qui poſtea Chriſtum *eo genere mortis ingenue confeſſuri ſint*. Hæc in medio ſecundi poſt *Chriſtum* ſeculi *Smyrnenſis* Eccleſia, ab Apoſtolis fundata, in Apocalypſi claro celebrata præconio. Sub finem ſecundi ſæculi imperante *Severo* teſtatur *Tertullianus* ea inter, quæ ex traditionis auctoritate fideles exercerent, eſſe oblationes, quas pro natalitiis annua die facerent. Natalitia autem, quę annua die celebrat Eccleſia, non ſunt ea, quibus naſcuntur in mundo peccatores, ſed quibus per beatam mortem juſti naſcuntur in cœlo. Paganicæ vanitatis ac ſuperbię fuit, non vero Chriſtianæ Religionis, dies natales in mundo annua lætitia celebrare: unde etiam advertit *S. Hieronymus*, quod nemo vir juſtus legatur in ſcriptura proprium celebraſſe Natalem. Natalitia ergo, quæ *Tertullianus* dicit ex traditione à Chriſtianis annue celebrari, ea erant, quibus non mortales, ſed immortales & beati naſcebantur in cœlo è mundi ergaſtulo diſcedentes. Quid autem eſt annuos dies pro Natalitiis celebrare, niſi ad celebrandam Sanctorum memoriam agere

De Pallio. c. 3.

In cap. 14. *Matt:*

agere dies feſtos? *Origines* ſub *Alexandro Severo* ſub initium tertii à *Chriſto* ſæculi ait, *Infantium innocentium memoriam ſemper, ut dignum eſt, in Eccleſiis celebrari, ſecundum integrum ordinem Sanctorum, ut Primorum Martyrum pro Domino occiſorum.* In medio tertii ſæculi teſtatur *Cyprianus* anniverſarios Martyrum dies in Eccleſiis celebrari: unde ſuis Presbyteris & Diaconis præcipit, ut diligenter annotarent dies eorum, qui pro confeſſione Domini carceribus incluſi ante torturas morerentur, ut etiam illorum inter Martyres annua haberetur memoria. *Dies eorum, quibus excedunt,* inquit, *annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus.* En ſecundi & tertii ſæculi illuſtriſſima teſtimonia: quibus fit perſpicuum, apud illorum ſæculorum Chriſtianos, tam in *Græca* quàm *Latina* Eccleſia, certos dies fuiſſe deſignatos, quibus martyrum memoria celebraretur. Quod cum *Dalæus*, *Cypriani* teſtimonio convictus, negare non poſſet; fatetur homini cuivis in pietate ac fide, maxime vero ob *Chriſti* nomen mortuo, tribui ac deferri fas eſſe; ſcilicet ut ejus

Homil. 3. in diverſos.

Epiſt. 57.

Dalæ: lib. 3. de objecto cultus relig. cap. 3.

memoria in Eccleſia certo die celebretur.

§. LXXVII.

Celebrare Sanctorum memoriam, eſt Sanctos honorare.

CUm hac in re *Dalæum* habeamus confitentem, nempe quod certi poſſint deſignari dies, quibus non ſolum martyrum, ſed quorumvis hominum in fide ac pietate mortuorum, celebretur memoria; neſcio quid ſibi velit *Dalæus* & præſertim *Rivetus*, quando ait in primitiva trium priorum ſæculorum Eccleſia nullam fieri mentionem feſtorum in honorem ullius creaturæ, ſive *Mariæ* ſive alicujus ſancti: cum enim ipſi fateantur dies certos fuiſſe deſignatos ad celebrandam ſanctorum memoriam, quomodo negare poſſunt, illos non fuiſſe deſignatos in honorem ſanctorum? Celebrare memoriam ſanctorum quid eſt aliud, quam honorificam illorum mentionem facere? quam illorum virtutes & præclarè geſta ob oculos ponere? quam ob illorum merita & præmia Deo gratias agere? quam illorum felicitati congratulari? quam illorum ſe exemplo excitare? inep-

Lib. 2. Apolog: pro Virg. MARIA *cap.* 13.

ineptiunt ergo Miniſtri, quando docent poſſe dies inſtitui ad celebrandam ſanctorum memoriam, ſed non ad illos honorandos, cum ipſorum memoriam celebrare non ſit aliud, quam ipſos honorare. Unde etiam miſeret me *Riveti*, quando *Pontificiis* quaſi grande crimen exprobrat, quod dicat *Bellarminus*: *honorem dierum feſtorum immediatè & terminative etiam pertinere ad ſanctos.* Quid eſt enim honorem dierum feſtorum *immediatè & terminativè* etiam ſpectare ad ſanctos, niſi memoriam ſive mentionem honorificam, quæ de Sanctis habetur in diebus feſtis, *immediatè & terminativè* etiam pertinere ad Sanctos? Poteſtne memoria & mentio de aliquo non pertinere *immediatè* ad illum, de quo mentio habetur? poteſtne mentio honorifica de aliquo haberi, niſi illa mentio honorifica ad illum ſpectet? poteſtne eſſe de aliquo cogitatio, niſi illa cogitatio ad illum terminetur?

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Dies in Sanctorum memoriam inſtituti, Deo dedicati & ſacri ſunt.

EX his apparet, velit nolit *Rivetus*, honorem dierum feſtorum, qui apud *Anglos* prætenſè Reformatos annuè celebrantur, eatenus terminari ad Sanctos, quatenus Sanctorum illis diebus honorifica mentio habetur. Niſi fortè *Rivetus* putet *Anglos* honorificam de Sanctis poſſe habere memoriam, abſque eo, quod illa memoria Sanctos reſpiciat, ſive ad Sanctos terminetur. Quod profectò tam eſt impoſſibile, ac impoſſibile eſt, ut cogitatio de *Petro* non terminetur ad *Petrum*, ſive non ſit cogitatio de *Petro*. Nam cogitationem de *Petro* terminari ad *Petrum*, nihil eſt aliud, quam cogitationem de *Petro*, eſſe cogitationem de *Petro*.

Deinde citato mox capite dicit *Rivetus*, ut ſuorum *Anglorum* dies feſtos ad ſanctorum honorem inſtitutos, & ab illorum nomine vocatos, à Catholicorum feſtis diſtinguat, *Anglorum* feſtos dies eſſe Deo ſacros, ut laudibus celebrent

nomen

nomen ejus, pro beneficiis, quæ Sanctorum merito impertivit. Verum eodem loco, ubi *Rivetus* apud *Bellarminum* legit, *honorem feſtorum immediate & terminative quoque pertinere ad Sanctos*, ibidem non potuit non legiſſe hæc *Bellarmini* verba: *Dico primo, feſta Sanctorum Deo dicari, ſed in ſanctorum memoriam: quemadmodum templa ſacrantur Deo in memoriam Sanctorum.* Ergo etiam apud Catholicos dies feſti ſanctorum Deo ſunt ſacri & dicati.

Ante *Bellarminum* in ſua Decalogi explicatione ſcripſit, unus ex *Concilii Tri-* *De feſtis*
dentini Aſſeſſoribus, *Joannes Heſſelius*; *Sanct.*
Sanctorum feſta non Sanctis, ſed *Chriſto* *cap.* 102.
Salvatori eſſe dicata. „ Hinc enim eſt,
„ quod Eccleſia non recolit certis diebus
„ Sanctos veteris Teſtamenti: quia jam
„ non *Chriſtum* naſciturum expectamus
„ (quod prędixerunt ſancti in veteri Te-
„ ſtamento) ſed *Chriſtum* natum eſſe
„ gaudemus, ſicut ſancti poſt ejus Paſ-
„ ſionem confeſſi ſunt. Hinc *Mariam*
„ virginem, in cujus utero tremendum
„ incarnationis myſterium perfectum eſt,
„ tantopere celebramus, non contenti
„ illo die, quo migravit ad cœlos, eam
colere;

„ colere; ſed & ejus initia, conceptio-
„ nem atque natalem, ob incarnationis
„ *Chriſti* amorem libentiſſimè honora-
„ mus: præſertim cum ſciamus, eam fi-
„ liorum *Evæ* Advocatam conſtitutam,
„ quæ per fidem ſolvit, quod *Eva* per
„ incredulitatem alligavit. Certè fidei
„ pietas undique colligit occaſionem gra-
„ tias agendi pro adventu, & tota diſ-
„ penſatione Dei & hominis. Unde
„ etiam facile videmus, feſtum *Inventio-*
„ *nis* ſive *Exaltationis Crucis Chriſti* eſſe
„ ſuſceptum: fides enim non ſatiatur me-
Joan. I. 29. „ moriâ Paſſionis *Chriſti*. *Joannes* quoque
„ *Baptiſta*, qui *agnum tollentem peccatum*
„ *mundi*, mirabili prędicatione pœniten-
„ tię & baptiſmo ſuo præcucurrit, & po-
„ ſtea palam adeſſe teſtatus eſt, pietate
„ vitæ fide digniſſimus teſtis, natali ſuo
„ (ante quem etiam *Chriſto* teſtimonium
„ perhibuit) lætiſſimum nobis facit diem.
Luc. I. 41. „ *Apoſtolos* autem, tanquam *Chriſti*
„ regnantis legatos, per quos de te-
„ nebris infidelitatis ad cognitionem
„ ejus pervenimus, qui primi planta-
„ verunt fidem in cordibus noſtris,
„ nunquam poſſumus celebrare ſatis. In-
„ ter eos tamen præcipue honoramus
Pe-

„ *Petrum* & *Paulum*: non ſolum, quia
„ nobis Occidentalibus Apoſtoli miſſi
„ ſunt, & apud nos pro *Chriſto* ſangui-
„ nem ſuum fuderunt: ſed etiam, quia
„ in his magna myſteria agnoſcimus. Ille
„ enim fundamentum Eccleſiæ tanquam
„ firmiſſima quædam rupes, verè *Petrus*, Matt: 16.
„ à *Chriſto* conſtitutus eſt: cujus firmita- 18.
„ te fiet, ut portæ inferi nunquam præ-
„ valeant adverſus Eccleſiam; cujus fides Luc: 22.
„ indeficiens propter *Chriſti* preces con- 32.
„ ſolidabit & confirmabit, & paſcet oves
„ *Chriſti*, donec *Chriſtus* iterum adve-
„ niet. Hic verò præcipuus *prædicator* Act: 9. 1.
„ *gratiæ Chriſti* à Deo conſtitutus eſt, qui
„ non verbo tantum, ſed & mirabili con-
„ verſione ſuâ, admirandâque vita, & tot
„ gentium impiiſſimarum converſione
„ gratiam Dei manifeſtavit. Ob quæ my-
„ ſteria recolenda, etiam plura feſta in
„ utriusque Apoſtoli honorem meritò
„ ab Eccleſia ſunt dedicata: *Paulo* quidem
„ feſtum *converſionis*; *Petro* verò *cathe-*
„ *dræ* & *vinculorum*, præter amborum na-
„ talem. &c. Hæc *Heſſelius*, qui ibidem
piè & erudite exponit, quâ ratione om-
nia feſta *Chriſto* ſint ſacra, & eo præcipuè
tendant, ut fideles celebrando ſancto-
tum

rum memoriam in fide, ſpe & amore *Chriſti* firmentur & creſcant. Quare meritò laudatam ſuam expoſitionem, quam omnibus, quibùs prædicandi munus incumbit, cupio eſſe notiſſimam, his verbis concludit: *ſane ſi ſingulorum feſtorum myſteria, quantumvis imperitis explicentur utcumque, non facile invenietur aliquis tam obtuſus, ut ea myſteria fidei, quæ quilibet Chriſtianus noſſe tenetur, ignoret.* Ex his videbit *Rivetus*, non minus apud Catholicos, quos impugnat; quam apud *Anglos*, quos defendit, feſtos ſanctorum dies Deo eſſe dicatos: ſimul etiam diſcet ex *Heſſelii* verbis, quâm immeritò ſtomachetur, quia non unum Deiparæ feſtum, ſed plura concelebrat Eccleſia.

§. LXXIX.

Eccleſia in conceptione B. MARIÆ *virginis celebrat id, quod merito celebrandum.*

ANtequam ab hac de feſtis materia manum dimoveam, omittere non poſſum quin attingam *objectionem*, quâ ajunt nos *conceptionem B. Mariæ* celebrando, celebrare conceptionem quæ origi-

originis eſt maculata peccato, vel ſaltem de qua contrarium non omnino conſtat. Huic argumento reſpondens Eruditiſſimus *Bellarminus* dicit: „ Fundamentum hujus Feſti præcipuum non eſſe conceptionem immaculatam, ſed ſimpliciter conceptionem matris Dei futuræ. Qualiſcumque enim fuerit illa conceptio, eo ipſo, quod conceptio fuit matris Dei, ſingulare gaudium affert mundo ejus memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis, præſertim cum non ſine miraculo ex matre ſterili concepta fuerit. Itaque hoc feſtum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.

Lib. 3. de cultu Sanct. cap. 16.

„ Dices, hoc modo etiam *Joannis Baptiſtæ* conceptio celebrari poſſet. Reſpondeo, poſſet ſanè, ut *Græci* faciunt. Nam in *Kalendario Græcorum* die 23. Septembris annotatur Feſtum conceptionis *Joannis Baptiſtæ*: ſed Eccleſiæ *Latinæ* non eſt viſum tot feſta multiplicare. Et præterea magnum eſt diſcrimen inter Matrem Dei, & precurſorem ejuſdem, & inter utriuſque conceptionem. Nam quia major pars Ec-

„ cleſię piè credit immaculatam conceptionem, inde habuit eadem Eccleſia occaſionem inſtituendi hoc feſtum, quam occaſionem non habuit ad inſtituendum feſtum de conceptione *J. Baptiſtæ*.

„ Porro *B. Bernardi* ſententia nobis favet, ille enim reprehendit Canonicos *Lugdunenſes*, quod ſine exemplo, vel præcepto *Romanæ* Eccleſiæ novum Feſtum inſtituiſſent. Si ergo nunc *B. Bernardus* videret ex auctoritate *Romanæ* Eccleſiæ Feſtum celebrari, etiam ipſe libentiſſimè celebraret.

„ Ad rationem autem *Bernardi* dico, nos nec peccatum honorare, nec inducere falſam ſanctitatem, etiamſi Virgo in peccato concepta eſſet; ſed honorare officium Matris Dei, ad quod ab ipſa conceptione deſignata fuit. Nam idem *Bernardus* ibidem dicit, ſe non audere aſſerere ſanctificationem *Joannis* in utero deleviſſe originale peccatum, licet hoc pium ſit credere. Si ergo ita adverſus *Bernardum* argumentarer; colis Feſtum *nativitatis Joannis*, quem non audes aſſerere natum ſine peccato, ergo vel honoras peccatum, vel inducis incertam ſanctitatem. Reſponderet

Ber-

„ *Bernardus*, nec peccatum ſe honorare, „ nec inducere incertam ſanctitatem; ſed „ honorare officium præcurſoris,ad quod „ ſanctificatus fuit ad huc in utero matris „ exiſtens. Idem ego reſpondeo illi de „ conceptione *B. Mariæ*.

„ Quod ſi ipſe quæreret, unde habea-„ mus *B. Mariam* ab ipſa conceptione „ ſanctificatam, ſaltem ad hoc, ut eſſet „ Mater Dei deſignata? Reſponderem, „ inde nos hoc didiciſſe, unde ipſe didi-„ cit, *B. Mariam* ab ipſa nativitate ſan-„ ctam fuiſſe. Aſſerit enim ibidem, ex „ eo, quod Eccleſia jam tunc celebra-„ bat B. Virginis ortum, ſe nihil dubita-„ re, quin ortus ille ſanctus fuerit; & „ nos ergo ex eo, quod Eccleſia celebrat „ Feſtum conceptionis, nihil dubitamus, „ conceptionem illam ſanctam aliquo „ modo fuiſſe, ac ſaltem ratione officii, „ ad quod aſſumebatur.

Hęc *Bellarminus*, ex cujus verbis patet, Eccleſiam juſtis de cauſis celebrare Conceptionem *Deiparæ*, quantumvis ſupponeretur illam ab originis vitio non fuiſſe exemptam. Etenim in illa celebrat non vitium originis, quod provenit ex parentum libidine, ſed munus inſpe-

ratæ fędunditatis, quod provenit ex Deo auctore. *Abraham* & *Sara* religiosè gaudebant in conceptione & nativitate *Iſaaci*, quamtumvis peccato infectis; quia non gaudebant ob conceptionis fœditatem, ſed ob divinæ promiſſionis fidelitatem, quæ *Saræ*, tum vitio corporis, tum annorum numero ſterili filium promiſerat; & pręſertim religioſo gaudio gaudebant, quia gaudebant non ob originis contagionem, ſed ob miſericordem Dei electionem, qui *Iſaacum* elegerat, ut ex illius ſemine naſceretur ille, in quo omnes terræ gentes benedicerentur.

Chriſtiani conjuges dum in ſe conceptum, & ex ſe natum infantem advertunt, Creatori & Salvatori gratias religiosè referunt, non quia infantem in peccatis conceperunt, ſed quia fæditate libidinis, quę ab ipſis eſt, non impeditum eſt munus naturalis fæcunditatis, quæ à Deo Creatore eſt; & præſertim religiosè gaudent, quia ſperant, quod conceptus in eis, & ex eis natus infans, ſacratiſſimo regenerationis honore donatus evadet in filium Dei, *Chriſti* fratrem, Dei hęredem & *Chriſti* cohæredem. Ob ſimilia Dei dona exultant priva-

vatæ familiæ. Ob altiſſima Dei conſilia, quibus *Mariam* Deus condidit, exultat Eccleſia in feſto Conceptionis ejus, colens ſanctimoniam divinorum conſiliorum; ſicuti, agens anniverſarium diem *Chriſti* patientis, nôn celebrat, quod in ejus paſſione eſt ex furore & perfidia Judęorum; ſed quod in illa eſt ex Dei immenſa charitate. In ſeminibus furto ablatis, ex quibus naſcitur copioſa ſeges, deteſtari potes, furti malitiam, quæ ab homine eſt, & potes mirari & laudare ſegetis abundantiam, quæ ex Deo creante eſt. His dictis de celebratione feſtorum, quæ ad celebrandam Deip: & SS. memoriam inſtituta ſunt, tranſeamus ad ſacrificia.

LXXX.

Sacrificium, quod uni & ſoli Deo debetur, recte offertur in ſanctorum memoriam ſive honorem.

VIx ullus eſt in Eccleſia Catholica tam rudis & infans, qui non ſciat ſoli Deo Sacrificium deberi, ſive ſit *Sacrificium laudis*, ſive *cordis contribulati*, ſive *Eleëmoſynarum*, ſive ſit *Sacrificium Altaris*. Omne Sacrificium uni & ſoli Deo

debetur, quia Sacrificium eſt profeſſio, qua profitemur nos Deum agnoſcere ut Creatorem, Rectorem, & noſtrum Beatificatorem. *Laus*, quatenus *Sacrificium* eſt, illi uni debetur, quia *Laus*, quatenus *Sacrificium*, eſt oris profeſſio, quod Deus ſit prima origo omnis boni. *Contritio cordis*, quatenus Sacrificium eſt, uni Deo debetur, quia eſt recognitio, quod ipſe ſit æterna juſtitiæ regula, quam amantes ſequi debemus, & quam nos non eſſe ſecutos, ſummè dolere debemus. *Eleëmoſyna* quatenus *Sacrificium* eſt, uni Deo debetur, quia per illam profitemur, quod, quę de manu ejus accepimus, ipſi reddamus per pauperum manus, velut per vivum & bajulum Altare.

Quantum vero ad *Altaris Sacrificium*, quod proprii nominis & non metaphoricè *Sacrificium* eſt, omnes Catholici libenter ſubſcribunt iſtis *Auguſtini* verbis:

Lib. 20. *contra fauſtum cap.* 21.

„ Populus autem Chriſtianus memorias „ Martyrum religioſa ſolemnitate con-„ celebrat, & ad excitandam imitatio-„ nem, & ut meritis eorum conſocie-„ tur, atque orationibus adjuvetur: ita „ tamen, ut nulli Martyrum, ſed ipſi „ Deo Martyrum conſtituamus Altaria.

Quis

„ Quis enim Antiſtitum in locis ſancto-
„ rum corporum aſſiſtens altari, aliquan-
„ do dixit: Offerimus tibi *Petre* aut *Pau-*
„ *le*, aut *Cypriane* ? ſed quod offertur,
„ offertur Deo, qui Martyres coronavit,
„ apud memorias eorum, quos corona-
„ vit: ut ex ipſorum locorum admoni-
„ tione major affectus exurgat ad acuen-
„ dam charitatem, & in illos, quos imi-
„ tari poſſumus, & in illum, quo adju-
„ vante, poſſumus. Unde etiam Eccle-
ſia habet *Collyridianos* pro hæreticis, quia
Mariæ ſacrificandum docuerunt. „ Et *Seſſ. 22. cap. 3.*
„ quamvis, uti ait *Conc. Trid.* in hono-
„ rem & memoriam Sanctorum, non-
„ nullas interdum Miſſas Eccleſia cele-
„ brare conſueverit; non tamen illis ſa-
„ crificium offerri docet, ſed ſoli Deo,
„ qui illos coronavit; unde nec ſacerdos
„ dicere ſolet; offero tibi ſacrificium *Pe-*
„ *tre* vel *Paule*, ſed Deo de illorum vi-
„ ctoriis gratias agens, eorum patroci-
„ nia implorat, ut ipſi pro nobis interce-
„ dere dignentur in cœlis, quorum me-
„ moriam agimus in terris.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Mos in memoriam ſanctorum Deo ſacrificandi non eſt novus.

Lib. 3. de object. cult. relig. cap. 3.

D*Alæus* contra praxim Eccleſiæ, quę Deo ſacrificat in honorem ſanctorum ac præſertim Deiparæ, duo obiicit. *Primo*: illam accuſat novitatis, aſſerens eam tribus primis ſęculis fuiſſe plané ignotam. *Secundo*: ait illud fieri contra omnem rationem. „ Nam, inquit, quicquid dicant (nempe Catholici) clarum „ eſt ſacrificium, propriè inquàm dictum, „ unumquodque in ejus, cui offertur; „ non autem in alterius, cui non offer- „ tur; minimè verò omnium in ejus, pro „ quo offertur, honorem fieri: hæc ille ferociter.

Lib. 1. rerum Liturg. cap. 15.

Ad *Primam* ejus *objectionem* refellendam, exſcribam, quæ eam contra ſcripſit Eminent: *Bona*: „ Aliæ Miſſæ ſunt, „ inquiens, quæ in honorem Sanctorum „ agi ſolent, cum eorum memoria an- „ nua ſolemnitate recolitur. Audiendus „ de his *Cyprianus epiſt.* 34. *Sacrificia pro* „ *eis, pro eorum ſcilicet honore, ſemper* „ *offerimus, quoties Martyrum paſſiones,*

„ &

„ *& dies anniverſaria commemoratione* „ *celebramus*. Et Epiſtola 37. ad Clerum „ ſuum, diligenter annotari mandat „ dies, quibus Martyres excedunt, ac „ ſibi ſignificari; *ut*, inquit, *celebrentur* „ *hic à nobis oblationes & ſacrificia ob* „ *commemorationes eorum*; quo teſtimo- „ nio nullum præſtantius. Ad idem re- „ ſpexit *Cypriani* magiſter *Tertullianus*, „ cum libro de corona militis cap. 3. ait, „ *oblationes pro natalitiis annua die faci-* „ *mus*. Quem locum malè detorquet *Rhe-* „ *nanus* ad cujuſque diem natalem more „ Ethnicorum; quod valde alienum eſt „ à ſpiritu Chriſtianorum illius ævi, & à „ ſeveritate *Tertulliani*. Confirmant ejuſ- „ dem ritus antiquitatem Eccleſię *Smyr-* „ *nenſis* Fideles in epiſtola, qua *Polycar-* „ *pi* martyrium deſcribunt apud *Euſebium* „ lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 15. ejuſque „ oſſa ſe colligiſſe ajunt, & in loco de- „ centi condidiſſe, & in eodem loco na- „ talem ipſius hilari conventu, qui ſine „ Sacrificio non erat, quotannis celebra- „ turos. Subſcribit *Auguſtinus* lib. 8. de „ Civitat. cap. 27. ubi docet, non San- „ ctis Martyribus, ſed Deo ſacrificium „ offerri, cum ſacerdotes in honorem

„ ipſorum ſacrum faciunt. *Quis*, inquit, „ *audivit aliquando ſtantem ſacerdotem ad* „ *altare etiam ſuper ſanctum corpus Mar-* „ *tyris ad Dei honorem*, *cultumque conſtru-* „ *ctum*, *dicere in precibus* : *Offero tibi Sa-* „ *crificium Petre*, *vel Paule*, *vel Cypria-* „ *ne*, *cum apud eorum memorias offeratur* „ *Deo*, *qui eos homines & Martyres fe-* „ *cit*. Hęc Eminent. *Bona* ex Patribus, „ ut probet Sacrificia in honorem San-ctorum fuiſſe oblata.

§. LXXXII.

Oſtenditur Cyprianum *de veri nominis Sacrificio fuiſſe locutum*, *quando ſe dixit pro illis offerre Sacrificia*.

D*Alæus*, ut neget in honorem Martyrum tribus primis Eccleſiæ ſæculis unquamDeo Sacrificium fuiſſe oblatum, contendit per ſacrificia & Oblationes in *Cypriani* verbis, non veri nominis Sacrificia, ſed gratiarum actiones & laudes intelligendas eſſe, quę annuis diebus pro Martyrum morte, fortitudine, ac ſalute Deo offerebantur, & quæ ex trita Scripturę phraſi non propriè, ſed metaphori-

phoricè Sacrificia dicuntur. Verum quicquid dicat *Dalæus*, agitur in *Cypriani* verbis de veri nominis Sacrificio, nempe oblatione corporis & ſanguinis Domini, quod per publicum Altaris miniſtrum ſive Sacerdotem, qualis ipſe erat *Cyprianus*, Deo offerebatur, licet unà ageretur de gratiarum actionibus, laudibus, & precibus, quę Deo ſub Sacrificii actione, tempore *Cypriani*, ut etiam nunc hodie offeruntur. *Cyprianum* loqui de vero Sacrificio, nempe oblatione corporis & ſanguinis *Chriſti* patet ex ejus Epiſtola ad *Cæcilium*, quæ tota in hoc verſatur, ut doceat in calice Domini offerendo vinum & aquam miſceri debere. *Epiſt. 63.* Unde in citata ait Epiſtola: *Sic autem in Sanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam, ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſit ſola, plebs, quæ per aquam denotatur, incipit eſſe ſine Chriſto.* En quomodo ibi agat non de ſola precis oblatione, ſed de oblatione calicis Domini. Deinde paulò poſt de ejuſdem calicis oblatione non minus expreſſe loquitur: „ Si „ *Chriſtus* Dominus & Deus noſter ipſe „ eſt

„ eſt ſummus ſacerdos *D*ei Patris, & Sa-„ crificium *D*eo Patri ipſe primus obtu-„ lit, & hoc fieri in ſui commemoratio-„ nem præcepit; utique ille ſacerdos vi-„ ce *Chriſti* verè fungitur, qui id, quod „ *Chriſtus* fecit, imitatur, & Sacrificium „ verum & plenum tunc offert in Eccle-„ ſia *D*eo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſicut „ ſecundum quod ipſum *Chriſtum* videat „ obtuliſſe. Cæterum omnis religionis „ & veritatis diſciplina ſubvertitur..... niſi „ ſi in Sacrificiis matutinis, hoc quis vere-„ tur, ne per ſaporem vini redoleat ſangui-„ nem *Chriſti*. Sic ergo incipit & à Paſſio-„ ne *Chriſti* in perſecutionibus fraternitas „ retardari, dum in oblationibus diſcit de „ ſanguine ejus & cruore confundi. Hæc *Cyprianus*, ex cujus verbis conſtat, ibi non agi de oblatione precum, ſed calicis Domini; ibi non eſſe contentionem de gratiarum actione *D*eo offerenda, ſed de Sacrificio ſanguinis Domini; utrum nempe ſub ſola aquæ ſpecie offerri poſ-ſet: ibi non dici tunc eſſe ſacrificium verum & plenum, quando ſacerdos gratias agit, ut *Chriſtus* Patri egit, ſed quando calicem *D*omini non ſola aqua, ſed ex vino & aqua temperatum Deo Patri offert, quemadmodum *Cyprianus* ibi do-

cet iſtum calicem ab ipſo *Chriſto* ſummo Sacerdote fuiſſe oblatum. Ex *Epiſt*: *Cypr*: 64. & 68. aliiſq; clariſſime poteſt demonſtrari *Cyprian*: Epiſt: ſupra allegatis agere non de ſola precum oblatione, ſed etiam de oblatione rei ſenſibilis & manu Sacerdotis tractandæ, & Altari imponendæ; ſed, quæ ex epiſtola ad *Cæcilium* adduximus, tam clara ſunt, ut nulla tergiverſatione obſcurari poſſint. Porro ut *Cypriani* verba detorquet *Dalæus* à vero ſenſu; ita quoque detorquet verba *Rigaltii* exponentis hæc verba *Cypriani*: *Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Hæc verba commentans *Rigaltius* ſic loquitur: *Laudes ſignificat, quas Chriſtiani ſacris anniverſariis Deo dicebant, commemoratis eorum nominibus, qui Martyrium obierant.* Etenim vox *laudes* apud *Rigaltium* non eſt expoſitio vocis *ſacrificia*, ſed *commemorationis*, quę inter ſacrificia celebrabatur. Quod autem *Cyprianus* vocat *Sacrificia*, hoc vocat *Rigaltius*, *Sacra*, ex more hodierno, quo ſacrificium oblaturi, aut ejus oblationem noſtra præſentia honeſtaturi, dicimus nos *Sa-*

Sacrum facturos, aut *Sacrum* audituros.

§. LXXXIII.

Ex eo, quod fatentibus Acatholicis ſacrificium laudis Deo in honorem ſanctorum licet offerre, oſtenditur, quod etiam proprii nominis ſacrificium ad illorum honorem poſſit offerri.

SEd ut clariſſimè conſtet *Dalæum* oleum & operam perdere, dum ſumma contentione probare nititur, quod externum ſacrificium non poſſit Deo offerri ad Deiparæ aut Martyrum honorem, non alio utar argumento, quam quod ipſe haud obſcurè concedit, nempe ſacrificium laudis Deo offerri poſſe ad honorem Deiparæ. Et, ſi quis illud negaret, ferè omnibus *Davidis* Pſalmis convinceretur. Ut de aliis taceam, Pſalmi 1. 118. 148. 149. 150, dum à devotis Deo cordibus decantantur, ſunt ſacrificia laudis uni Deo ſacra, uni & ſoli Deo debita, & ideo uni & ſoli Deo offerenda; & tamen una ſunt in honorem juſtorum & ſanctorum, utpote eorum virtutem, glo-

gloriam, & potentiam celebrantia. Sacrificium laudis Deo obtulit *Zacharias*, & Deo offert Eccleſia, quando canit Pſalmum *Benedictus Dominus Deus Iſraël &c.* & tamen illud laudis ſacrificium *Joanni Baptiſtæ* cedit ad honorem, quia *Baptiſtæ* officium & virtus in illo referuntur. Pſalmus *Magnificat*, decantatus tum à *Maria*, tum ab Eccleſia, eſt ſacrificium laudis uni Deo debitum, & tamen ipſi *Mariæ* cedit ad honorem; imo ex intentione Eccleſiæ Deo ad *Mariæ* honorem offertur, quia in illo virtutes & gloria *Mariæ* referuntur. Virtus *Mariæ* eſt; quod *ejus anima magnificet Dominum*, *quod ejus ſpiritus in Deo ſalutari ſuo exultet.* Gloria *Mariæ* eſt, quod *fecerit illi magna*, *qui potens eſt*, & quod *omnes generationes eam prædicent beatam.* Dum autem illæ *Mariæ* virtutes, illa ejus gloria in iſto Pſalmo celebrantur, ad *Mariæ* honorem iſtud laudis ſacrificium Deo conſecratur. Laudis vero ſacrificium non minus Deo uni & ſoli debetur, quam palpabile, & veri ac proprii nominis ſacrificium. Nam ideo ſolum externum ſacrificium, ſive ſit compoſitum ex verbis ſonantibus, ſive ex rebus per-

permanentibus, uni & ſoli Deo debetur, quia ſignum eſt interioris ſacrificii ſive latrię, qua Deum ut Deum noſtrum agnoſcimus, amamus, & adoramus. Non poterat in antiqua lege alteri, quam Deo, offerri ſacrificium trucidati pecoris, quia alius, præter Deum omnium Creatorem, non poterat interiori fide credi & agnoſci vitæ & mortis Dominus, Principium & Finis noſter: Principium, cujus virtute vivimus homines; Finis, cujus poſſeſſione vivimus beati. Corpus Domini in nova lege non poteſt ullis creaturis offerri in ſacrificium: quia ſacrifica oblatio, ex omnium gentium conſenſu, eſt ſignum externum, quo denotatur, quod is, cui offertur, ſit Principium & Finis; Alpha & Omega; Creator & Rector omnium. Non poteſt ſacrificium laudis & gratiarum actionis alteri, quàm Deo, offerri: quia voces ſonantes, quatenus ſacrificium ſunt, denotant, quod is, cui illas offerimus, ſit fons & origo omnis boni; ſit naturæ, & gratię & gloriæ auctor & donator. Dicitur ſacrificium ex vocibus conſtans, eſſe ad honorem ſanctorum, quia virtutes & gloria ſanctorum in illis celebrantur. Dicitur

citur ſacrificium Altaris eſſe ad honorem ſanctorum, quia dum manus noſtrę tractabilem rem Deo offerunt in altari, os noſtrum celebrat ſanctorum virtutes & gloriam, & ob illas earum adorat datorem. Accedit quod ſacrificium Altaris dicatur offerri ad honorem ſanctorum, quia per virtutem iſtius Hoſtiæ, qua ſancti vicerunt regna, effugerunt aciem gladii, caſtra verterunt inimicorum, & adepti ſunt repromiſſiones, à Deo poſtulamus gratiam ſanctos imitandi, in qua eorum imitatione illorum honos pręcipuè conſtitutus eſt.

§. LXXXIV.

Facile captu eſt, quod uni & ſoli Deo debeatur ſacrificium, & tamen recte offeratur ad honorem ſanctorum.

EX his patet contra *Dalæum*, non minimè, ſed optimè fieri poſſe, & revera fieri, ut ſacrificium in ejus, pro quo offertur, honorem fiat. Offertur pro ſanctis, quia Deo pro illorum gloria gratiæ referuntur; & hæc gratiarum

actio eſt in honorem ſanctorum, quia conjuncta cum recordatione ſive memoria illarum virtutum, quibus ſancti Deum coluerunt. Noſtra pro ſanctorum gloria Deo per *Chriſtum* ſacerdotem & victimam offertur actio gratiarum, ſicut per eundem *Chriſtum* ſacerdotem & victimam à Deo eſt & ſanctorum & noſtra impetratio gratiarum. Offertur ſacrificium Corporis Domini ad honorem ſanctorum, quia per illud ſacrificium à Deo petimus, ut nos idoneos reddat, qui ſanctorum veſtigiis inſiſtamus, & eorum virtutes in noſtris moribus exhibeamus, in qua imitatione ſanctorum relucet honos. Ex his patet *Dalæum* monſtra ſibi fingere quando putans impoſſibile eſſe, quod ſacrificium credatur uni Deo deberi, & tamen poſſe ad honorem ſanctorum offerri, per
„ ſarcaſmum dicit: „ fac hæc & cætera,
„ quæ recenſuimus ejusdem generis,
„ Apoſtolorum & aliorum veterum cap-
„ tum atque ingenium ſuperaſſe, omni-
„ noque *Loyolæ* & pullorum eſſe acu-
„ men, & noviſſimorum Latinorum ſo-
„ lertiam, & dialecticis ac Metaphyſicis,
„ & Mathematicis diſciplinis exultas,
„ expo-

„ expolitaſque mentes deſideraſſe. Mi „ *Dalae*, quorumvis ſimplicitas capere hæc poteſt; ſola *Sacramentariorum* inquieta contentio hæc capere non poteſt.

§. LXXXV.

Sacrificium offerri in memoriam ſanctorum idem eſt, ac illud offerri in honorem ſanctorum.

SEd forſan dices *Cardinalem Bonam* quidem oſtendere ſacrificia ob commemorationem ſanctorum fuiſſe oblata, ſed non ob honorem ſanctorum. Verum repono, memoriam & commemorationem hic denotare memoriam conjunctam cum laude & veneratione ſive honore ejus, cujus fit memoria. De tali memoria loquitur *Chriſtus* dicens: *hoc facite in meam commemorationem.* Quam enim Luc. 22. ſui memoriam vult à nobis celebrari, dum 19. pręcipit: *hoc facite in meam commemorationem?* nonne memoriam ejus charitatis, qua ſeipſum pro nobis tradidit? qua pro nobis mortuus eſt, & quâ pœnas, quas nos eramus commeriti, ipſe in ſe luendas ſuſcepit? Sacrificium ergo ſive Sacramentum Altaris offerre ſive accipere in me-

moriam *Chriſti*, nihil eſt aliud, quam illud offerre ſive accipere in honorem *Chriſti*. Et illud offerre ſive accipere in honorem *Chriſti*, eſt illud offerre & accipere, ut *Chriſtus* à nobis magis laudetur, ametur, & honoretur, eſt illud offerre & accipere ut plures perpenſâ ejus erga nos charitate, eum ferventius imitentur, devotius ſequantur, libentius obſervent.

§. LXXXVI.

Non ſacrificatur CHRISTO, *ſed ſacrificatur in memoriam* CHRISTI.

QUod autem in *Chriſti* memoriam offeratur ſacrificium, non autem offeratur *Chriſto* quatenus homini; quamvis in *Chriſti* quatenus hominis memoriam ſive honorem offeratur, præclarè docet *Auguſtinus*: unus verus ille mediator, in quantum formam ſervi accipiens Mediator effectus eſt Dei & hominum homo *Chriſtus Ieſus*, cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & unus eſt Deus, tamen

Lib. 10 *de Civit. cap.* 20.

„ men in forma ſervi ſacrificium maluit „ eſſe, quam ſumere; ne vel hac occa-„ ſione quisquam exiſtimaret, cuilibet „ ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc „ & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & „ oblatio. Poſt hæc verba *Auguſtinus* volens docere, quod *Chriſtus* incruentè offeratur in memoriam ſui cruenti ſacrificii, proſequitur dicens: „ cujus rei, „ nempe cruenti ſacrificii in cruce oblati, „ ſacramentum quotidianum ſive ſignum „ commemorativum eſſe voluit Eccleſiæ „ ſacrificium, cum ipſius corporis ipſe ſit „ caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, „ tam ipſa per ipſum, quam ipſe per ip-„ ſam ſuetus offerri. Hujus veri ſacrificii „ multiplicia, variaque ſigna erant ſacri-„ ficia priſca ſanctorum: cum hoc unum „ per multa figuraretur, tanquam verbis „ multis res una diceretur, ut ſine faſti-„ dio multum commendaretur. Huic „ ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacri-„ ficia falſa ceſſerunt.

His *Auguſtini* verbis plurima illuſtria dogmata continentur, quæ omnia hic exponere non eſt hujus propoſiti: ſuffecerit advertiſſe, quotidianum Eccleſiæ ſacrificium eſſe inſtitutam in ſacramen-

tum, quo charitas *Chriſti* morientis ad exhaurienda multorum peccata nobis quotidie repræſentatur, ſive quo honorifica & religioſa ejus memoria inſtauratur. Ex quo clariſſimè deſumitur longè aliud eſſe ſacrificium offerri alicui, quam eſt ſacrificium offerri in honorem alicujus. Offertur in honorem *Chriſti*, ſed non offertur *Chriſto*. Offertur in honorem *Chriſti*, quia per illud admonemur ejus charitatis, qua *Chriſtus* in ara crucis pro nobis mortuus eſt. Offertur in honorem ſanctorum, ſed non offertur ſanctis. Offerre *Deo* ſacrificium in honorem ſanctorum, eſt profiteri, quod ab ipſo per merita ſacrificii ſalvatoris *Chriſti*, ſit ſanctorum virtus & gloria. Offerre in honorem ſanctorum, eſt in ſacrificio martyrum honorificam fieri mentionem, quod fit, dum pro ſanctorum virtute, per *Chriſtum* Hoſtiam noſtram, Deo gratias agimus, & dum invocatis in precum ſocietatem ſanctis, per hoſtiam noſtram *Chriſtum*, Deo ſupplicamus, ut ſplendeat in noſtris moribus ſanctorum virtus & ſanctimonia: adeo ut tum in honorem ſanctorum offeratur, quando ex illius ſacrificii virtute in nobis exiſtit ſanctorum imitatio.

Quem-

Quemadmodum etiam tum cenſeri poſſumus, illud in memoriam ſive honorem *Chriſti* morientis fuiſſe oblatum, quando ex ejus oblatione fit, ut *Chriſto* in cruce configamur; ipſi commoriamur; & quando ita vivimus, ut de nobis dici poſſit, *mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt in Deo.* Coloſſ. 3. 3.

§. LXXXVII.

Mariæ *non defertur* Latria, *quia Deo in ejus memoriam dedicantur Templa.*

His expeditis, reſtat una objectio, qua contendunt Acatholici nos Sanctis ac preſertim Deiparæ exhibere cultum *Latriæ*; quia dicunt nos *Mariæ* aliisque Sanctis ſacrare Templa, ædificare Altaria, conſtituere Sacerdotia. Verum ad hæc repono, Catholicos Sanctis nec Templa, nec Sacerdotia, nec Altaria ſacrare. Scimus Dei ſolius eſſe, habere Templa, habere Altaria, habere Sacerdotes, ſicuti Dei ſolius eſt accipere ſive ſumere ſacrificium. Scimus optimè probari Spiritum Sanctum eſſe Deum, quia ſcriptum eſt: *an neſcitis quoniam membra veſtra* 1 Cor. 6. 19.

templum ſunt Spiritus Sancti: niſi enim, ajunt Catholici doctores, Spiritus Sanctus Deus eſſet, Templum habere non poſſet. Templum enim eſt Domus Dei: Altare eſt ſedes, ſive menſa gerens ſacrificium uni & ſoli Deo debitum: Sacerdotium eſt miniſterium ad hoc inſtitutum, ut ſolemni oblatione Deum adoret, & eum omnis boni auctorem, omnis virtutis datorem,& omnium ſe inquirentium remuneratorem, ſumma animi demiſſione profiteatur.

Poſtquam *S. Auguſtinus* apud memorias, ſive Baſilicas, aut monumenta martyrum dixerat Dæmones pœnis torqueri, *Chriſtum* confiteri, & de poſſeſſis corporibus expelli; tum ſubiicit hanc graviſſimam ſententiam loquens non ſuo privato ſed totius Eccleſiæ Catholicę nomine. „ Nec tamen nos, inquit, eisdem „ martyribus Templa, ſacerdotia, ſacra, „ & ſacrificia conſtituimus: quoniam non „ ipſi, ſed Deus eorum, nobis eſt Deus. „ Honoramus ſanè memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei, qui „ uſque ad mortem ſuorum corporum „ pro veritate certarunt, ut innoteſceret „ vera religio, falſis religionibus victis „ atque

Lib. 8. *de Civit: cap.* 27.

„ atque convictis, quod etiam ſi qui an-
„ tea ſentiebant, timendo reprimebant.
„ Quis autem audivit aliquando fidelium
„ ſtantem ſacerdotem ad Altare, etiam
„ ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei
„ honorem cultumque conſtructum, di-
„ cere in precibus, offero tibi ſacrificium
„ Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum
„ apud eorum memorias offeratur Deo,
„ qui eos & homines & martyres fecit,
„ & ſanctis ſuis Angelis cœleſti honore
„ ſociavit: ut ea celebritate, & Deo ve-
„ ro de illorum victoriis gratias agamus,
„ & nos ad imitationem talium corona-
„ rum atque palmarum eodem invocato
„ in auxilium ex eorum memoriæ reno-
„ vatione adhortemur? quæcumque igitur
„ adhibentur religioſorum obſequia in
„ martyrum locis, adornamenta ſunt me-
„ moriarum, non ſacra ſunt vel ſacrificia
„ mortuorum, tanquam Deorum. Qui-
„ cumque etiam epulas ſuas eo deferunt,
„ quod quidem à Chriſtianis melioribus
„ non fit, & in pleriſque terrarum nulla
„ talis eſt conſuetudo: tamen quicum-
„ que id faciunt, quas cum appoſuerint,
„ orant, & auferunt, ut veſcantur: vel
„ ex eis etiam indigentibus largiantur,

„ ſanctificari ibi eas volunt per merita „ martyrum in nomine *Domini* martyrum. Non autem iſta eſſe ſacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod „ Deo illic offertur, ſacrificium Chriſtianorum. Nos itaque Martyres noſtros „ nec divinis honoribus, nec humanis „ criminibus colimus, ſicut colunt illi „ Deos ſuos; nec ſacrificia illis offerimus; „ nec eorum probra in eorum ſacra convertimus.

Hæc tempore *Auguſtini* dixit Eccleſia Catholica contra Paganos, qui dicebant Chriſtianos, *Jovem*, *Martem*, *Apollinem* &c. eorumque Templa, Altaria, & Sacerdotia deſeruiſſe, ut Martyres ſuos veluti Deos pro Diis haberent, illoſque Templis, Altaribus, Sacerdotiis, ac Sacrificiis honorarent. Et cum Catholicis illorum Adverſarii fere eandem calumniam etiam nunc imponere non vereantur, eiſdem *Auguſtini* verbis ab illa expurgantes ſuam aſſerunt innocentiam.

Nec dicas plurima Templa, plurima Altaria à Sanctis denominari. Etenim ædificia, quæ ſunt Templa & Altaria Dei, ſunt etiam memoriæ ſive monumenta, & ſepulchra Martyrum. Nos ipſi

ſumus

ſumus templum Dei, juxta illud: *Neſcitis, quia templum eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*: & tamen nos, qui ſumus templum Dei, ſumus monumentum *Chriſti*, unde vocamur Chriſtiani. Et certè maxima *Chriſti* celebritas proficiſcitur, non ex mortuis librorum monumentis, ſed ex Chriſtianis vivis & animatis *Chriſti* monumentis per totum orbem nomen ejus celebrantibus. Imo nos, qui ſumus omnes ampliſſimum *Chriſti* monumentum, ſumus ſæpe etiam vivum monumentum hujus aut illius ſancti, dum ab illis denominamur. Monumentum Martyris *Pamphili* voluit eſſe *Euſebius*, quando ad celebrandam *Pamphili* memoriam appellari voluit *Euſebius Pamphili*. *Damiani* monumentum voluit eſſe *Petrus Cardinalis* ſe vocans *Petrum Damiani*. Monumentum *Mariæ*, *Pauli*, *Petri*, *Catharinæ*, *Thereſiæ* &c. plures ſe ipſos conſtituunt, dum ab illis ſanctis optant denominari. Acatholici, qui volunt videri magis religioſi, ſuas proles à Patriarchis & Prophetis denominando eas conſti-

1 Cor. 3. 16.

ſtituunt monumenta non ſuorum majorum, ſed Patriarcharum & Prophetarum. Vocatur apud ipſos hic *Abraham*, iſte *Oſeé*, ille *Abdias*, hæc *Sara*, iſta *Rachel*, hęc *Eſther*, ut iſtorum ſanctorum memoria apud eos fiat celebrior.

Quemadmodum autem templa & altaria animata, qualia ſunt corpora & corda noſtra, eriguntur etiam in monumenta *Chriſti* & Sanctorum ejus; optime quoque fieri poteſt, ut inanimata templa & Altaria Dei, ſint etiam monumenta *Chriſti*, & Sanctorum ejus. Imo licet corpora noſtra, licet anima noſtra, licet opera noſtra ſint Sacrificia, dum illa ad honorem & gloriam Dei referimus, ſicut ſemper aut actu aut virtute referre debemus: attamen corpora noſtra, anima noſtra, poſſunt non ſolum tanquam monumenta *Chriſti* & Sanctorum ejus, *Chriſti* & Sanctorum nomina præ ſe ferre; verum etiam ſine ullo divini honoris detrimento poſſumus denominari à parentibus & genitoribus noſtris, ſicut Belgis & Germanis in uſu adhuc eſt, & olim fuit. Opera noſtra ad Deum relata ea intentione, ut à miſeriis liberemur & beatitudinem aſſequamur, ſunt ſacrifi-

cia

cia uni & ſoli Deo debita; ſed his nihil obſtantibus optimè fieri poteſt, ut ſive in togata, ſive in armata militia opera noſtra ſint Reipublicæ munimen, concivium protectio, ægrorum medela, pauperum victus atque ſolatium. Quod autem mens, corpus, & opera noſtra ſint ſacrificium, divinè docet *Auguſtinus* toto capite ſexto libri 10. de Civitate Dei. „Verum ſacrificium eſt, inquit, omne „opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate „inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad „illum finem boni, quo veraciter beati „eſſe poſſimus. Unde & ipſa miſericor-„dia, qua homini ſubvenitur, ſi propter „Deum non fit, non eſt ſacrificium. Etſi „enim ab homine fit vel offertur, tamen „ſacrificium res divina eſt, ita ut hoc „quoque vocabulo id Latini veteres ap-„pellaverint. Unde ipſe homo, Dei no-„mini conſecratus, & Deo devotus, in „quantum mundo moritur ut Deo vi-„vat, ſacrificium eſt. Nam & hoc ad mi-„ſericordiam pertinet, quam quiſque in „ſeipſum facit. Propterea ſcriptum eſt: „*miſerere animæ tuæ placens Deo.* Corpus „etiam noſtrum, cum per temperantiam „caſtigamus, ſi hoc, quemadmodum „debe-

„ debemus, propter Deum facimus, ut „ non exhibeamus membra noſtra arma „ iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ „ Deo, ſacrificium eſt. Ad quod exhor- „ tans Apoſtolus ait: *obſecro itaque vos* „ *fratres per miſericordiam Dei, ut exhi-* „ *beatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſan-* „ *ctam, Deo placentem, rationabile obſe-* „ *quium veſtrum.* Si ergo corpus, quo „ inferiore tanquam famulo, vel tan- „ quam inſtrumento utitur anima, cum „ ejus bonus & rectus uſus ad Deum re- „ fertur, ſacrificium eſt: quanto magis „ anima ipſa, cum ſe refert ad Deum, ut „ igne amoris ejus accenſa, formam con- „ cupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique „ tanquam incommutabili formæ ſubdi- „ ta, reformetur, hinc ei placens, quod „ ex ejus pulchritudine acceperit, fit ſa- „ crificium?

„ Quod idem Apoſtolus conſequen- „ ter adjungens: *& nolite*, inquit, *con-* „ *formari huic ſæculo: ſed reformamini in* „ *novitate mentis veſtræ, ad probandum,* „ *quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & be-* „ *neplacitum, & perfectum.* Cum igitur „ vera ſacrificia opera ſint miſericordiæ „ ſive in nos ipſos, ſive in proximos, quæ „ refe-

„ referuntur ad *D*eum: opera vero miſe-
„ ricordiæ non ob aliud fiant, niſi ut à
„ miſeria liberemur, ac per hoc, ut bea-
„ ti ſimus: quod non fit niſi à bono illo,
„ de quo dictum eſt: *Mihi autem adhære-*
„ *re Deo bonum eſt*: profecto efficitur, ut
„ tota ipſa redempta civitas, hoc eſt,
„ congregatio Societaſque Sanctorum,
„ univerſale ſacrificium offeratur *D*eo
„ per ſacerdotem magnum, qui etiam
„ ſeipſum obtulit in paſſione pro nobis,
„ ut tanti capitis corpus eſſemus, ſecun-
„ dum formam ſervi.

§. LXXXVIII.
Nihil Deo decedit per hoc, quod Templa Deo dedicentur in ſanctorum memoriam.

HÆc *Auguſtinus*, ex cujus verbis clariſſimè patet, quod mens, corpus, & opera noſtra ſint ſacrificium, dum igne amoris divini ardent, dum ſe arma juſtitiæ *D*eo exhibent, & dum ideo à nobis exercentur, ut extra miſeriam in beatitudine conſtituamur. Iſti autem rationi, qua mens, membra & opera noſtra ſunt ſacrificia, nihil decedit per hoc, quod ea impen-

impendamus, quatenus cives, milites & aliis hominibus proximi ſumus, ad illorum tutelam, auxilium, atque ſolamen: ſicut nihil boni civis & militis officio, nec eleëmoſynarum ad pauperes confovendos virtuti decedit per hoc, quod Deo in ſacrificia conſecrentur; & ſic intendamus Reipub. bonum & pauperum ſolatium, ut in omnibus & ſuper omnia Dei gloriam, & noſtram quæramus ſalutem. Hæc dicta ſint, ut appareat, quàm ineptiant Acatholici, dum Catholicos clamant Idololatras, quia apud illos templa & Altaria non ab euro, noto, vel Zephyro denominantur, ſed à Sanctis cum Deo regnantibus.

Ad hunc *Tractatum* plenius abſolvendum, ſubjungam pauca ad dirimendas has quæſtiones, num præſtet potius erogare pecunias in Templorum ſtructuram, quam in victum & amictum pauperum; & num poſſit ſubinde fieri laudabiliter, ut imaginibus Sanctorum adhibeatur ſplendidior apparatus, quam receptaculis Corporis Domini.

§. LXXIX.

§. LXXXIX.

Cultus, quo honoratur Deus, dum pauperum ſervitur neceſſitatibus, præferendus cultui, quo ſtudetur Templorum ſplendori.

CUltum, quo Deus in pauperibus colitur, quando ejus amore illorum indigentiæ ſuccurritur, præferendum eſſe Religioni, quæ aurum & argentum in ſplendidas templorum ſtructuras expendit, luculenter docet *Bernardus* in Apologia ad *Guilhelmum Abbatem. O vanitas*, inquit, *vanitatum, ſed non vanior, quàm inſanior! fulget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget! ſuos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitum. Inveniunt curioſi, quo oblectentur; & non inveniunt miſeri, quo ſuſtententur.* Hæc *Bernardus*, qui non potuiſſet conqueri, pauperes prȩteriri, ut Templa ornarentur, ſi Deo gratius foret illa auro ornare, quàm illos auro paſcȩre. Nec potuiſſet exclamare, *O Vanitas vanitatum, ſed non vanior, quam inſanior! fulget Eccleſia in parietibus & in pauperibus eget; ſuos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſe-*

rit. Non, inquam, ſic potuiſſet exclamare, niſi foret manifeſtiſſima veritas, Deo magis placitum eſſe, ut ſuccurratur pauperum egeſtati, quam ut ſtudeatur Templorum ſplendori.

Bernardo prævit *Ambroſius*, qui, poſtquam Templis ſuum ornatum detraxiſſet, ut captivos redimeret, factum ſuum his tuetur verbis. „Quis autem eſt tam „durus, immitis, ferreus, cui diſpliceat, „quod homo redimitur à morte, fœmi„na ab impuritatibus Barbarorum, quę „graviores morte ſunt: adoleſcentulæ, „pueruli, vel infantes ab Idolorum con„tagiis, quibus mortis metu inquina„bantur? quam cauſam nos, etſi non „ſine ratione aliqua geſſimus, tamen ita „in populo proſecuti ſumus, ut confi„teremur, multoque fuiſſe commodius „adſtrueremus, ut animas Domino quàm „aurum ſervaremus. Qui enim ſine au„ro miſit Apoſtolos, Eccleſiam ſine au„ro congregavit, aurum Eccleſia habet, „non ut ſervet, ſed ut eroget & ſubve„niat in neceſſitatibus. Quid opus cu„ſtodire, quod nihil adjuvat? An igno„ramus, quantum auri atque argenti de „Templo Domini *Aſſyrii* ſuſtulerint? „Nonne

Lib. 2. de officiis cap. 28.

Matt: 10.

„ Nonne melius conflat ſacerdos pro ali- 4. Reg. 24.
„ monia pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, & 25.
„ quam ut ſacrilegus contaminet & aſ-
„ portet hoſtis? Nonne dicturus eſt Do-
„ minus: cur paſſus es tot inopes fame
„ mori? certè habebas aurum, unde mi-
„ niſtraſſes alimoniam. Cur tot captivi
„ deducti in commercium, nec redempti,
„ ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat, ut
„ vaſa viventium ſervares quam metallo-
„ rum. His non poteſt reſponſum affer-
„ ri. Quid enim dices? timui ne Tem- 1 Pet: 1.
„ plo Dei ornatus deeſſet? Reſponde-
„ bit: aurum Sacramenta non quærunt:
„ neque auro placent, quæ auro non e-
„ muntur. Ornatus Sacramentorum, re-
„ demptio captivorum eſt. Et verè illa
„ ſunt vaſa pretioſa, quę redimunt animas
„ à morte. Ille verus theſaurus eſt Do-
„ mini, qui operatur, quod ſanguis ejus
„ operatus eſt. Tunc vas dominici ſan-
„ guinis agnoſco, cum in utroque vide-
„ ro redemptionem: ut calix ab hoſte re-
„ dimat, quos ſanguis à peccato redemit.
„ Quam pulchrum, ut cum agmina cap- Apocalyp.
„ tivorum ab Eccleſia redimuntur, dica- 5.
„ tur: hos *Chriſtus* redemit. Ecce au-
„ rum *Chriſti*, quod à morte liberat; ec-

„ ce aurum, quo redimitur pudicitia, „ ſervatur caſtitas. Hos ergo malui, vo-„ bis liberos tradere, quàm aurum reſer-„ vare. Hic numerus captivorum, hic „ ordo prȩſtantior eſt, quàm ſpecies po-„ culorum. Huic muneri proficere de-„ buit aurum Redemptoris, ut redimeret „ periclitantes.

Hæc *Ambroſius*, ut oſtendat, non ſolum Deo magis eſſe placitum, ut ſtudeas potius pauperum ſolatio, quàm Templorum ornatui; ſed illi etiam gratius eſſe, ut, divenditis quoque calicibus, ſanguinis Domini bajulis, redimas captivos, ſerves periclitantem pauperum pudicitiam & fidei integritatem: quam, ut neglectis pauperibus ſerves pretioſa vaſa ſacrificii, ac animo patienti eos ſinas aut caſtitatis aut fidei incidere naufragium.

Homil: 51. *in Matth:* *Chryſoſtomus* pari eloquentia & auctoritate non pro Templis, ſed pro pauperibus fert ſententiam. „ Non erat, in-„ quit, ex argento illa menſa, nec ex „ auro ille calix, quo *Chriſtus* Diſcipulis „ ſanguinem prȩbuit ſuum; pretioſa ta-„ men erant omnia, & venerationis ple-„ na, quia ſpiritu abundabant. Vis cor-„ pus *Chriſti* honorare? non deſpicias ip-

„ ſum

„ ſum nudum: neque hic quidem in Ec-
„ cleſia ſericis pannis induas, foris au-
„ tem frigore ac nuditate confici negli-
„ gas. Qui enim dixit: *Hoc eſt corpus*
„ *meum*, & rem ſimul confecit, idem
„ dixit: *Eſurientem me vidiſtis, & non*
„ *cibaſtis, & in quantum non feciſtis uni*
„ *eorum minimorum, nec mihi feciſtis*. Hoc
„ certè corpus *Chriſti* non amictu, ſed
„ anima munda indiget: illud autem mul-
„ ta cura & diligentia eget. Perdiſcamus
„ igitur Philoſophari, & ipſum *Chriſtum*
„ ex voluntate ſua honorare: nam qui
„ honoratur, eo maxime honore lætatur,
„ quem ipſe vult, non quem optamus.
„ Sic & *Petrus* honorare *Chriſtum* crede-
„ bat, ſi eum à lotione pedum prohibuiſ-
„ ſet: quod certe contrarium erat. Pari-
„ ter tu etiam ita eum honora, ut ipſe
„ vult; expone divitias tuas pauperibus.
„ Non eſt opus vaſis, ſed pomis aureis.
„ Hęc dico, non quia vetare velim ta-
„ lium vaſorum oblationem, ſed quia
„ dignum putem, ante omnia miſericor-
„ diæ ac benignitati eſſe incumbendum:
„ nam & vaſa Deus ſuſcipit, ſed illa mul-
„ to magis ſibi gratioſa ſunt. Et vaſa qui-
„ dem danti ſolum profuerint, benigni-

„ tas vero etiam accipienti. Et hic qui-
„ dem oſtentatio nonnunquam poteſt
„ accuſari, ibi vero totum miſericordi a-
„ nimo attribuitur. Reſponde, quæſo,
„ quænam utilitas eſt, ſi, cum menſa ejus
„ multis calicibus aureis ornatur, ipſe in-
„ edia pereat? prius igitur ipſum eſurien-
„ tem ſatura, deinde ex quadam ſuper-
„ abundantia menſam etiam ejus orna-
„ bis. Calicem aureum facis, & aquæ
„ frigidę calicem ei non præbes; & quod
„ hinc emolumentum conſequitur? co-
„ opertoria menſæ auro nitent, & ipſi ne-
„ ceſſaria vel legumina negas: quid igi-
„ tur prębes? dic, oro, ſi quem fame per-
„ euntem videres, nec cibo ſolvere ipſius
„ famem curares; ſed multo argento ac
„ auro menſam ſolummodo exornares,
„ quas putas illum gratias tibi habiturum,
„ ac non potius indignaturum? quid por-
„ ro ſi veſtibus detritis ac pertuſis veſti-
„ tum & frigore congelatum hominem
„ aſpiceres, nec veſtem aliquam ei præpa-
„ rares, aureas vero ſtatuas ad laudem ejus
„ erigeres, nonne contemnere atque ir-
„ ridere ipſum videreris? Ita te oportet in
„ *Chriſto* etiam cogitare, cum errabun-
„ dus & peregrinus circumvagetur, tecto
indi-

„ indigens, tunc tu ipſum quidem non „ ſuſcipis: vermiculatoem blemate pa- „ vimenta ornas, magnificos muros con- „ ſtruis, columnarum capita erigis, ly- „ chnos ab argenteis catenis dependere „ facis; ipſum vero nec viſitare quidem „ curas in carceribus vinctum. Nec pro- „ hibeo magnifica Templa condere; ſed „ hæc cum illis, imo verò hæc ante illa „ facere moneo: nemo enim, quia Tem- „ pla magnifica non condiderit, unquam „ accuſatus eſt; at vero gehenna, ignis „ inextinguibilis, ſupplicia dæmonum „ imminent, niſi quis diligenter iſta per- „ agere velit. Hęc *Chryſoſtomus* pro pauperibus.

§. XC.

Nec Deus, nec Sancti auro delectantur.

RAtio, qua horum Patrum ſententiæ nituntur, hæc mihi manifeſtiſſima videtur. *Deus*, cum purus ſit ſpiritus, *non in manufactis Templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo*; nec auro plus, quàm plumbo delectatur. Inde illa *Chriſti* ſententia: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate*

Act. 17. 24.

Joan. 4. 24.

ritate oportet adorare. Hinc quoque illud
Epiſt. 14. *D. Hieronymi* effatum : *Deum non auro Templa fulgentia , non gemmis Altaria diſtincta delectant , ſed anima ornata virtutibus.* Idem noſter de Sanctis ſenſus eſſe debet. Adhærentes Deo unus ſpiritus ſunt cum eo. Uti, dum hic viverent, poſt aurum non abjerunt ; ſed quò ſanctiores, eò fuerunt magis ejus contemptores ; adeo ut unus illorum omnia arbitraretur ut ſtercora , ut *Chriſtum* lucrifaceret : ita multò magis nunc in cœlo , defæcatam adepti ſanctimoniam , ab omni amore auri , gemmarum , cæterarumque opum ſunt liberrimi ; nec magis iſtorum metallorum , quam pulchrorum corporum illecebris capiuntur , aut in hominum vota trahuntur. Si quis Deo, aut divis Templa aut Baſilicas exſtrueret , illiſque vaſa pretioſa & auri theſauros offerret , tanquam res , quibus illorum amor oblectaretur , & cupiditas adhæreſceret , ipſos ſummopere inhonoraret , & blaſphemis cogitationibus graviſſimè offenderet.

§. XCI.

§. XCI.

Quid placeat Deo in gemmis & unionibus ad Templorum ornatum oblatis.

QUid ergo Deo, Diviſqne in illis poteſt placere? non illa placent, ſed placet affectus, quo offeruntur, & cujus quædam teſtimonia ſunt: duo minuta pauperis viduæ *Chriſtus* pluris fecit, quam magnifica divitum dona: non enim aurum, ſed cor quærit Deus. Nihil ergo in donis, quatenus res quędam ſunt, quod Deo Diviſque charum. In donis ergo, reſpectu Dei aut Divorum nullum pretium, nulla utilitas. Porro is affectus erga *D*eum, *Chriſtum* Dei filium, Divoſque ſæpè purior & ardentior, quo vivis, animatiſque *Chriſti* Templis, pro quibus, & non pro lapidibus, ſanguinem ſuum fudit, opes noſtras impendimus, volentes illorum miſerias ſublevare, & ita ad *Dei* laudes, amoremque eos excitare.

§. XCII.
Quid placeat Deo in Eleëmoſynis.

IN donis ergo ex Dei amore & reverentia in pauperes profuſis Deo placet *primo* religioſus affectus erga Deum, ex quo proficiſcuntur. *Secundò* placet ordo amoris, quo eligimus potius erga illos eſſe liberales, quos *Christus* tanti fecit, ut pro illis ſuam poſuerit animam, omnemque dederit ſanguinem, quam erga lapides. *Tertiò* placet & utilitas, quam inde pauperes percipiunt. In auro autem Templis conſecrato aliud placere non poteſt, quàm *una* conſecrantis devotio, & erga res ſacras quædam reverentia; quam illud in animis, qui nondum terrenam fœcem exuerunt, excitat; quamvis etiam cum *Bernardo* fateri debeamus, nonnunquam in auro & gemmis Templorum plus eſſe vanitatis & inſanię, quàm veræ devotionis. Quod ſi unquam verum, tunc profectò veriſſimum eſt, quando ad Templorum ornatum, dicam, an pudorem aut prophanationem? è parietibus ſuſpenduntur Aulæa, quibus metamorphoſes *Ovidii*, *Jovis* adulteria, *Junonis* iræ, amores *Veneris*, *Dianæ* venationes, non ad

Reli-

Religionis augmentum, ſed ad incentivum libidinis repræſentantur. Dum ergo ineſt illis hęc vanitas, & inſania, profectò tunc *D*eus illis tam parum honoratur, quàm vanitate & inſania honoretur. Quia itaquè in eleëmoſynis placent & religio erga Deum, & miſericordia erga proximum, & ordo amoris, quo æterna templa perituris præferuntur; & quia in donis ad ſuperbum Templorum cultum oblatis placere non poteſt, niſi amor colendi Deum; hinc eſt certiſſimum abſolutè loquendo, quod melius ſit, in pauperes eſſe liberalem, quàm erga ligna & lapides, licet Baſilicarum.

Noverat hæc *Paula*, de qua *Hieronymus* : *nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & ſæculo tranſituri ſunt; ſed in vivis lapidibus, qui volvuntur ſuper terram, de quibus in Apocalypſi Joannis Civitas magni Regis extruitur.* Chriſtianiſſimè hæc ſenſit *Paula* ab eo edocta ſpiritu, quo inſpirante ſcripſit *Auguſtinus* : *Nemo vos fallat, aliud majus ſacrificium non eſt, quod debeamus Deo, niſi quicquid boni eſt, etiam malis hominibus, ſed tamen hominibus, fecerimus. Dicit tibi Deus: ego non ex te creſco, ſed tu ex me. Sacri-*

In Epitaphio Paulæ. cap. 8.

Homil. 6. *inter* 50.

crificium volo, quod proſit homini; ſic ad me pervenit, quod tibi proſit. Hæc *Auguſtinus* in commendationem eleëmoſynarum.

§. XCIII.
Opera miſericordiæ ſunt ſplendidior Dei cultus.

SEd dices, Deum eſſe majorem omni laude, Chriſtique Corpus, quod in Altaribus noſtris requieſcit, ſplendiſſimo cultu eſſe ornandum. Nihil diffiteor: ſed major ejus laus eſt pauperum dilectio, non in lapides profuſio. Major eſt etiam charitatis, quam auri ſplendor: illum ita requirit Corpus *Chriſti*, ut ſine eo offerri non poſſit; alterum ita poſtulat, ut ſine illo ſe immolari frequenter probet. *Non enim*, ut *Ambroſius* ait, *aurum ſacramenta quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur; ornatus ſacramentorum redemptio captivorum eſt. Chriſtus*, ſapientia & veritas, gaudet ibi auro coli, ubi non vanè ſplendet, ſed miſericorditer reficit; & ubi non avaros, aut curioſos oblectat oculos, ſed ventres paſcit famelicos, veſtit nudos, redimit captivos, periclitantium ſervat pudicitiam, vindicat oppreſſos;

Lib. 2. de officiis cap. 28.

ſos, ſolatur ægros. Ubi hic ex auro fructus exiſtit, tunc etiam probat, ut calices ſui ſanguinis bajuli nutriant pauperes, redimant captivos, pro quibus liberandis ſuum ſanguinem fudit.

Hic erat ſenſus *Acaſii Amidæ* Epiſcopi, qui captivos *Perſas* venditis Eccleſiæ bonis liberat, & ad Regem ſuum remittit, dicens dum bona venderet: *Deus noſter, neque lancibus, neque poculis eget. Quam Acaſii miſericordiam adeo admiratus fuit Rex Perſarum, ut fateretur ſe magis Romanorum humanitate, quàm armis victum.* Hæc in laudem *Acaſii Socrates.* *Lib: 7 hiſt; Eccleſ: cap. 21.*

Grandiora ſunt, quę in laudem *Exuperii*, nec non in confirmationem doctrinæ à *Bernardo* traditæ, *Hieronymus* enarrat: *Sanctus*, inquit, *Exuperius Tholoſæ Epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur alienâ, omnemque ſubſtantiam* Chriſti *visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro, qui avaritiam ejecit è templo*, docens ſuo exemplo, non eſſe ad contemptum corporis *Chriſti*, ſi aurum & argentum ipſi detrahatur, ut impendatur pauperum neceſſitatibus: *Epiſt. 4.*

vi-

viminea caniſtra & vulgare vitrum grandem carni & ſanguini Salvatoris noſtri afferre venerationem, ſi nec avaritia, nec ſacrorum contemptus, ſed una erga miſeros miſericordia vimineum vitreumque componat apparatum: & ſacerdotes in oculis Dei tunc pretioſiſſimis veſtibus eſſe indutos, non quando caſulas auro gemmisque onuſtas, ſed quando gerunt viſcera miſericordiæ, imitantes eum, *qui cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, ut nos inopia ipſius divites eſſemus.* Hanc ſuam *Chriſtus* miſericordiam in Altaribus renovat ac repræſentat, quando uniones gemmasque ſibi conſecratas probat vendi, & ruſtico, vimineo, fragilique vitro portari, ne pauper inedia tabeſcat, ne æger careat ſolatio, ne lytrum deſit captivis. Et revera quid charitatis victimæ magis honorificum, quam ut agnoſcatur mundi theſauris libenter carere, ut miſeros conſoletur; faſtidire aurea operimenta, dum fratribus ſuis etiam vilia deſunt; nolle ſibi theſaurizari ſuper terram, ne minorem in cœlis poſſideat theſaurum animarum. Si ergo grandis inopia affligat plebem, etiam aurum dominico Corpori conſecratum cum ędificatione

catione omnium, & grandi religionis augmento, in pauperes diſtrahetur; ſi nempe ſacrorum Antiſtites, illud diſtribuentes ſint cum *Exuperio* imitatores viduę Sareptenſis, qui ipſi eſurientes paſcant alios, & ore pallente jejuniis fame torqueantur aliena, omnemque ſuam ſubſtantiam *Chriſti* viſceribus erogent. Nam monſtruoſæ impietatis foret, vaſa ſacra divendere in uſus pauperum, & tua propria ſervare, ut placeas avaritiæ & lites ſuperbiæ.

§. XCIV.

Effuſio pretioſi unguenti, quod Magdalena *effudit in caput* Christi, *non probat Templorum ornatum præponendum pauperum neceſſitatibus.*

Contra doctrinam hactenus traditam ſolet obiici *Magdalenam Chriſto* gratiſſimum cultum exhibuiſſe, quando neglectis pauperibus pretioſum Balſamum in ejus caput effudit; ex quo alius fructus non exiſtebat, quam quod illâ profuſione ſuam de *Chriſto* exiſtimationem ex-

pri-

primeret. Nolim huic objectioni meis verbis reſpondere, ſed verbis ſanctiſſimi viri *Iſidori Peluſiotæ*, qui *Epiſt*. 88. de profuſione *Mariæ Aſclepio* ſic ſcribit: „Quoniam ad me ſcripſiſti te mirari, „quod *Chriſtus* Diſcipulos ſuos, qui mu-„lierem, quæ ingentis pretii unguentum „effundere minimè dubitarat, increpa-„verant, repreſſerit; præſertim cum eo-„rum ſermo pauperum commodis con-„ſulere videretur, hoc ajo, ille qui de „eleemoſyna tot ac tantos ſermones ha-„bebat, eamque ſacrificiis anteponebat, „nunc eandem, quod tu exiſtimas, mi-„nimè propuliſſe. Nam qui dixit: *miſe-„ricordiam volo, non ſacrificium*: & *beati „miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam „conſequentur*. Et *quamdiu feciſtis uni ex „fratribus meis, mihi feciſtis*, haud qua-„quam in contrarium recidiſſet. Verum „quoniam mulier ea, quæ acceſſerat „oleum effundere, antevertit, abſurdiſ-„ſimum eſſe divina ſapientia judicavit, „ipſius fidem obterere; atque ipſius pa-„trocinium ſuſcepit, iiſque verbis uſus „eſt: *bonum opus fecit*: ac vide ſapien-„tiam omni orationis facultate præſtan-„tiorem. Non enim dixit: *bonum opus*

„*factum*

„ *factum* eſt, ſed *fecit* : neque enim ipſum
„ facinus privatim expendit, verum una
„ cum mulieris perſona perinde ac ſi di-
„ ceret : quandoquidem ſemel hoc fecit,
„ laude atque commendatione digna eſt.
„ quamobrem perfectam quandam ac
„ omnibus numeris abſolutam virtutem
„ ab ea ne requiramus; verum, qua fieri
„ poteſt, coronam ei texamus. Nam ſi
„ non hoc ſenſu mulierem comprobaſſet,
„ omnibus profectò, ut ejus exemplum
„ ſequerentur, lege lata indicere opor-
„ tebat. Porro cum nihil hujusmodi dix-
„ erit, ſatis argumenti dedit, ſe ob in-
„ dulgentiam quandam dimiſſionem
„ eam comprobaſſe. Nam ſi cum dixiſſet,
„ *fecit*, id ſane pro lege habeatur : ſi au-
„ tem eam, cum id feciſſet, eam in ani-
„ mi anxietatem minime conjecit, non
„ eſt cur quiſquam indulgentiam hujus-
„ modi in legem trahat. Nam cum ſacri-
„ ficia in veteri teſtamento permiſſa po-
„ ſtea everterit, quonam pacto, quæ hic
„ nec permiſit quidem, lege latâ ſanxiſſet?
„ quemadmodum enim, ſi ante effuſum
„ unguentum interrogatus fuiſſet, haud
„ dubiè illud vendi, & pauperibus dari
„ juſſiſſet; ſic poſteaquam effuſum fue-

„ rat, mulieris fidem per objurgationem „ extinguere abſurdum erat. Atque ad „ eundem quoque modum nunc faciunt „ probatiſſimi quique ſacerdotes. Nam „ ſi quis dicat: conſecrare atque appen- „ dere aliquid volo, id eum pauperibus „ dare jubent. Sin autem id jam ipſe fe- „ cerit, non modo eum non increpant; „ verum etiam blandè ac leniter admit- „ tunt, non quod hoc illo melius ac præ- „ ſtantius eſſe ducant (non enim prop- „ terea *Chriſtus* venit, ut Eccleſias auro „ & argento impleat) ſed ne eum, qui „ hoc donarium obtulit, animi anxietate „ afficiant. Hæc *Iſidorus Chryſoſtomi* magnus Diſcipulus. Illi libenter ſubſcribo

§. XCV.

Opulentia Templi Salomonici non probat Chriſtianorum Templa debere eſſe auro & gemmis ſplendentia.

UT in exemplo *Magdalenæ* parum illis præſidii, qui Templorum ornatum eleëmoſynis præferunt; ita illi, qui ſciunt *Chriſtum* eſſe Pontificem futuro-

rum

rum bonorum, cenſebunt parum urgere argumentum, quo nonnulli concludunt, ſplendidiora eſſe debere Chriſtianorum Templa Templo Judæorum, quod fuit auro opulentiſſimum; quia majus eſt Corpus *Christi*, quod in noſtris aſſervatur Baſilicis, quam vetus *Manna*, quod in Templo Judæorum ſervabatur. Nam, qui ſic ratiocinantur, non ſat attendunt differentiam antiqui & novi teſtamenti. In illo voluit Deus oſtendere, quod ipſius eſſet terra, & plenitudo ejus; quod ipſius eſſet aurum & argentum; & quod, ut illud habeas, non idolis aut Dæmonibus ſit ſupplicandum, ſed illi uni, qui unus & ſolus creavit omnia: hinc ſuis cultoribus in illo non alia, quàm terrena promittit bona; uberem glebam; fœcundos ventres; corpora ſana; de hoſtibus victoriam, vitamque longævam. His promiſſionibus reſpondebat Religio, & apparatus Judaici Templi, ejusque Pontificis. Splendebat aurum; proſtabant in menſa panes; fumabant carnes; fluebant vina; lucebat oleum; ſpirabant odores; fulgebat veſtium apparatus; ut ingreſſi domum Domini homines carnales, qui nec oculos nec cor habebant, quibus

pulchritudo æternæ juſtitiæ & veritatis incommutabilis Dei noſtri videretur & amaretur, ſed ſolum quibus aurum & argentum, carnes &c. videri poterant & amari, gauderent ſe tam opulento & potenti Domino ſervire, ac templi miniſtrorumque apparatus indicabat; atque etiam illico agnoſcerent, ab illo ſolo ea bona eſſe petenda, quibus maximè inhiabant. Deus ergo, ut ſe auri & opum Dominum oſtenderet, ſuamque in illa poteſtatem redderet manifeſtam, illis ſuum Templum voluit inſtrui, atque ornari. Ubi autem in veteri teſtamento oſtendit ſuum eſſe aurum & argentum, ſeque eſſe mundi Dominum cui uni propter iſta bona ſit ſupplicandum: tempore novę legis majora voluit proferre bona, opulentiam charitatis; juſtitię pulchritudinem; veritatis claritatem; patientię fortitudinem, regnum, quo non homines, ſed vitia ſubjugantur, quod etiam morte non ammittitur, ſed potius obtinetur. Ut horum bonorum ſe Dominum declararet, illaque ſuis cultoribus promitteret, & ſibi potius propter illa, quam propter terrena ſerviendum doceret, Filium ſuum miſit in mundum;

ſed

ſed quo inſtructum apparatu? certè huic fini aptiſſimo, nempe humilitate, ſubjectione, paupertate. Audiamus *Augu-*
„ *ſtinum*: „ *Chriſtus* homo, ut per eum *Epiſt.* 120.
„ revelaretur gratia novi teſtamenti,
„ quoniam non ad temporalem, ſed ad
„ æternam vitam pertinet, non utique
„ terrena felicitate commendandus fuit.
„ Inde ſubjectio, inde paſſio, inde flagel-
„ la, inde ſputa, contumeliæ, crux,
„ vulnera & tanquam ſuperato, ſubjecto-
„ que mors ipſa; ut fideles etiam diſce-
„ rent, quale pietatis prœmium ab illo,
„ cujus filii facti eſſent, petere atque ſpe-
„ rare deberent; ne ad hoc magno ſervi-
„ rent Deo, ut terrenam felicitatem adi-
„ piſci quærerent, cui ſervirent ipſi abii-
„ cientes, & conculcantes fidem ſuam,
„ æſtimantes eam mercede viliſſima: un-
„ de beneficentiſſima providentia omni-
„ potens Deus terrenam felicitatem con-
„ ceſſit & impiis, ne pro magno quære-
„ retur à bonis.

Uti ergo *Chriſtus* novo teſtamento ſive bonis, quę in eo homini promittuntur, congruentem aſſumpſit apparatum; ita ejus Templa iſti fini congruum habere ornamentum, non dedecet: & uti jam

ex Chriſtianis ſuggeſtibus non promittuntur terrena bona, ut illorum amore populus Chriſtianus Deo ſerviat, ſed potius iſtorum bonorum contemptus commendatur, dum prædicatur: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*: ita quoque Chriſtiana Religio non Templorum auro & opulentiâ præcipuè commendanda. Vidit hoc *D. Hieronymus* in ſua ad *Nepotianum* Epiſtola, quando noluit ut opulentia *Salomonici* Templi ad Templa Chriſtiana transferretur. „Neque vero, inquit, mihi aliquis opponant dives in Judæa Templum, menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cætera „ex auro fabricata: tunc hæc probabantur à Domino, quando ſacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecorum „erat redemptio peccatorū. Tunc probabatur in templo auri abundantia, quando colebatur Deus victimis pecorum, & viciſſim ſuis cultoribus in ſui cultus mercedem, abundantiam auri, pecorum & cæt: promittebat, ne cupiditate illa obtinendi ad idola confluerent. Nunc vero, quia ſub-

Matt. 5. 3.

ſublimiora ſunt promiſſa, ſublimior ſit & cultus.

§. XCVI.

Bonis per novum Teſtamentum promiſſis Deus nunc coli deſiderat.

HUic rationi aliam addit *Hieronymus*, dicens: *quamquam hæc omnia præceſſerint in figura, ſcripta ſunt enim propter nos, in quos fines ſæculorum devenerunt.* Quemadmodum Templi veteris non ad litteram unitas imitanda; ſic nec ſecundum *Hieronymum* ejus magnificentia nobis data in exemplum, ſed potius in documentum: ut ſicut illi Judæi carnales illis rebus, quas maximi faciebant, Deo ſerviebant tanquam illorum largitori; ita nos æternæ juſtitiæ fonti Deo noſtro ſerviamus fide, ſpe, & charitate, quæ ſunt Eccleſiæ militantis maxima dona, quæ à Deo recipiens, Deo refundit. Uti hęc interioris hominis decora atque opes immenſo intervallo aurum & argentum poſt ſe relinquunt; ita Eccleſiæ Chriſtianę vera gloria, quæ in iſtis bonis eſt collocata, incomparabiliter eſt illuſtrior, quam fuit ſplendor *Salomonici* Templi

à metallo mutuatus. Iſto ſenſu prædixit
Cap. 2. 10. Aggæus Propheta: *Magna erit gloria domus illius noviſſimæ pluſquam primæ.* Gloria enim noviſſimæ major eſt quàm primæ, quia in prima colebatur Deus, ut Dominus & Largitor bonorum tranſeuntium: in noviſſima colitur uti Dominus & largitor bonorum ęternorum. Major gloria domus noviſſimæ quàm primæ, quia in illa ſervit charitas, in iſta cupiditas; in illa ſplendent corda, in iſta ſplendent parietes; in illa ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidę charitatis, in iſta fumat aut carnium nidor, aut thimiamatis odor. Ex his fit manifeſtum, *Salomonici* Templi Splendorem atque magnificentiam Chriſtianis non figere legem, quam in ornandis ſuis Baſilicis ſequi debeant; quin potius ex diverſitate finis utriuſque legis inferenda eſt diverſitas mediorum. Celebretur Deus temporalis felicitatis Dominus & Largitor auro & argento, quæ iſtius felicitatis pars magna; ſed celebretur Dominus & Largitor æternæ & internæ felicitatis fide, ſpe, & charitate, quibus iſta felicitas promeretur.

§. XCVII.

§. XCVII.

Non omnis exterior ornatus à Templis Chriſtianorum proſcribendus.

NOn hæc tamen eo dixerim animo, quod omnem omnino externum ſplendorem à Chriſtianorum Templis remotum cupiam; ſed ut oſtendam, Templa Chriſtiana magis adorantium charitate, quàm parietum ſplendore clareſcere. Et illos non ſat, quę *Jeſu Chriſti* ſunt, ſapere, qui videntes fratrem ſuum neceſſitatem habere, claudunt viſcera ſua ab eo, ut in ſuperflua Templorum ornamenta, quam habent, mundi ſubſtantiam largiſſimè conferant. Neque etiam illi, qui hunc pauperum neglectum ſuis conſiliis aut ſermonibus fovent, ut Templa magis magiſque diteſcant, omnino ſunt diſſimiles iſtis Doctoribus, quibus *Chriſtus* dicebat: *Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod* Marc. 7. 11. *eſt donum) quodcumque ex me, tibi profuerit: & ultra non dimittis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri.* Quâ enim duritiâ iſti docebant utendum erga patrem

& matrem, eâdem hi ſuadent erga fratres eſſe utendum, quando, quæ fratrum inopiæ denegantur, Templorum impenduntur ſplendori.

§. XCVIII.

Oſtenditur decere aliquem in locis ſacris eſſe ornatum.

PORro quamvis ſit hæc magna differentia inter Judaica ſacrificia & noſtrum, quod illa non liceret offerre, niſi in loco, quem elegerat Deus, hoc eſt, in magnifico Hieroſolymorum Templo; noſtrum autem, licet iſtis infinitè dignius, in omni loco, etiam in ſtabulis pecorum, & cryptis ſubterraneis, idque ſine Altari, ſacriſque veſtibus, aliquando poſſit offerri, & ita oblatum fuiſſe legatur in Eccleſiaſticis monumentis à *Luciano* Martyre & *Theodoreto*, quorum hic manibus ſui *D*iaconi, alter ſuo pectore pro altaribus utebantur: attamen, quia inter Chriſtianos multi ſunt, qui *Chriſtum* nonniſi ſecundum carnem cognoſcunt; & quia ipſi ſpirituales, dum hic vivunt, non omnino deponunt veterem hominem, ſed & nonnullas ignorantiæ tenebras, &

con-

concupiſcentiæ pondus, & mortalitatis jugum conferunt; hinc, ut noſtra imbecillitas à terrenis & perituris, in quę lapſa erat, ad Deum, Divinaque myſteria religiosè colenda exurgat, quibuſdam corporeis adminiculis eam convenit adjuvari. „ Ubi enim, inquit *Gregorius*, lapſi, „ ibi incumbimus ut ſurgamus; & quaſi „ ibi ſurgendo manum conſiderationis „ figimus, ubi pede amoris lubrici cor- „ ruentes negligendo jacebamus. Quia „ enim ab inviſibilibus per viſibilia ceci- „ dimus, dignum eſt, ut ad inviſibilia ipſis „ rurſus viſibilibus innitamur: ut quo caſu „ anima venit ad infima, eo gradu rever- „ tatur ad ſumma. Unde quamvis Religio, quâ Deum, quem amiſeramus negligentes, eligimus vel reëligimus, præcipuè vel unicè in ejus timore & amore conſiſtat, attamen ut hic timor & amor in nobis naſcantur, & nati conſerventur, & conſervati adoleſcant, externa quædam adminicula oportet adhibere. *Chriſtus* in diebus carnis ſuæ, licet nec veſtium pompa, nec ſatellitum caterva homines in ſui admirationem exciverit, non tamen ſine omni externo apparatu in ſui cultum illos attraxit. Defuit ipſi ſplendor auri & gem-

Lib. 26. moral. cap. 8.

gemmarum, ſed non defuit ſplendor miraculorum. Auri illecebra avaros, ut ſe ſequerentur, non allexit; verum miraculorum fulgore curioſos, ut ad ſe confluerent, excitavit. Uſus eſt ergo temporalibus, quorum cupiditate ardebant homines, ut eos ad amorem æternæ ſapientiæ reformaret. Et licet lex nova, non inſtar veteris ſit foris in tabulis, ſed intus in corde, non littera ſed ſpiritu, non atramenti effuſione, ſed charitatis diffuſione conſcripta; attamen & ſono vocis, & literarum elementis per aures & oculos deſcendit ad cordis penetralia. Non diſſimiliter nova ſive Chriſtiana Religio, quamvis ſit in intimo cordis receſſu, non illibenter tamen admittit, imo etiam exigit cultum quemdam & apparatum veſtium, Templorum, vaſorum, luminarium, & odorum, talem quippe qualis charitati, qua Deus colitur, incipienti & proficienti maximè convenit. Nec dicant *Calviniani*, *Anabaptiſtæ*, aliique Heterodoxi, qui in profanis veſtibus, ſine vaſis pretioſis, ſine thuris fragrantia, ſine cereorum lumine; ſua ſacra peragunt, falſos Deos à ſuis cultoribus apparatum non abſimilem poſtulaſſe. Hoc enim, ut ſapien-

Pientiſſimè advertit Auguſtinus, *mos eſt deberi vero Deo, quod ſibi exigit falſus Deus.* Quod ergo falſi *D*ii iſta ſibi poſtulaverint, non tam iſtorum uſum vilipendit quàm commendat; & tantum abeſt, ut Catholici arguendi ſint, quia his utuntur rem ſacram facientes, ut potius laudandi ſint, quod hęc ab injuſto uſurpatore vendicantes, ad Dei ſui cultum tranſtulerint. *In Pſal. 94.*

§. XCIX.

Quis ornatus Chriſtianam Religionem maximè deceat.

ET quia animabus mihi creditis forſan non erit inutile, hic exponam, quis exterior apparatus Religionem maxime deceat, ut timor & amor, quibus Deus colitur, in animabus adhuc infirmis excitetur & augeatur. *D. Auguſtinus* in libris de Muſica hanc figit Regulam: ut nos „ ipſos inter illa, quæ infra nos ſunt, & „ illa quæ ſupra nos ſunt; ita Deo & Do- „ mino noſtro opitulante ordinemus, ut „ inferioribus non offendamur, ſolis au- „ tem ſuperioribus delectemur. Dele- *Lib. 6. cap. 11.*

cta-

„ ctatio quippe quaſi pondus eſt animæ.
„ Delectatio ergo ordinat animam : ex cujus doctrina videtur *Primo* confici, in Templorum apparatu, cum ex rebus, quæ infra nos ſunt, ſit compoſitus, delectationem non eſſe quærendam, ne ſi illam in illo quæreremus, anima noſtra rebus infra nos poſitis ſe ſubjiceret turpiter, & à delectatione & amore rerum æternarum miſera frigeſceret. Nihil enim verius iſtâ *Gregorii* ſententiâ : eſſe qui-
„ dem ſine delectatione anima nunquam
„ poteſt : nam aut infimis delectatur aut
„ ſummis : & quanto alteriori ſtudio ex-
„ ercetur ad ſumma, tantò majori ſtudio
„ torpeſcit ad infima ; quantoque acriori
„ cura inardeſcit ad infima, tanto tepo-
„ re damnabili frigeſcit à ſummis : utra-
„ que enim ſimul & æqualiter amari non
„ poſſunt. Studioſè ergo attendendum, ne apparatus Templorum ſit illecebroſus ad ſenſus aut ſpecie naturarum, aut immodeſtia picturarum, aut cantus harmonia, aut faſtu paramentorum potius illaqueandos, quàm ad Divina excitandos. *Secundò* cavendum ex doctrina *Auguſtini*, ne quid ſit in Templis, quod ſenſus offendat : nam & ipſa ſenſuum offen-

Lib. 18. *moral. cap.* 8.

ſio

ſio ab attentione rerum ęternarum avocat animam, eamque, ne quid ſublime cogitet, affigit iſti, quo cruciatur aut offenditur malo.

§. C.

In Chriſtianis Templis decet nihil eſſe, quod ſenſus offendat, aut ſtomachum moveat.

CUm autem ſordibus, & malâ proportione anima offendatur, & iſta offenſione diſtrahatur: enitendum *imprimis*, ut nihil ſit in Templis ſordidum; nihil quod ſtomachum aut nauſeam movere; nihil quod riſum poſſit excitare: quod tunc fiet, quando linteamina omnia nitebunt munditie; nihil in paramentis erit centonum more conſutum, quando Baſilicarum teſtudines, vitreæ feneſtrę, parietes & pavimenta, ſitu, immunditia & fætulentis ſordibus non erunt inquinata: & quando in calicibus nihil offendes, quod viſui aut guſtui moleſtum,quale in ligneis calicibus occurrere natum erat. Unde Eccleſia illorum uſum merito abrogavit, commendans aureos, argenteos, aut ad minimum ſtanneos calices divinis myſte-

myſteriis adhiberi. *Secundò* ſatagendum, *ut cum*, quemadmodum loquitur *Auguſtinus, in omnibus artibus convenientia placeat, quâ unâ ſalva & pulchra ſunt omnia, ipſa vero convenientia æqualitatem & unitatem appetat, vel ſimilitudinem parium partium vel gradatione diſparium* : hæc convenientia reperiatur in Baſilicarum, Imaginum, vaſorum, Altarium & Paramentorum ſtructura.

Lib. de vera Religion. cap. 30.

§. C I.

Cavendum, ne imagines ſanctorum ſint illecebroſæ.

SPecialiter autem attendendum, ne divorum imagines præ ſe ferant quicquam quod non deceat, aut prototypo non congruat. Unde *Concilium Cameracenſe* merito jubet tales tolli aut mutari: *cum*, ut eadem Synodus ait, *imperitæ plebis cauſa maximè poſitæ ſint imagines, ut illarum aſpectu docti ac moniti patrocinium divorum, & pietatem in* Chriſto *conſervemus, & eorum vitam imitemur.* Si quid præ ſe ferrent, quod non deceret, nec prototypo congrueret, nequaquam ad imitandam divorum vitam inci-

Cap. 2. *de Imag.*

incitarent, ſed potius in errorem, aut perverſam æmulationem imperitos, carnalesque inducerent. Quare mihi videntur ineptæ iſtæ imagines, quibus aliquę ſanctæ, ac præſertim ipſa Deipara in diebus carnis ſuæ, ipſoque Bethlehemetico ſtabulo aurata veſte, crine crispato, collo non ſat cooperto, repræſentatur. Tales enim imagines non honorem humillimæ & modeſtiſſimæ Virginis promovent, ſed potius illum graviſſimè lædunt, quod eam, non uti humilitatis & modeſtiæ, ſed potius (quod horror eſt dicere) uti vanitatis & luxus exemplum proponere videantur. Non aliunde iſta inſulſitas profluxit, quàm ex illo errore atque ſtultitia, quâ olim, uti dicebat *Plato*, Poetæ humana ad Deos, & non potius divina ad nos detulerunt. Tales ergo ſolummodo collocentur in Baſilicis imagines, quæ conſpectæ inſtillent pietatem; inſpirent modeſtiam; prædicent mundi contemptum; & ad *Chriſti* provocent amorem. Non aurum magis, quàm lignum aut lapides, ad hæc aptum. Illæ vero imagines, quæ conſpectæ ad mundi trahunt amorem, è Templis omnino proſcribantur. Luculenter hæc duo

docet *Guilh*: *Eſtius* in illa *Ezechielis* verba: *Cumque vidiſſet* (Ooliba) *viros depictos in pariete* (*templi*) *imagines Chaldæorum expreſſas coloribus*, & *accinctos balteis renes*, &c. *inſanivit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum.* Ex his verbis, inquit, duo notatu digna colligi poſſunt. *Primo*: quem uſum habeant imagines decentes in Eccleſia receptæ & approbatæ. Nam ſi imagines & picturę laſcivæ & turpes animum inſpicientis ad laſciviam provocant, & ad deſiderium rei conſpectæ, ut hic ſignificatur. Igitur è contrario, pię & pudicæ imagines ac picturę, animum hominis inſpicientis ſimiliter ad pietatem & pudicitiam provocabunt. *Alterum* eſt, ab Eccleſiis itaque longiſſimè arcendas eſſe illas imagines, quæ laſciviam aliquam oculis ingerunt: item in quibus Sancti, aut Sanctæ pinguntur amatorio habitu: & in genere omnes eas, quæ plus curioſitatis quàm pietatis oſtendunt. Imo non ſolum ab Eccleſiis, ſed & ab ædibus & cubiculis Chriſtianorum meritò eſſent amovendæ. Hæc *Eſtius* de imaginum apparatu utili aut noxio.

Ezechiel. 23. v. 14.

Sed redeamus ad Templorum decorem

rem ac opulentiam. Ubi tempora benigniora auri & argenti magnam afferunt abundantiam; & pauperum neceſſitatibus liberali miſericordia ſuccurritur; & ſub Catholici Principis patrocinio Baſilicę tutæ ſunt: tunc in Baſilicas profuſio maximè commendenda; præſertim ſi eo animo ab Eccleſiæ Præfectis pretioſa quæque vaſa acceptentur; ut, dum magnæ calamitates ſævient, in miſerorum ſolatium ea divendere ſint parati, quemadmodum *Ambroſium* & *Auguſtinum* cum magna laude, nec non fidelium ædificatione feciſſe norunt.

§. CII.

Sub Acatholicis Principibus parum Templorum ſplendori, & multum miſericordiis pauperum impendendum.

QUod ſi Catholica Religio Principes aut optimates, ſub quibus exercetur in ſæculo, habeat adverſos; tunc vaſa pretioſa & paramenta auro gemmiſque diſtincta eam non tam juvant quam impediunt. Nam ubi fidei hoſtes percipiunt,

quos Eccleſia theſauros poſſideat; quæ argenteę lampades & candelabra in Oratoriis fulgeant; quanto auro gemmisque paramenta ſint onuſta; illorum cupiditas, ut iſta diripiat, tota inardeſcit; & perſecutiones commovet, non tam ut ſacra diſturbet, quam ut theſauris potiatur. Vaſis ergo pretioſis hoſtes Religionis non alliciuntur, ut eam amplectantur, ſed potius incitantur, ut eam diripiant & expugnent. Fidei vero Domeſtici, niſi cum *Laurentio* prompti ſint Eccleſiæ theſauros in vacuis pauperum ventribus recondere, ut illos perſecutorum ſubtrahant rapacitati, eos cuſtodiendi ſolicitudine gravantur: atque eo ſegnius in Deum ſeſe elevant, quò pro Eccleſiæ auro curam gerunt majorem. Unde etiam ſæpè fit, ut dum aſſiſtunt Altaribus auro & argento, inſtar officinæ Aurifabri, inſtructis, non tam aſſiſtant in Deum attenti, quam pro metallis Eccleſiæ ſoliciti. Et dum cæteris anni tempeſtatibus eos, ut ſervent, terræ infodiunt; vel, ne perſecutoribus pateant, in locis abditis recondunt; tunc non major in eis utilitas, quàm in
Eccl: 41. 17. theſauro abſcondito, de quo ſapiens: *ſapientia abſcondita & theſaurus inviſus,*
quæ

quæ utilitas in utriſque. Operibus autem charitatis ſemper ineſt utilitas magna: illis lex charitatis, qualis eſt nova, feliciſſimè propagatur. Unde Apoſtoli, cum fideles ad illorum pedes ſuarum ædium & fundorum pretia projicerent, non illa in pretioſa vaſa converterunt, nec in locis arcanis abſconderunt, ſed dabant ſingulis *prout cuique opus erat.* Nihil glorioſius & utilius Eccleſię fuit, quam quod ethnici videntes Chriſtianorum erga ſe mutuo charitatem ac miſericordiam, dicerent de Chriſtianis, uti apud *Tertullianum* in Apologia dicunt: *ecce quomodo ſe diligunt!* parva profectò Eccleſiæ gloria; poſtquam, ut ait D. Paulinus, *Chriſtus pauper factus, divitibus pudor, gloria pauperibus,* quod ab auro & argento commendetur. Magna vero ejus gloria eſt, quod ejus in pauperes profuſio prædicetur; quod ſtudioſè caveat, ne, quos ipſa *Chriſto* filios peperit, Heterodoxis tradat alendos; & quod mutuâ ſuorum erga ſe filiorum charitate clareſcat: juxta illud *Chriſti, in hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem habueritis ad invicem.* Hęc habuit præ oculis *Veriuſius, Dominicanæ* familię, dum viveret, Religioſus

Act: 2. 45.

Joan: 13. 35.

In lib. de Miſſi: Tract. 1. cap. 5.

gioſus eximius, & ſuorum Fratrum in *Hollandica Miſſione* cum ſingulari animarum zelo Præfectus: hæc inquam habuit præ oculis, quando monuit *Miſſionarios*, ut potius in pauperum neceſſitates, quàm in magnas Bibliothecas, vel etiam Altarium ornamenta pecunias expendant, *nec laudari*, inquit *aliquando poteſt ex illis pretioſa ornamenta conficere.* Eccleſiæ ergo, ſub imperio ſuorum hoſtium conſtitutę, ſit potius *fortis ut mors dilectio*, quàm gemmis & unionibus ſplendens devotio; certa quod hoſtes non auro, ſed amore vincet, ſicuti nec opum faſtu, ſed charitatis humilitate ſuo ſponſo placebit.

§. CIII.

Sub Catholico Principe & benignis temporibus decet, ut ſplendidior ſit cultus Eccleſiæ.

QUod ſi Reipublicæ, in qua Eccleſia peregrinatur, imperent *Conſtantini*, nec deſit copioſa ſæculi felicitas, tunc, ut ferè ait *Euſebius*, votivum ac deſideratum ſpectaculum fidelibus præbeatur: *Dedicationum ſcilicet feſtivitas per ſingulas Urbes*,

bes, & Oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes. Hæc velim advertant tam Catholici quam Acatholici: ut illi, in perſecutione poſiti ſuperbis Templis & vaſis pretioſis non illibenter careant; hi vero non inſultent Eccleſię, ſi à perſecutionis timoribus ac doloribus libera lætiorem cultum aſſumat; perinde ac ſi apparatum externum nonnihil mutando, fidei quoque ſpiritum immutaſſet. Ut enim poſſumus fide immutata, juxta *Jacobi* præceptum, dum triſtamur, orare; & dum æquo animo ſumus, pſallere, licet magna ſit diverſitas inter orationem & pſalmum, quod illa gementis, hic vero vox ſit lætantis: ita apparatus Eccleſiæ poteſt & debet pro vario Eccleſiæ ſtatu eſſe diverſus, in adverſitate triſtior, lætior vero in proſperitate, ubique tamen idem ejus ſpiritus, eadem fides, eadem interior Religio perſeverat: ita ut illi dici poſſit, quod Deo dicit Auguſtinus: *Opera mutas, nec mutas conſilium*; nam ejus propoſitum ſive conſilium eſt tam in ſplendido quam in humili apparatu Deum diligere, Deumque venerari.

Lib. 10. cap. 3.

Lib. 1. confeſſ. cap. 4.

Non hic expono num melius ſit, ut ferè loquitur *Hieronymus*, ædificare Ec-

cleſias; parietes marmore veſtire; columnarum moles advehere; earum capita deaurare; ebore & argento valvas; & gemmis aurata diſtinguere Altaria; an verò potiùs ſit privatas ædes iſto induere ornatu, aut etiam theſauros recondere, ac reconditis incubare. Nam certum eſt, hoc illo eſſe deterius, cum prius Religionis, poſterius ſemper ferè faſtus aut avaritię opus ſis. Hinc *Hieronymus* ait, *melius eſt hoc facere* nempe Eccleſias marmore induere, aurata Altaria ebore & gemmis diſtinguere, *quàm repoſitis opibus incubare*, adde quam privatas domos deauratis laquearibus, & ſuperbis tapetibus exornare.

Epiſt. 8. ad Demetriad. m.

Uti laudanda *Davidis* Religio, qui attendens ſui palatii elegantiam, & Domus Dei vilitatem, pudore ſuffuſus dicebat ad *Nathan*: *Videſne quod ego habitem in Domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium?* Ita è contrario deteſtanda illorum ſuperbia ac avarities, qui flocci faciunt, tametſi Baſilicę ſquallεant; Deo in laceris & ſordidis veſtibus ſacrificetur; atque Altarium apparatus ſpiret non venerationem, ſed contemptum divinorum Myſteriorum. Hujuſcemo-

2. Reg. 7, 2.

modi hominibus familiare cum *Judæis* dicere: *Nondum venit tempus Domus Domini ædificandæ* : nec hæc dicunt, quod curam Templorum viventium anteponant Templis inanimatis; atque charitatis exhibitione, illa prius, quàm hæc, Religionis oſtenſione credant ædificanda; ſed hæc ideo ab ipſis proferuntur, ut quæſitis prætextibus ſuam obtegant avaritiam, animumque à Dei obſequio alienum. Unde Dominus, ut iſtos ſive hypocritas ſive ambitioſos, ſive avaros pudefaciat, ipſis hoc ingerit: *Nunquid tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta eſt?* Hoc eſt, non temporis anguſtia, non metus inimicorum, non pauperum inopia vos impedit à ſtructura ædium ſuperbarum. Solummodo omnia plena ſunt periculis & incommodis, dum agitur de Dei cultu, & decenti Templorum apparatu. Poſtea recenſet Propheta plagas à Deo Judæis inflictas ob neglectum ædis ædificandæ: recenſerem illas, ſi quæſtio verteretur, num domus privatæ cultus ſit anteferendus cultui Domus Dei. Sed cum nemo ſit, aut certe velit videri tam irreligioſus, ut plus virtutis ponat in adornada domo

Aggæi 1. 2.

ibid. 4.

ſua, quàm in Templis extruendis; haud neceſſarium eſt his diutius immorari.

§. CIV.

Ordo rationis poſtulat, ut Corpus CHRISTI *apparatum externum plerumq; habeat cultiorem quam habeant Imagines.*

QUod vero attinet ad illam comparationem, qua externus *Venerabilis Sacramenti* apparatus confertur cum apparatu Imaginum, & cenſetur iſto debere illam eſſe majorem, illud ex regula veritatis cenſeri videtur. Nam quemadmodum *Synodum primam Cameracenſem* audivimus ſtatuentem, *Preces fidelium analogiam & proportionem fidei ſequantur*: ita pariter externus rerum ſacrarum cultus ac apparatus tunc erit, regulariter loquendo, ordinatiſſimus, quando analogiam & proportionem fidei ſequetur, hoc eſt, quando iſtis ſignis vel rebus ſacris major & ſplendidior cultus deferetur, quas fides noſtra docet eſſe majores. Cum autem Euchariſtia Corporis Domini infinitè dignior ſit quibuſcumque rebus aut ſignis, quę in Templis proponuntur, procul dubio ipſi excellentior competit apparatus.

§. CV.

§. CV.

Miraculoſæ Imagines poſſunt ſine offenſa fidei aut recti ordinis ſplendidius adornari, quàm receptaculum Corporis Domini.

SI tamen circa miraculoſam Deiparæ Imaginem ſubinde plura luminaria ſplendeant; eique plures ſupplicent, ambientes ejus ad filium interceſſionem, non id ſemper vitio dederim, nec analogiæ fidei cenſuerim adverſum. Nam ipſa fides & ratio docet, operibus miris atque prodigiis, noſtram, hoc eſt, hominum infirmorum, & in tenebris caligantium attentionem magis moveri, quàm conſuetis Dei operibus, quantumvis majoribus. *Sol non habet Spectatorem*, inquit *Seneca*, *niſi cum deficit*: nemo tamen deficientem vigenti ſole dixerit majorem, licet ille à plurimis, iſte vix ab ullis aſpiciatur. *Petrum* Apoſtolum, clarum miraculis, Diſcipuli omnes & viduæ circumſtant, poſtulantes *Dorcadis* reſuſcitationem: non hæc *Petro* intenta ſupplicantium corona in *Chriſtum* erat irreligioſa. Noverant in cujus virtute miracula ederet. Actor: 9.

ret. *Joppenſes* ad *Petrum* mittunt Oratores, *Petrum* ambiunt, *Petro* ſupplicant; non quia *Petrum*, *Chriſto* præponebant, aut ſine *Chriſto* quicquam poſſe credebant; ſed quia *Petrus* ſtupenda operans illorum ſenſus fulgore miraculorum feriebat viſibilius, quam illos feriebat abditus in cœlo *Chriſtus*. Hęc transferas ad *Mariæ* Imagines & *Venerabile Sacramentum*. Illæ miraculorum fulgore, & viſibilibus ſtupendiſque operibus variis in locis hominum oculos in ſe reddunt attentos, *Chriſto* interim ſub Sacramento eiſdem in locis ita deliteſcente, ut nulla ſe prodat externa operatione. Hinc ibi circa Imagines *Mariæ* frequentiora lumina, & copioſior ſupplicantium corona, quàm circa Tabernacula Corporis Domini. Illic ergo ſplendidior apparatus circa Deiparæ Imaginem, quam circa Sacramentum Corporis Domini, non eſt ſignum, quod *Maria* major ſit *Chriſto*; ſed ſignum, quod *Mariæ* operatio aliquando ſit viſibilior, quàm *Chriſti* operatio; & quod ipſi ex eodem conſilio, quo per Apoſtolos ſuos majora voluit quàm per ſe ipſum miracula operari, ſubinde placeat per matris ſuę ſigna ſive ſta-

tuas

tuas plura edere ſtupenda, quam per ſui Corporis Sacramentum. Qua ergo ratione Sanctos & Viduas in *Ioppe Petrum* circumſtantes & *Petro* ſupplicantes ab omni in *Chriſtum* injuria abſolvimus: eadem ratione abſolvamus illos, qui Deiparam in ſuis miraculoſis Imaginibus elegantiori cultu, & frequentiori ſupplicantium corona ſubinde venerantur, quam diviniſſimum Altaris ſacramentum, in quo ille occultatur, ſine cujus virtute & arcanâ operatione nihil virgo ſuis ſupplicibus prodeſſe poteſt, cum ipſe ſine Virgine poſſit omnia.

Profectò nihil pro *Ioppenſibus* proferri poterit, quod non pro cultoribus *Mariæ* militet. Si dixeris, *Ioppenſium* preces non hæſiſſe in *Petro*: preces ſupplicum *Mariæ* non etiam ſeſe ſiſtunt in *Maria*. Si dixeris, eos circa *Petrum* fuiſſe frequentiores, quia *Petri* operatio & mira & aperta: eadem militat ratio pro illis, qui in *Aſpero Colle*, aut *Hallis*, aut *Kevelariæ Mariam* ambiunt. Et libenter mihi perſuadeo, quod ſicuti celebrato per univerſam Urbem *Ioppem Petri* miraculo multi crediderint in Dominum non hærentes in *Petro*, ſed per *Petrum* ad *Chri-*

ſtum

ſtum tranſeuntes; ita opinor non paucos publicatis *Mariæ* miraculis, per *Mariam* tranſire ad *Mariæ* Filium.

Hæc crediderim ab Eccleſiæ ſenſu nullatenus eſſe aliena. Verum ut paſſim ſit circa Imagines Deiparæ, quàm circa *Venerabile Sacramentum* pretioſior apparatus, id cum fidei analogia malè componitur: ſicuti etiam illi directè adverſatur, quod ſplendeant luminaribus Deiparæ Imagines, dum juxta illas ſquallent receptacula Corporis Domini, nam is ſquallor nuſquam & nunquam decet.

§. C V I.

Oſtenditur contra Iconoclaſtas imagines rectè coli.

QUantum hæc, quę de cultu imaginum diſſerui, crediderim Catholicis placitura, tantam inde Iconoclaſtarum offenſionem video timendam. Ad eos ergo placandos, nobisque reconciliandos breviter hic oſtendam, illos nobis *Chriſti*, ſanctorumve ſigna venerantibus Idololatriæ crimen imponere non poſſe, quin iſtud ipſum ſibi ipſis imponant. Nam ſi idololatria eſt venerari picturas, li-

lignum, lapides, ęris, argenti aurivè metalla ita efformata, ut *Chriſti* ſanctorumve ejus ſigna ſint, & veluti ſigna illorum nobis cogitationem ingerant: etiam idololatria erit venerari mortuos characteres, aëris alliſionem, humanas voces ita effictas, ut Dei verbum nobis repræſentent, ejusque cognitionem atque memoriam in humanis mentibus excitent. Atqui Iconoclaſtæ Biblia & Prędicationem habent uti ſacra, & uti talia venerantur: imo ferè omne illorum Religionis exercitium in Bibliorum lectione, Pſalmorum cantatione, & prædicationis auditione collocatum eſt. Quid autem Biblia, ſi materiam ſpectes, niſi charta characteribus inſignita? quid cantus Pſalmorum & prædicatio, niſi fractus aer? ſi illa meritò amet & veneretur Calviniſtica Religio, quando non illorum materia, ſed ſignificatio attenditur: cur Catholicis non licèbit venerari ſive *Chriſti* ſive ſanctorum imagines; dum non earum materiam, ſed ſignificatum intuentur? ſi Calviniſtæ Biblia, ſi prædicationem honorent, quæ Deum, Deique opera ac voluntatem denotant, & veluti ſigna repræſentant: cum imagines eodem munere

nere fungantur, cur Catholicis vertetur crimini, ſi eas ob id munus ament, reverenter ſervent, atque aliquibus externis ceremoniis ſuum erga ſacra ſigna affectum exprimant? an fortè licebit ſacra ſigna amare & magni facere, quando ex charta, atramento, vel aere alliſo conſtant; non verò licebit, quando metalla, ligna, aut lapides in ſigna adhibentur?

§. CVII.

Si illicitus cultus imaginum, illicitus quoque erit is honor, quem Calviniſtæ deferunt ſuæ cœnæ Dominicæ.

DEinde, ſi idololatria ſit, imagines amare & æſtimare, & hunc amorem ac æſtimationem ſive voce, ſive ritibus externis, exprimere; etiam idololatria erit panem & vinum in cena Domini ut ſacroſancta diligere, ac venerari. Quid enim illa Calviniſtis niſi imagines & ſigna corpus & ſanguinem Domini repræſentantia? atqui hæc ſacramenta ſive ſigna ſacra, ſive typos, ſive figuras, tantopere venerantur, & tanta Religione proſequuntur, ut ad illa tractanda religioſe ſe

præ-

præparent; ſeipſos probent, num in ea ſint vitæ ſanctimonia, quàm iſte panis & calix poſtulant, certi quod ſi indignè ea manducent ac bibant, judicium ſibi manducent ac bibant, fiantque rei corporis & ſanguinis Domini: quia, inquiunt, imaginis injuria tranſit ad prototypum, ſignique violatio afficit ſignificatum. Hęc ipſorum reſponſio, dum contra ipſos, præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, Catholici ex iſtis Pauli verbis, *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, evincere ſatagunt. Nam, ut vim iſtorum verborum elidant Calviniſtæ, dicunt poſſe violari in Euchariſtia corpus & ſanguinem Domini, eorumque indignè perceptorum illum fieri reum, qui eorum imaginem ſive figuram indignè perceperit. Etenim, inquiant, injuria aut honor imaginis tranſit ad illud, quod per imaginem denotatur. En quomodo, ut ſuum propugnent de Euchariſtia errorem, contra ſeipſos tueantur Catholicam de cultu imaginum doctrinam.

1 Cor. 11. 27.

Ut autem clarius videas, quanta utantur ſolicitudine in colenda Euchariſtia,

quæ ſecundum ipſos aliud non eſt, quam imago corporis & ſanguinis Domini; attendendum quod non contenti ſint ea ſui ipſius probatione, quæ conſiſtit in examine conſcientię; ſed inſuper, ut novam ſanctimoniam acquirant, verbi *D*ei attenta auditione, orationibus prolixioribus, Pſalmorum cantu, mentem in Deum ſatagant elevare, elevatamque adaptare perceptioni cœnæ, quam putant, ſacroſanctę. In ipſo verò Communionis momento modeſtiâ, qua poſſunt maxima, ſacræ menſæ accumbunt; & religioſo ſilentio mortem Domini meditantes annunciant; & ne ulla terrenâ cogitatione diſtrahantur, percepta communione faciem obnubilant. Et *Anglicani Calviniſtæ*, qui Epiſcopis ſubſunt, ante panem & calicem Domini genua flectunt, & flexis genibus corporis & ſanguinis Domini ſigna percipiunt. Signa ergo colunt. Itaque ſi ipſi panem & vinum ſine idololatria colunt, non quatenus panis & vinum ſunt, ſed quatenus ſacramenta ſive ſigna ſunt rei adorandæ; quare non poterunt Catholici ligna aut metalla, aut colores venerari, non quatenus ligna aut metalla, aut colores ſunt, ſed quatenus

ſigna

ſigna & figuræ ſunt, quibus *Chriſti*, aut Sanctorum ejus in nobis recordatio excitatur? ſi non eſt ſcelus idololatriæ ante panem & vinum genua flectere dum mortem Domini repræſentant; cur, quæſo, ſacrilegium erit ante lignum aut tabulam flexo poplite, *Chriſtum*, qui in illis repræſentatur, orare aut adorare? doceant ergo *Calviniſtæ*, quomodo Biblia; quomodo ſonantia in aere verba; quomodo panem & vinum in cœna Domini: adde, quomodo aquam & verba, quibus baptiſmus conficitur, uti ſancta colant ac venerentur, nec tamen idololatriæ ſcelus committant: & facilè percipient à ſe Catholicos calumniis impeti, dum eos ajunt idololatria fœdari, quia ſigna rerum ſacrarum amant & venerantur, non quia res quædam ſunt, ſed quia ſigna ſunt illarum rerum, quas homo diligit, ac meritò veneratur.

§. CVIII.

Naturæ humanæ quaſi agnatum ea ſigna habere in pretio, quibus rerum chararum memoria renovatur & conſervatur.

IMo auſim dicere, fieri non poſſe, ut cor humanum, niſi etiam motibus vim

inferas, rem aliquam exiſtimet, quin unà charum habeat ſignum ſive imaginem, qua in ejus rei cognitionem aut memoriam revocatur. Quisquis amat ſcire quid ſui majores egerint, is etiam amat notas, quibus ea notitia acquiritur & conſervatur. Nemo diligit leges ſive divinas ſive humanas, qui idem non magni faciat inſtrumenta ſive libros, qui aliud non ſunt, quàm ſigna, in quibus illę leges ac jura continentur. Nemo amat artem medicam, quin charos habeat characteres, quibus illa ars comprehenditur. Nemo cenſus annuos, creditosque nummos impenſè diligit, quin ſtudio ſingulari literas cenſuales, & ſui debitoris chirographum ſervet & æſtimet. Ita quoque *Chriſtum* ſacroſancto amore non amaveris, niſi ſigna, quibus ad ejus cognitionem & amorem excitaris, reverenter habeas. Et uti nemo idololatriæ illum accuſaverit, qui coram vel ante Pſalmorum librum genua flexerit, ut ex illo Pſalmum V. G. quinquageſimum legens, Deum adoret, & in corde contrito ac humiliato ſupplicet, ut ſua ſibi peccata clementer ignoſcat; ita nullus merito eum accuſaverit, qui aſpectu cru-

cis

cis compunctus, & ex ea quaſi legens, quid ſuus pro ſe Salvator paſſus eſt, coram illa, veluti coram quodam codice ſacroſancto poplitem incurvans, *Chriſtum* ſuum amat ac veneratur. Nonne Judæis ſolemne erat coram Arca fœderis Deum adorare? Nonne *Joſue* ſeſe proſtravit coram illa tanquam ſigno divinam præſentiam repræſentante? Nonne *David* coram illa religioſo ſaltu ſaltitavit? Nonne eam honoravit, quando inſtituit Cantores, qui jugiter coram illa *D*eum adorarent? Nonne *Iſraëlitæ* eam in ſumma veneratione non ſolum habebant, ſed etiam habere jubebantur? Nonne ſeveriſſime Deus illos punivit, qui eam non illâ, qua par erat, religione attrectabant? & quid Arca, niſi lignum & aurum ita fabrefactum, ut ſignum quoddam foret divinæ præſentiæ & providentię? cur quæſo ſimiliter non licebit Chriſtianis coram crucis imagine adorare Crucifixum, vel coram imagine Virginis ſe Virginis precibus commendare? cur illis nefas erit, iſta *Chriſti* aut Matris ſuæ ſigna habere, eâ, uti jubet *Gregorius Magnus*, qua dignum eſt veneratione?

Vide Ioſue 7. 1. Paralip. 16. & 15. & 13.

Lib. 7. Regiſt, indict. 2. epiſt. 5.

Sed ea adorare non licet. Idem ſen-

 tiunt

tiunt Catholici, qui libentiſſimè audiunt, quod ait laudatus *Gregorius Sereno Maſſilienſium* Epiſcopo, qui inconſiderato zelo Sanctorum imagines, ne adorarentur, confregerat. *Si quis* inquit, *imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare vero imagines, modis omnibus devita: ſed hoc ſollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtæ, quàm imagines ingerunt, ardorem compunctionis percipiant; & in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur.* Hæc *Gregorius*, cujus verbis Iconoclaſtæ libentius ſubſcribent, ſi advertant à Catholicis imagines nec coli cultu *latriæ*, neque etiam cultu dilectionis & ſocietatis. Non cultu *latriæ*, quia nulla creatura eſt aut Creator, aut Redemptor, aut Beatitudo noſtra. Non etiam cultu dilectionis & ſocietatis, quia eo cultu ſolummodo colenda eſt creatura rationalis Deum ſuum cognoſcens, amans, & adorans, quod certè non poſſunt creaturæ inſenſibiles, quales ſunt ſtatuæ ac picturæ. Ex quo etiam conſtat, imagines colendas eſſe cultu demiſſiori, quàm eſt ille cultus, quo coluntur ſancti Dei homines, ſive beati, ſive etiam beatificandi.

Quam

Quàm immanis ergo ea eſt calumnia, quam Iconoclaſtæ imponunt Catholicis, dum dicunt, quod colentes Imagines Crucifixi, aut Sanctorum, transferant Dei honorem ad ligna & lapides, cum nequidem Imagines eo honore dignas cenſeant, quo dignos æſtimant Sanctos Dei homines, ſive in terris, ſive in cœlis viventes.

Sed petet Iconoclaſta, quo ergo cultu proſequendæ ſunt Imagines? non majore quam quo proſequenda ſunt ſigna, quibus ad *Chriſti* amorem ac adorationem, vel ſanctorum ejus, fratrum noſtrorum, vel conſervorum imitationem admonemur. In quo autem iſte cultus conſiſtat, diſcant Iconoclaſtæ ex eo cultu, quo Judæi Arcam fœderis, & ipſimet ſua ſacramenta ac Biblia ſolent venerari.

EPILOGUS.

Si omnipotens Deus det deviis ab Eccleſia, ut hæc legant animo non contentionis, ſed cupido veritatis, facilè advertent, nihil eſſe in Deiparæ aliorumque Sanctorum cultu, qualem Eccleſia

Catholica profitetur, quod illi, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ adverſetur. Sint, qui prępoſtera in Sanctis fiducia peccatis inſordeſcant: ſint qui hanc fiduciam foveant, non tam exemplis quam figmentis: ſint qui Panegyricos non hiſtoriarum gravitate, ſed fabellarum levitate contexant: ſint, qui leves corde, quaſlibet apparitiones, licet illis obſtet *Moyſes* & *Elias*, credant & ſequantur: ſint qui falſa miracula venditent, ut ex cultu ſanctorum quæſtum faciant: Sint qui Imaginibus falſi dogmatis, & ſtromatibus impudicitiæ & Ovidianæ metamorphoſeos Templa dehoneſtent, Sanctos inhonorent, & plebem provocent ad luxum: quid hæc contra Eccleſiam, quæ iſta prohibet; quæ ſatagit, ut iſta emendentur, clamans in noviſſima *Synodo* œcumenica: *Si qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nulli falſi dogmatis Imagines* &c. ſeſſ. 25 de invoc. &c. Hac una Sanctione *Synodi Tridentinæ* Mater Eccleſia à ſe excutit omnem calumniarum pulverem, quibus eam æmuli conſpergunt.

Ex iſta Sanctione repetat *Rivetus*, quid de

de cultu Sanctorum credant Catholici, non vero ex, neſcio, quo *Mariali Magno*, aut *Libro exemplorum*, aut *pſeudo-Anſelmis*, aut *affiсto Bonaventuræ pſalterio*, *aut Pelbartano coronæ B. Mariæ Stellario*. Licebit *Riveto* pace Matris Eccleſiæ iſtos auctores ſuæ eloquentię cornibus ventilare; tantummodo nos ſinat invocare Sanctos, & eorum Imaginibus exhibere honorem. Iſtud autem ſinet, ſi cogitet ſe docere, Sanctos poſſe coli imitatione, & *Mariam* in exemplum, ad quod ſe forment mulieres, illis eſſe proponendam.

Etenim imitatio non minus Deo debita eſt quàm invocatio. Imo magis ſumus creati, ut Deum imitatione, quàm invocatione colamus. Si ergo ſanctos licet imitari, cur eos non licebit invocare? cum imitatio magis Deo quam invocatio debeatur, & magis illa quam hæc ſpectet ad Latriam. Capiant ergo quod ſicut eſt quædam imitatio inferioris ordinis, quæ Sanctos reſpicit; ita ſit quædam invocatio inferioris ordinis; quæ ſine Dei injuria Sanctis exhibetur.

Non etiam ægrè ferent prętensè Reformati à nobis coli Imagines, ſi ſe ipſos

cogitent venerari Euchariſtiam Corporis & Sanguinis Domini, quę tamen ſecundum ipſos non eſt niſi Imago Corporis & Sanguinis *Chriſti*. Nec inſultabunt Catholicis coram Imagine *Chriſti* crucifixi adorare Crucifixum, ſi ſe cogitent Deum adorantibus coram libris pſalmorum, qui majus nihil ſunt, quàm ſigna & Imagines, quę Deum, *Chriſtum*, & Sanctos legentibus exhibent & repræſentant. Non ſint tam iniqui, ut illud in nobis tanquam Idololatriam reprehendant, quod in ſe ipſis vocant pietatem. Sint tam ęqui, ut qua menſura ſeipſos metiuntur, nos quoque metiri dignentur, & fatebuntur in eo Sanctorum & Imaginum cultu, quem docet Ecclesia Catholica, eſſe omnia ſana & orthodoxa. Hanc ab ipſis exigo juſtitiam, qui ipſos opto in Sanctorum gloria numerari.

F I N I S.

Index Paragraphorum.

TRACTATUS PRIMUS.

§. 1. *Eſt hiſce temporibus de Sanctorum cultu contentio.* 1

§. 2. *Sanctorum hominum in terris viventium veneratio licita; imò præcepta.* 2

§. 3. *Non eſt ſuperſtitio colere Sanctos in cœlis regnantes.* 5

§. 4. *Catholici eadem cultus ſpecie colunt* SS. *in terris peregrinantes, qua colunt in cœlis regnantes.* ibid.

§. 5. *Coluntur* SS. *cultu religioſo.* 7

§. 6. *Quando colantur* SS. *cultu profano.* 9

§. 7. *Aſſeritur cultus religioſus Sanctorum in cœlis regnantium.* 10

§. 8. SS. *colendi tametſi cultum ſibi impenſum neſciant.* 11

§. 9. *Licitum Sanctos invocare.* 12

§. 10. *Tametſi ſupponeretur contra veritatem B. neſcire preces ad ſe directas, tamen utiliſſimum foret eos invocare.* 13

§. 11. *Licitum petere à Deo, ut nobis* SS. *in cœlis regnantium preces faceat prodeſſe.* 15

§. 12. *Verbum, ora pro nobis, non exigit, ut Sanctus, quem exprimis, illud audiat.* 16

§. 13. *Talis eſt differentia inter cultum Dei ac* SS. *in cœlis regnantium, qualis eſt inter cultum Dei & Sanctorum in terris viventium.* 18

§. 14. *Dei ſervitus* SS. *Laus præcipua.* 19

§. 15. *Beatior M. audiendo & cuſtodiendo Verbum Dei, quàm quia Verbum in illa caro factum.* 21

§. 16. *Beata Virgo unde præcipue colenda.* 23

§. 17.

§.17. *Nemo cultor Mariæ, qui non eſt cultor Dei.* 24

§.18. *Inſcriptio in Sodalitatibus non conſtituit verum* SS.*cultorem.* 27

§.19. *Pia Virginis invocatio, non eſt ſine aliquo motu divini amoris.* 28

§.20. *Quid ſit Sanctos colere cultu ſocietatis.* 29

§.21. *An Iudæi colant ſuos Patriarchas cultu Societatis.* 33

§.22. *Nihil prodeſt ſocietas Sacramentorum, niſi adſit ſocietas charitatis, ſive divini amoris.* 36

§.23. *Ut quis ſciat, num bene colat Deip:, videndum an diligat Deum.* 37

§.24. *Concluditur contra Hagiomachos cultum Sanctorum non obſtare cultui Dei.* 39

§.25. *Maria colenda Hyperduliâ, quia ejus ſanctitas longe excellentiſſima.* 40

§.26. *Maria præ omnibus Sanctis maximam habuit gratiam, quia per electione amoris, & non ſolum dominii electa fuit, ut eſſet Dei mater.* 41

§.27. *Maria vixit ſine peccato etiam veniali.* 44

§.28. *Eſt diverſa gratiæ plenitudo.* 47

§.29. *Gratiæ plenitudo, quæ in Maria celebratur, extendit ſe ad omnes ejus affectus & opera.* 48

§.30. *Quos Deus elegit ad grandia munia, eos paulatim ad illa præparat.* 50

§.31. *Magna affinitas inter Mariæ, & ſacerdotum officium.* 53

§.32. *Monet omnes Chriſtianos Sanctimonia Mariæ, ut ſint à criminibus liberi.* 54

§.33. *Quando Mariæ obumbrabat virtus Altiſſimi, tunc ei acceſſit major gratiæ plenitudo.* 56

§. 34

§.34. *Cadunt Angelorum & hominum primi, quia magis principatu, quam ſubjectione delectantur. Stat Maria, quia facta Dei mater, magis cogitat de obſequio, quam imperio.* 58

§.35. *Maria dicens: fiat mihi ſecundum verbum tuum, renunciat omnibus.* 61

§.36. *Fert Maria ſuæ famæ periculum.* ibid.

§.37. *Maria ſilet ſuas laudes, nec ſe ſinit ab Eliſabet laudari.* 62

§.38. *Maria obedit Ethnico Principi & mundo vivit ignota.* 63

§.39. *In Mariæ humilitate nihil eſt obſcurum, ſive ſimulatum.* 64

§.40. *In humilitate Mariæ nihil turbidum.* 66

§.41. *In humilitate Deiparæ nihil inquietum.* 67

§.42. *In humilitate Deiparæ nihil vile.* 70

§.43. *Mariæ humilitas magnanima.* 72

§.44. *Optandum ut regnet in Chriſtianis magnanimaVirginis humilitas.* 75

§.45. *Excellens Virginis charitas.* 77

§.46. *In verbis Angeli Chriſtum annuntiantis virgo nil ſapit terrenum.*

§.47. *Certiſſima veritas eſt, quod Virgo in verbis Angeli nil abjectum & periturum cogitavit.* 83

§.48. *Virgo judicat Chriſtum aſſumpſiſſe apparatum novo Teſtamento, quod revelabat, maximè congruum.* 84

§.49. *Virgo Angeli verba intelligit in ſenſu ſubli miſſimo, quia ſublimiſſima ejus erat anima.* 87

§.50. *Oſtenditur puritas charitatis, quæ arſit in Deipara.* 90

§.51. *Deipara non concupivit eſſe ſingularis.* 92

§.52. *Virgo fuit Dei mater*

ter digniſſima, quia æterna veritati adhæſit ſemper. 94

§.53. *Quid Maria in filio ſuo præcipuè dilexerit.* 95

§.54. *Virgo neminem noſcit ſecundum carnem.* 97

§.55. *Nulla tesseris, in honorem Deiparæ ſacratis, fit injuria, ſi dicas ſine charitate nihil profuturas.* 99

§.56. *Proſunt Teſſeræ pietatis, ſi adſit charitas* 101

§.57. *Multi abutuntur externis pietatis ſymbolis.* 102

§.58. *Abuſus præcipuè poſitus in nimia de ſignis externis fiducia.* 105

§.59. *Eſt quoque in Chriſtianis.* 107

§.60. *Hoc vitium quoque in Clero.* 109

§.61. *Eſt etiam in Religioſis.* 110

§.62. *Plurimi Chriſtiani abutuntur ſigno Crucis nimium illi fidentes.* 112

§.63. *Signa pietatis requirunt pias cordis motiones.* 113

§.64. *Virgo vivens cum filio in terris, vix ullos externos ab illo excepit favores.* 116

§.65. *Verba, quibus Chriſtus matrem ſuam legitur allocutus, non magnam præ ſe ferunt obſervantiam.* ibid.

§.66. *Cur Jeſus Matrem alloquens, uſus fuerit verbis quandam reprehenſionis ſpeciem præ ſe ferentibus.* I. *Ratio.* 118

§.67. *Secunda ratio.* 120

§.68. *Animæ Chriſtum amanti, nihil durum in Chriſti verbis. Hoc docemur exemplo Mariæ.* 122

§.69. *Maria ſuo nos docet exemplo, in verbis Dei non cognoſcere, niſi voluntatem Dei.* 123

§.70. *Cur Maria non ægrè tulerit, quod à filio, mulier, & non Mater voca-*

vocaretur. 127

§.71. *Maria adſtans Cruci maximam oſtendit ingentis animi conſtantiam.* 128

§.72. *Multi pictores in Mariam injurii, uti etiam libeli, & ſermones nonnulli.* 130

§.73. *Maria etiam poſt filii ad cælos aſcenſionem vixit ignota mundo.* 131

§.74. *Maria à diſcipulis Chriſti non legitur in ſacris literis magnopere culta fuiſſe.* 133

§.75. *Mariæ in terra viventis virtutes occultæ* 135

§.76. *Non fuit Maria iſtis externis donis uſa, quibus opinio Sanctitatis acquiritur.* 136

§.77. *Mariæ virtutis excellentia probatur, quia à fama aut honore, aliiſve mundi bonis, nullum ad virtutem accepit incitamentum.* 139

§.78. *Externa pietatis ſigna multi gerunt, quia ob illa honorantur.* 140

§.79. *Virgo, quo magis creditur eſſe, quod apparet eſſe, eo magis vileſcit.* 141

§.80. *Infirmæ virtuti aura popularis, & nonnulla terrena commoda utilia.* 142

§.81. *Deiparæ virtus non eget humanis adminiculis.* 144

§.82. *Deſcriptio virtutum Deiparæ.* 145

§.83. *Virgo omnibus Sanctis Sanctior.* 146

§.84. *Maria ſanctior Angelis.* 147

§.85. *Meritò Eccleſia diverſis feſtivitatibus Virginem colit.* 148

§.86. *Oſtenditur utilitas feſtivitatum & ſodalitatum ad honorem Deiparæ inſtitutarum.* 150

§.87. *Cultoribus Deiparæ cavendum, ne tenaciores ſint eorum, quæ ipſimet ad*

honorem Deiparæ inſtituerunt, quam quæ Deus, aut ad ſuum aut ſuorum Sanctorum inſtituit honorem. 151
§.88. *Familiare hominum vitium Dei mandata negligere, & ea ſervare, quæ ipſi ad Dei cultum inſtituunt.* 153
§.89. *Multi peccant patrocinio Sanctitatis.* 156
§.90. *In quo ſita regia poteſtas Virgini attributa.* 159
§.91. *Deipara præ omnibus Beatis Beatma.* 163
§.92. *Quo ſenſu Chriſtus ſit SS. Dominus.* 165
§.93. *In quo omnes Beati pares ſunt, & in quo diſpares.* 167
§.94. *Quo ſenſu Deipara non ſit Sanctorum Regina, & quo ſenſu ſit Regina, Sanctique ejus famuli ac ſubditi.* 168
§.95. *Specialis ratio ob quam Deipara dicatur Regina ſanct: homin.* 171
§.96. *Gratiæ & gloriæ excellentiâ Virgo angelorum & hominum Regina.* 172
§.97. *Refutatur Conſtantini Copronymi blaſphemia, dicentis Mariam poſt partum ſuam amiſiſſe dignitatem.* 173
§.98. *Unde deceptus Copronymus & noſtræ ætatis oſores Virginis.* 174
§. 99. *Cur Evangelium de Martha & Maria excipientibus Jeſum in domum ſuam legatur in feſto Virginis aſſumptæ.* 176
§.100. *Exhortatio ad cultum Mariæ.* 177

TRACTATUS SECUNDUS

§.1. *CUr Eccleſia variis Feſtis, ac Sodal: colat Deiparam.* 179
§. 2. *Calviniani credunt cul-*

cultum Divorum Deo injurium. 180

§. 3. *Oſtenditur exemplo Abelis patrem & matrem amantis & honorantis, per amorem, gratitudinem, & invocationem Sanctorum, amori & cultui Omnipotentis Dei nihil detrahi.* 181

§. 4. *Per amorem parentibus debitum divino amori nihil detrahitur, quia dum benè amantur parentes, in Deo amantur.* 184

§. 5. *Quidquid Sanctis rectè defertur, Deo defertur, à quo Sancti habent omnia.* 686

§. 6. *Invocatio Sanctorum utilis ad ſalutem, non verò neceſſaria neceſſitate medii: & iſtam invocationem faſtidire, aut contemnere, provenit ex infidelitate aut ſuperbia.* 188

§. 7. *In laudibus Deiparæ magis Deus, quam ipſa laudatur.* 190

§. 8. *Quomodo, quæ Chriſtus egit, referantur ad Virginem.* ibid.

§. 9. *Dignitas conſenſus Virginis, ut fieret Mater, probatur ex merito fidei ejus.* 193

§. 10. *Virgo non prius credidit, quam ſciret eſſe Angelum lucis, qui ſibi loqueretur: nec tamen captivat intellectum in obſequium Fidei captivatione violenta, ſed placida.* 196

§. 11. *Credidit Maria prudenter & amanter.* 198

§. 12. *Utinam Novatores ſecuti fuiſſent in credendo Virginis prudentiam!* 199

§. 13. *Oſtenditur quomodo novatores abutantur Chriſti verbis, Venite ad me omnes, &c.* 201

§. 14. *In cauſis ſecundis non cauſæ ſecundæ, ſed*

Prima præcipuè attendenda eſt. 102

§.15. *Eccleſia teſtatur in precibus, à Deo eſſe, quicquid à SS. poſtulat.* 205

§.16. *Quam imperite irrideant Calviniſtæ Catholicos à Deo poſtulantes, ut Sanctorum juventur interceſſione.* 167

§.17. *Quam immanis foret error, ſi quis diceret eſſe duas ſcalas, quibus aſcenditur ad Deum, nempe ſcalam Mariæ & Chriſti.* 209

§.18. *Veritati revelatæ Virgo ſubdidit volūtatem ſuam.* 212

§.19. *Ut majus officium expleas, major requiritur gratia.* 213

§.20. *Virgo ex obedientia aſcendit ad gradum maternitatis Dei; nec alta ſapit, ſed humilibus conſentit.* 214

§.21. *Optandum foret plures imitarentur Virginis obedientiam.* 217

§.22. *Charitas Virginis volentis mori cum Chriſto pro ſalute generis humani.* 220

§.23. *Epilogus.* 222

TRACTATUS TERTIUS.

§.1. *Cultus Sanctorum impugnatus eſt, quia non ſat animadverſum, in eiſdem ſignis ſæpe diſpar eſſe ſignificatum* 225

§.2. *In Proximo, ſive beato, ſive miſero, non diligendus niſi Deus.* 227

§.3. *Diligit ſeipſum, qui diligit Deum, & diligit is Proximum ſicut ſeipſum, qui ſatagit, ut etiam is Deo repleatur, vel gaudeat quia eo plenus eſt.* 229

§.4. *Amor, quo Sanctos colimus, inferioris eſt ordinis,*

ordinis, quam eſt amor Dei: & ille cum hoc amore concordat, ſicuti concordat ſecundum cum primo mandato. 233

§. 5. Nemo amat Deiparam, qui Deum non amat. Deum vero non amat, qui ejus mandata non ſervat. 234

§. 6. Aliud eſt amare Deiparam, aliud recitare oretenus quaſdam precum formulas ad amorem Deiparæ compoſitas. 236

§. 7. Multi diligunt phantaſmata ſua, ſe putantes diligere Deum. 237

§. 8. Deus cogitandus ut juſtitia, veritas & ſapientia; & homines propter juſtitiam, veritatem & ſapientiam amandi ſunt. Propter eas autem homo non diligitur, niſi ipſæ ipſo homine magis diligantur. 238

§. 9. Rari ſunt veri Deiparæ amatores. 240

§. 10. Ex amore, quo nos ipſos diligimus, diſcernendus amor, quo proximum ipſamque Deiparam diligimus: bene ſe & proximum æſtimat, qui ſe & proximum æſtimat miſeros & felices ex conjunctione aut ſeparatione à Deo. 241

§. 11. Qui ſeipſos neſciunt ex juſtitia & veritatis poſſeſſione æſtimare, ſi in Deiparâ eas æſtiment, ſordido eas amore æſtimant. Superbis mulieribus accenſeretur Deipara, ſi crederetur delectari amore non ei propter Deum exhibito. 245

§. 12. Deipara perfectiſſime implet hoc mandatum: diliges proximum ſicut teipſum. 246

§. 13. Ab amore ſeſe in Deum referente Deipara vocatur Virgo puriſſima. Non fert, ut amor noſter in ſe hæreat; ſed vult,

vult, ut ad Deum *tranſeat, qui eſt & noſtra & ipſius beatitudo.* 248

§.14. *Chriſtus, quatenus homo, noluit amari amore manſorio ſed tranſitorio, quia ſola natura divina eſt beatitudo noſtra.* 250

§.15. *Ut Mariam diligas requiritur animi ſublimis affectio.* 252

§.16. Diligenda Deipara, *quia per illam noſtrum accepimus ſalvatorē* 253

§.17. *Maria devotione maxima ſe Deo ſacravit, ut fieret* Deipara. 255

§.18. *Vocatur Maria mater noſtra, quia charitate coöperata eſt, ut fideles in Eccleſia naſcerentur. Maria ſpiritu mater noſtra: carne mater Chriſti.* 256

§.19. *Maria eſt mater noſtra, quia illum genuit, in quo omnes regenerandi erant, ſecundum rationem ſpiritalis ſeminis.* 258

§.20. *In laudatis Guerrici & Auguſtini verbis nil reprehendi poteſt. Quomodo preces Chriſti & Mariæ conferant ad noſtram redemptionem.* 261

§.21. *Hyperbolæ unius alteriuſve ſcriptoris Eccleſiæ non ſunt attribuendæ.* 262

§.22. *Quomodo idem effectus Mariæ & Chriſto ſubinde tribuitur, & ſubinde ſoli Chriſto vindicetur.* 263

§.23. *An laudabile, ſi de Virgine dicas: ſic enim Maria dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret?* 265

§.24. *Amorem, quo proſequuntur Mariam, quæ ipſos ſpiritu peperit, optime, teſtatum facient, quando ipſi Chriſtum parient Virginea fœcunditate.* 269

§.25.

§.25. *Mentis Virgineæ fæcunditas, quâ Christus paritur, in tribus conſiſtit, Primo in fide & cognitione vera.* 271

§. 26. *Secundo in orante charitate.* 272

§.27. *Tertio in ſanctimonia vitæ, tum cleri, tum populi.* 273

§.28. *Quid requiratur; ut hic Canon, Sancta Sanctis, obſervetur?* 276

§. 29. *Ut Sancta miniſtrentur Sanctis, expedit homines à criminibus recentes aliquamdiu pœnitentiæ operibus purgari.* 279

§. 30. *Deipara rectè dici poteſt mediatrix & Advocata noſtra, quia in cœlis orat pro nobis.* 283

§.31. Maria *mediatrix & Advocata noſtra, quamvis intercedat pro nobis apud* Christum, *qui nos amat; ſicuti Christus eſt* Mediator *& Aduocatus, quamvis pro nobis poſtulet apud Deum noſtri amantem.* 285

§.32. *Oſtenditur, quomodo Christus agit Advocatum apud Deum placatum & non placatum nobis; placatum, quia voluntate beneplaciti decreuerat à nobis tollere iniquitatem. Non placatum, quia voluntati ejus, ut morum regulæ, nondum ſublata iniquitate eramus difformes.* 288

§.33. *Qua ratione, & ſecundum quam naturam, Chriſtus ſolus ſit* Mediator *noſter.* 292

§.34. *Qua ratione* Maria *dicatur mediatrix.* 294

§.35. Mediatores *noſtros ſano ſenſu eos omnes dicere poſſumus, qui ſuis precibus ad noſtram conferunt ſalutem.* 298

§.36. *Exponitur, qua ratione Chriſtus ſit Advocatus noſter.* 301

§. 37. *Maria certa quadam ratione Advocata noſtra dicitur.* 303

§. 38. *Dei Filius homo factus eſt, ut hominibus foret exemplo; nec ſe ſolum ipſis dedit exemplū, ſed etiam piſcatores & publicanos.* 308

§. 39. *Deo uniendi ſumus. Chriſtus* Mediator. *SS. etiam mediatores.* Deus *regula noſtra. Chriſtus exemplar noſtrum. Sancti quoque exemplar noſtrum.* Datur *ratio cur in oratione cum* Deo *loquendum, cur alloquamur Sanctos; item cur* Deus *aſpiciendus, cur Chriſtus, cur Sancti.* 311

§. 40. Ma*ria eorum Advocata, qui peccata ſua confitentes cum dolore, dolenda iterum non committunt.* 315

§. 41. *Oleum & operam illi perdunt, qui dicunt in diviſione cæleſtis imperii* Maria *miſericordiam, Chriſto datum eſſe judicium. Hoc Paradoxum contrarium divino conſilio, ex quo* Deus *factus eſt homo.* 320

§. 42. *Chriſto competit miſericordiæ diſtributio, quia Pontifex eſt noui T. hoc eſt Teſtamenti amoris & gratiæ.* 323

§. 43. *Ieſus immortalis, miſericors eſt Pontif.* 325

§. 44. *Eccleſia invicta, tametſi vincatur à Voragine, & de Buſtis. &c.* 326

§. 45. Deipara *in iudicio non movetur miſericordia, ut velit damnationi addictos, damnationi cripere.* 328

§. 46. De *fiducia qua colendi ſanct: de Invocatione, quæ uni* Deo *debetur: & de invocatione, qua ad ſanctos dirigitur.* 335

§. 47. *Non docet Eccleſia Catholica utilius eſſe invocare*

vocare nomen Mariæ, quam nomen Ieſu. 343

§.48. *Apparitiones & revelationes examinandæ ad Regulam fidei.* 346

§.49. *Regulis fidei adverſatur paradoxum, Chriſto ſolummodo ſeveram juſtitiam tribuens, eique omnem miſericordiam eripiens.* 348

§. 50. *Enormis calumnia eſt dicere, omnia ſcelera in Papatu cum devotione erga Deiparam poſſe conſiſtere.* 352

§.51. *Potius nulla crimina in Papatu cum devotione erga Deiparam conſiſtere poſſe.* 354

§.52. *Imitatio virtutum Virginis, ſine qua imitatione vera devotio eſſe non poteſt, excludit ſcelera.* 357

§. 53. *Maria exemplar caſtitatis virginalis, conjugalis & vidualis.* 361

§.54. *Recipit Eccleſia cultum Mariæ, quia illum recipiens, ſibi à Maria videt impoſitam neceſſitatem recedendi ab omnibus ſceleribus.* 362

§.55. *Damnantur à Patribus, qui bonis operibus quærunt peccandi impunitatem.* 364

§.56. *Juxta Divum Paulinum nulli ſpes ſalutis, niſi qui ſtudet ab omnibus criminibus recedere.* 370

§.57. *Non quibuſlibet Miracula narrantibus credendum; præſertim ſi referantur in confirmationem dogmatum fidei contrariorum.* 383

§.58. *Eccleſiæ fides non incertis miraculorum rumoribus, ſed traditionis & ſcripturarum oraculis regitur. Vnde libenter audit ſanctos Patres, qui nullis niſi à crimine recedentibus dant ſpem ſalutis.* 387

§.59. *Nemo prudens Catho*

tholicus ſibi ſalutem promittit, ob uſurpata in malis moribus aut Mariæ aut Chriſti ſigna. 392

§. 60. *Chriſtiani boni à malis diſcernuntur internis affectibus, non externis Sacramentis.* 396

§. 61. *Auguſtinus Chriſtianos in tres claſſes diſtribuens, eos non à ſacramentis, ſed amoribus diſtinguit.* 400

§. 62. *Gaudendum, quod advertant inimici Eccleſiæ Catholicæ, ridendum eſſe errorem, cum omnibus ſceleribus conſiſtere poſſe devotionem erga Deiparam; quia inde ſperandum, quod deteriorem in ſe deteſtabuntur errorem.* 403

§. 63. *Catholici non ſupplicant Mariæ, quaſi iubenti Chriſtum ut nos exaudiat; ſed ei ſupplicant ut Advocatæ ad Advocatum Chriſtum.* 412

§. 64. *Quid credat aut non credat Eccleſia, non repetendum eſt, ex hujus aut illius parochiæ aut hymnis aut rithmis.* 416

§. 65. *Catholici, ſi qui verbis: roga Patrem, jube natum, uſi ſunt, in illis affectum habuerunt orthodoxum. Explicantur verba P. Damiani.* 419

§. 66. *Recte credidit Bellarminus à nullo doceri Catholico, quod Maria in cœlis Chriſto imperet.* 424

§. 67. *Chriſtus Mariæ ſubditus fuit, non legis neceſſitate, ſed voluntaria humilitate.* 426

§. 68. *Maria ita Jeſum habuit ſibi ſubditum ſicuti illum ſubditum habuit Joannes Baptiſta.* 431

§. 69. *Tametſi contra veritatem ſupponeretur, quod Jeſus in terris vivens, Mariæ debuiſſet obedientiam, minime inde ſe-* quere-

quæretur, quod eam adhuc illi debeat in cœlis. 433

§.70. Tranquillitas humanæ Reipublicæ exigit, ut exterior honor deferatur non magis ſanctis, ſed magis ſpectabilibus. Verus Principatus eſt in ſancta converſatione. 435

§.71. Catholici multo magis fidunt Miſericordiæ Dei, quam Miſericordiæ ſanctorum. 439

§.72. Qui Deum ſibi habet placatum, etiam omnes Sanctos; & è contra, qui Deum ſibi habet iratum, ſanctos quoque habet iratos. 443

§.73. Sicut ex Dei miſericordia erga Paulum erat, quod Stephanus pro illo oraret; ita eſt ex Deo peccatoris miſerante, quod Maria oret pro peccatoribus. 447

§.74. Abominanda eorum vanitas ac ſuperſtitio, qui ob cultum huic illive Sancto impenſum pollicentur ſibi, ſe ex hac vita ſine pœnitentia non migraturos. 449

§.75. Vindicatur Gilbertus Maſius ab injuria illi illata ob verſiculum; poſitus in medio, quo me vertam neſcio. 450

§.76. Nihil nimium in externo apparatu, quo ex decretis Eccleſiæ coluntur Sancti. Dies feſti recte inſtituti in Sanctorum memoriam. 454

§.77. Celebrare Sanctorum memoriam, eſt Sanctos honorare. 458

§.78. Dies in Sanctorum memoriam inſtituti, Deo dedicati & ſacri ſunt. 460

§.79. Eccleſia in conceptione B. Mariæ virginis celebrat id, quod merito celebrandum. 464

§. 80. Sacrificium, quod uni & ſoli Deo debetur,

recte offertur in ſanctorum memoriam ſive honorem. 469
§. 81. Mos in memoriam ſanctorum Deo ſacrificandi non eſt novus. 472
§. 82. Oſtenditur Cyprianum de veri nominis Sacrificio fuiſſe locutum, quando ſe dixit pro illis offerre Sacrificia. 474
§. 83. Ex eo, quod fatentibus Acatholicis ſacrificium laudis Deo in honorem ſanctorum licet offerre, oſtenditur, quod etiam proprii nominis ſacrificium ad illorum honorem poſſit offerri. 478
§. 84. Facile captu eſt, quod uni & ſoli Deo debeatur ſacrificium, & tamen recte offeratur ad honorem ſanctorum. 481
§. 85. Sacrificium offerri in memoriam ſanctorum idem eſt, ac illud offerri in honorem ſanctor. 483
§. 86. Non ſacrificatur Chriſto, ſed ſacrificatur in memoriam Chriſti. 484
§. 87. Mariæ non defertur Latria, quia Deo in ejus memoriam dedicantur Templa. 487
§. 88. Nihil Deo decedit per hoc, quod Templa Deo dedicentur in ſanctorum memoriam. 495
§. 89. Cultus quo honoratur Deus, dum pauperum ſervitur neceſſitatibus, præferendus cultui, quo ſtudetur Templorũ ſplendori. 497
§. 90. Nec Deus, nec Sancti auro delectantur. 503
§. 91. Quid placeat Deo in gemmis & unionibus ad Templorum ornatum oblatis. 505
§. 92. Quid placeat Deo in Eleemoſynis. 506
§. 93. Opera miſericordiæ ſunt ſplendidior Dei cultus. 508
§. 54. Effuſio pretioſi unguenti, quod Magdalena

na effudit in caput Chriſti, non probat Templorum ornatum præponendum pauperum neceſſitatibus. 511

§. 95. *Opulentia Templi Salomonici non probat* Chriſtianorum *Templa debere eſſe auro & gemmis ſplendentia.* 514

§. 96. *Bonis per novum Teſtamentum promiſſis* Deus *nunc coli deſiderat.* 519

§. 97. N*on omnis exterior ornatus à Templis* Chriſtianorum *proſcribendus.* 521

§. 98. *Oſtenditur decere aliquem in locis ſacris eſſe ornatum.* 522

§. 99. *Quis ornatus* Chriſtianam *Religionem maximè deceat.* 525

§. 100. I*n* Chriſtianis *Templis decet nihil eſſe, quod ſenſus offendat, aut ſtomachum moveat.* 527

§. 101. C*avendum, ne imagines ſanctorum ſint illecebroſæ.* 528

§. 102. *Sub Acatholicis Principibus parum Templorum ſplendori, & multum miſericordiis pauperum impendendum* 531

§. 103. *Sub* Catholico *Principe & benignis temporibus decet, ut ſplendidior ſit cultus Eccleſiæ.* 534

§. 104. *Ordo rationis poſtulat, ut* Corpus Chriſti *apparatum externum plerumque habeat cultiorem quam habeant Imagines.* 538

§. 505. *Miraculoſæ Imagines poſſunt ſine offenſa fidei aut recti ordinis ſplendidius adornari, quàm receptaculum* Corporis Domini. 539

§. 506. *Oſtenditur contra Iconoclaſtas imagines rectè coli.* 542

§. 107. *Si illicitus cultus ima-*

imaginum, illicitus quoque erit is honor, quem Calviniſtæ *deferunt ſuæ cœnæ* Dominicæ. 544

§. 108. *Naturæ humanæ quaſi agnatum ea ſigna habere in pretio, quibus rerum chararum memoria renovatur & conſervatur.* 547

Errata in Præfatione.

PAgina
6 lin: 12. *lege* munimen.
17 lin: 5. nec beatitudinem, *dele* nec.
30 lin: 7. *lege* à ſanis.
31 lin: 10. hoc eſt vir, *lege* vir ille graviſſimus.
32 lin: 15. nec ſint, *lege* nec ſit.

Errata in primo Tractatu.

12 lin: 22. nunc, *lege* num.
95 lin: 22. filios meus, *lege* filios meos.
110 lin: 10. in religioſu, *lege* in religioſis.

Errata in Tractatu tertio.

230 lin: 1. *lege* noſtrum metipſorum.
ibid. lin. 5. nonne Deum amare, *lege* nonne nos amare.
244 lin: 1. *lege* veritatis.
252 lin: 12. ac plenior, *lege* iiſque plenior.
261 lin: 21. eam etiam, *adde* licet inferiori modo.
310 lin: 24. *lege* incarnationem.
319 lin: 23. qui plangit, *lege* qui ita plangit.
370 lin: 24. *lege* vultu, & *dele* habitu.
370 lin: 19. *lege* eleganter.
450 lin: 12. *lege* quo me vertam.
468 lin: 4. *lege* infecti.

Tractatus Quartus.

De Libertate, Dominio, ac poteſtate Deiparæ.

§. I.

Offenduntur Adverſarii, quia à Catholicis Deipara vocatur Domina.

INter encomia, quibus Catholicorum pietas Deiparam celebrat, vix aliud eſt reprehenſioni Proteſtantium magis obnoxium, quam quod ab illis Regina & Domina mundi ſalutetur. Uni enim Chriſto iſta encomia debita arbitrantur, *quia*, inquiunt, *ipſi uni data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra*: Unus ipſe gerit *in femore ſcriptum*: *Rex Regum, & Dominus* Do- *Matt:* 28 18. *Apocal:* 19. 16.

Dominantium. Virginem verò ab iſtis titulis tàm alienam exiſtimant, quam dixit ex animo.: *Ecce Ancilla Domini.*

Ecquid ſi Catholici non alia de cauſa Deiparam Reginam & Dominam mundi ſalutent, quam quia ſeſe ancillam Domini humillimè profitetur & exhibet devotiſſimè, etiamne tunc in Chriſtum erunt injurii, & auſu ſacrilego (quemadmodum loquitur *Rivetus*) ejus occupabunt poteſtatem, ut illam in Virginem transferant? Atque hic Catholicorum ſenſus eſt, hæc illorum doctrina conſtans, quippe eo magis Virginem eſſe mundi Reginam ac Dominam, quo ipſa magis eſt Dei & Domini ancilla; eam tantò ſublimius regnum obtinere, quantò Deo magis ſubdita eſt; ejuſque dominium eſſe tantò diffuſius, quantò ipſa illi ſervit ampliori cordis latitudine. Iſtud hicce *Tractatus* exponet, non quidem ſtricto, pugnacique ſtylo, qui ardet ferire hoſtem, & ad ejus opprobrium errorum dedecus propalare, ſed oratione pacatâ, quæ amat oſtendere pulchritudinem veritatis, atque ejus contemplatione reficere Lectorem. Hac de cauſa prius elucidabit, in quo ſita ſit vera hominis,

minis, atque adeo etiam ipſius Deiparæ, aliorumque Sanctorum libertas, dominium, amplitudo, atque ſublimitas. Porro ubi hæc fuerint confecta, tum paucis agetur de eo conſortio, ad quod Sancti ac præſertim Deipara in curâ & gubernatione Univerſi aſſumpti ſunt.

§. II.

Deus liber ſine ſervitute, homo non eſt liber niſi cum ſervitute.

Libertas alicujus ſita eſt in independentia ab alio ſive ut ſit, ſive ut beatus ſit. Hinc ſolus Deus eſt perfectè liber, quia à ſe ipſo exiſtens, ſui ipſius poſſeſſione eſt beatiſſimus. Et licet quædam extra ſe amet, non tamen ab eis amando dependet, quia ejus amor à rebus extra ſe amatis bonum non accipit, ſed eis bonum infundit; nec profluit ex egeſtate, quæ extra ſe beatitudinem quærat, ſed ex ubertate, quæ aliis beatitudinem afferat.

Homo perfectè liber non eſt, quia per ſeipſum nec eſt, nec beatus eſt. Quare neceſſe eſt, ut dependeat ab eo, à quo habet ut ſit, & à quo expectat ut ſibi benè ſit. Et hæc expectatio ſive deſide-

rium beatitudinis, cum non dimanet ex copia, ſed ex inopia, hominem pendulum facit ab eo bono, cui, ut ſuam ſatiet egeſtatem, ſubditus adhęreſcit. Hæc autem dependentia hominis ab eo bono, quo, ut beatus ſit, perfrui concupiſcit, non plena libertas, ſed ſervitus eſt.

Hęc ante oculos habuit *Auguſtinus*, dum hanc veriſſimam ſcripſit ſententiam: *illis rebus, quibus quiſque beatus vult effici, ſerviat neceſſe eſt, velit, nolit.* Hanc ſententiam probat S. Doctor, quia res illæ, quæ præ cæteris à nobis amantur, noſtro animo dominantur, eum imbuentes tot diverſis affectionibus, ſub quot diverſis aſpectibus ipſe eas contemplatur. Si illas cogitet abſentes, æſtuat deſiderio; ſi adeptu difficiles, diſtenditur ſolicitudine; ſi obtentu impoſſibiles, cruciatur deſperatione; ſi periculo expoſitas, timoribus angitur; ſi in tuto collocatas, ſpe effertur; ſi præſentes, gaudio dilatatur. *Nam*, inquit Auguſtinus, *quocumque duxerint, ſequitur: & quiſquis ea viſus fuerit auferre poſſe, metuitur.*

Lib. de vera Relig: cap. 38.

Illæ autem res, in quibus homo ſuam quærit beatitudinem, alię eſſe non poſſunt, quàm aut Deus, aut creatura. Si

ad

ad Deum æternam juſtitiam, veritatem, ac ſapientiam ſuum religet affectum, tunc illi ſervit, & liber eſt à vinculo terreni amoris, quo ſervitur creaturis. Si vero ſuum amorem creaturis, ut per eas beatus efficiatur, addicat, tunc ſervit creaturis ſolutus à nexu amoris, quo Creatori famulamur: *Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire.* Ex quibus conficitur hominem nunquam ſic eſſe ſervum, quin una ſit liber: nec unquam adeo eſſe liberum, quin ſimul ſit ſervus. Atque hoc eſt, quod docet *D. Proſper*, dum ait: *Nemo autem ſervit, niſi cum aliquâ libertate; & nemo liber eſt, niſi cum aliquâ ſervitute.*

Matt: 6. 24.

Contra collat: cap. 21.

§. III.

Immenſo intervallo à ſe diſtant libertas à juſtitia, cui juncta eſt peccati ſervitus, & libertas à peccato, cujus comes ſervitus juſtitiæ.

INter has ſervitutes cum libertate conjunctas, ſive inter has libertates ſervituti annexas, intercedit diſcrimen immenſum. Si anima creaturas propter ſe

ipſas appetat, ut per eas beata efficiatur, ſub illarum dominio miſerrimam agit ſervitutem, & ignobili fruitur libertate; ſi vero ad Creatorem tanquam ad ſuam beatitudinem ſuum religet affectum, nobili ſervitute fungitur, & felici gaudet libertate.

Qui creaturas amando ab illis beatitudinem mendicat, miſerrimam ſervit ſervitutem, quia ſervitus eo turpior, quo pluribus & vilioribus dominis ſervitur. Quiſquis creaturas propter ſeipſas amat, is innumeris dominis ſervit, tum quia in una aliqua non inveniens, quod ſuum ſatiet affectum, innumeras amore proſequitur, ut quod nec in ſingulis, nec in pluribus reperit, aſſequatur in omnibus; tum quia nullæ ſunt res terrenæ, quibus cum ſecuritate frui poteſt. *Unde*, *Ubi ſupra.* quemadmodum ait *Auguſtinus*, *quiſquis ea viſus fuerit auferre poſſe, metuitur. Poſſunt autem auferre iſta & ſcintilla ignis, & aliqua parva beſtiola. Poſtremo ut omittam innumerabiles adverſitates, tempus ipſum auferat, neceſſe eſt omnia tranſeuntia. Itaque cum omnia temporalia tranſeuntia mundus iſte concludat, omnibus mundi partibus ſerviunt, qui propter ea pu*

tant

tant nihil colendum eſſe ne ſerviant. Nec ſolum omnibus mundi partibus ſervit, quiſquis rei terrenæ cor affigit. Verum illud rerum terrenarum amatori accedit ad cumulum miſeriæ, quod ſemper ferè contraria jubeant. Voluptas carnis, & excellentia poteſtatis plerumque jubent contraria. Imo ipſa carnis voluptas adverſantibus ſibi imperiis lacerat animam. Qui diverſis ſcortis adhæret, æmulis ſubeſt tyrannis; edendi & bibendi voluptas in ſeipſam ſævit, dum ſeipſam extinguit, & dum uno veſcens, altero veſci non poteſt; excellentia poteſtatis ſeipſam impugnat, dum ut latius dominetur, innumeros, quibus ſe exultat præeſſe, perdit in bellis. Laudis cupiditas continuo ſibi ipſi adverſa eſt, dum pro diverſis hominum, quibus placere cupit, affectibus & judiciis, diverſa & adverſa aggredi compellitur.

Nec ſolum iſto nomine miſeram homo ſervit ſervitutem, dum creaturis cupit beatus effici, quia ſub innumeris dominis ingemiſcit, ſed etiam ea de cauſa illas amando eſt miſerrimus, quia cum ipſe ſit capax æternitatis, rebus ſervit vilioribus nempe carni, quæ areſcit ut flos

fæni, famę in qua nihil conſtans, poteſtati quam vel malus fungus vel febricula dejicit. Ut hæc oſtendunt, quam miſeram vilemque gerant ſervitutem, qui neglecto Creatore creaturis volunt beari, ita nunc oſtendendum à quam ſpuriâ libertate illi, qui Deo ſuo non ſerviunt, liberi dicantur.

Quod nec diſcipulus magiſtro; nec uxor marito, nec ſubditus Principi, nec filius patri, ullo amoris vinculo connectantur, non nobilis, ſed ſpuria libertas, ſive contumacia eſt. Quod anima, quæ ſcientiæ, & decoris ac veritatis cupidiſſima eſt, verum ſuum lumen, decus, & bonum non diligat, non provenit ex perfectione libertatis, ſed ex infirmitate, turpitudine, atque errore, quæ læduntur ſplendore æternæ ſapientiæ, decore incommutabilis juſtitiæ, & conſtantia veritatis, quemadmodum ægri corporis oculi offenduntur luminis claritate, quæruntque tenebras, ut ab ejus illuminatione ſint liberi, eas tenebras minimè quęſituri, ſi ſani forent ac integri. *Lux*, Joan: 3. 19. nempe mentis, *venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenębras quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis*

nis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo facta ſunt.

Ex hac Salvatoris ſententia conſtat ex ægritudine & turpi pudore provenire, quod mentis acies ab irradiatione lucis æternæ cupiat eſſe libera. *Sed væ,* inquit Magnus Eccleſiæ Doctor, Deum ſuum alloquens, *væ qui ſe avertunt à lumine tuo & obſcuritati ſuæ dulciter inhærent. Tanquam enim dorſum ad te ponentes, in carnali opere veluti in umbra ſua defiguntur; & tamen etiam ibi, quod eos delectat, adhuc habent de circumfulgentia lucis tuæ. Sed umbra dum amatur, languidiorem facit oculum animi, & invalidiorem ad conſpectum tuum. Proptèrea magis magiſque tenebratur, dum ſectatur libentius quidquid infirmiorem tolerabilius excipit.* Quod ergo homo à mentis ſuæ lumine, quod ejus vera beatitudo ac Deus eſt, liber eſſe cupiat, non eſt ex ſanitate, ſed ægritudine libertatis. Atque hæc libertas vocatur à Paulo libertas à juſtitia, & ſervitus peccati. *Cum enim,* inquit, *ſervi eſſetis pèccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.* Servus

Aug. lib. 2. de lib. arbit. cap. 16.

Rom: 6. 20.

vus eſt peccati, qui neglecto Creatore adhæret creaturæ. Hæc enim defectio voluntatis à ſummo ad minus bonum, peccatum eſt. Nec ſolum peccatum eſt, ſed quædam ſpecies idololatrię eſt. Cum enim ſolus Deus ſit bonum, quo beati eſſe poſſumus, ejus honorem transferimus ad creaturam, quando creaturis nosipſos ſubjicimus eas amando. Hac de
Epheſ. 5. 5. cauſa *avaritiam* vocat Paulus *Idolorum ſervitutem*, & nonnullis *ventrem* dicit
Phil. 3. 19. eſſe pro Deo, *quorum*, inquit, *Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum*. Et certè de omnibus, qui à Deo cupiunt eſſe liberi, ut aut carnis mollitie, aut cibi ſuavitate, aut poteſtate ſęculi, aut auro & argento beentur, dici poteſt: quorum Deus caro eſt, quorum Deus venter eſt, quorum Deus aurum eſt, & quorum gloria in confuſione ipſorum. Quid enim homini ad Dei poſſeſſionem creato magis ad confuſionem & ignominiam, quam quod cæcus & ſtultus in vilibus & tranſeuntibus quærat beatitudinem, quæ non niſi in ſolo Deo poteſt inveniri? quam quod capax beatæ ęternitatis in fugacibus rebus ſummum bonum conſtituat, illiſque ſerviat,
quibus

quibus eum oportet imperare? quam quod ſervili excæcatus amore hanc ipſam ſuam ſub creaturis neſciat ſervitutem? quod ſe Dominum eorum jactet, quorum maximè ſervus eſt? Nonne pudendâ cæcitate clamabant Judæi: *Nemini ſervivimus unquam*; cum tot haberent ſuper ſe dominos, quot creaturas nec in Deo, nec propter Deum amarent? Nihil enim verius iſto effato: *illis rebus, quibus quiſque beatus vult effici, ſerviat neceſſe eſt.* Quia vero habere affectum creaturis addictum, veritati autem ac juſtitiæ rebellem atque ab æternæ ſapientiæ amore ſolutum, viliſſimum eſt, ideo talis libertas non vera, ſed ſpuria libertas eſt: quæ in ſcripturis tamquam libertatis nomine indigna *ſervitus* conſuevit appellari; & hinc Judæis ſpuria illa libertate ſeſe efferentibus ait Salvator: *ſi vos filius liberavit, verè liberi eritis.* Ac ſi diceret, quamdiu infimis delectamini, quamdiu viſco impuri amoris illis inhæretis, vere liberi non eſtis; eritis autem vere liberi, ubi filius Dei vobis infundens æternæ veritatis amorem, vos à rerum vanarum ſervili liberaverit amore. Servi erant Judæi, quia opum

Ioan. 8. 33.

Ibid. 36.

opum poſſeſſione, quia fama ſanctitatis, quia ſalutationibus in foro, primis Cathedris in conſeſſu beari cupiebant. Servus erat Tyberius, quia ſe beatiorem putabat ſua in alios poteſtate, quam ſua ſub Deo ſervitute, qui ſolus omnibus animis, ut fere alicubi Auguſtinus, utiliter ac ſalubriter præeſt.

Omnes ergo ſive Reges, ſive Magiſtratus, ſive populus, ſive plebs ſint, ſervi ſunt, qui aliis rebus quam Deo beati effici concupiſcunt. His dictis de ſpuria libertate, qua creaturis peccatoque ſerviens, à juſtitia & ſapientia liber eſt; loquendum nunc de vera libertate, qua uni Deo ſerviens liber eſt à peccato ſive creaturarum amore.

§. IV.

Qui liber eſt à peccato, eſt ſervus juſtitiæ.

QUi divina gratia illuſtratus agnoſcit ſe miſeram ſerviiſſe ſervitutem, dum creaturis beatus effici cupiebat, atque ideo ſe convertit ad Deum, ut ejus fruitione beetur, is quidem miſeræ ſervitutis jugum excuſſit, ſed tamen omnimodam

dam non eſt adeptus libertatem. Hinc ait Paulus ad quoſdam, qui exhibuerant membra ſua, ut velut arma iniquitatis ſervirent peccato, iſtamque excuſſerant ſervitutem, ut membra ſua velut arma juſtitiæ Deo ſacrarent: *liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* D. Paulinus hanc Pauli doctrinam præ oculis habens, pulchrè ait: *Mutatis Dominis & ſtudia mutemus. Neque enim ſervitutem aut libertatem deponimus commutatione Dominorum, ſed tantum felicitatem acquirimus, & ſervitute in melius & libertate mutata, quando vinculum iniquitatis rumpimus, & juſtitiæ jugo ſubdimur, ac divino timore frænamur, incipientes verſa in directum via liberi eſſe peccato, cui ſerviebamus in libertate miſera, juſtitiæ rebellantes. Nunc igitur viciſſim Deo ſervi, & huic mundo rebelles, ingredimur agonem & ipſum, cui ſerviebamus, hoſtem, freti Domino provocamus.*

Rom. 6.18.

Epiſtola 2. ad Severum.

Ex his Pauli & Paulini verbis conſtat etiam tum verum eſſe, quod ait Auguſtinus: *illis rebus, quibus quiſque beatus vult effici ſerviat neceſſe eſt, velit nolit: quocumque enim duxerint, ſequitur.* Qui æterna juſtitia beatus vult effici, is eam ſuper

omnia

omnia amans, ſequitur quocumque duxerit. Vocet illa ad beneficentiam proximo exhibendam, vocantem ſequeris; avocet ne eum lædas, ſequeris avocantem; invitet ut ſuæ inſiſtas contemplationi, ſequeris invitantem; jubeat ut abjicias temporalia, ſequeris jubentem; exigat ut pro ſui ſtudio feras injurias, ſequeris exigentem; præſcribat orationi inſtandum eſſe, ut in te augeatur, ſequeris pręſcribentem. Et hinc non veretur Auguſtinus dicere: *dilige & quod vis, fac*: certus, quod quamdiu Deum ut ſummum bonum diligimus, quamdiu nos ille maximè delectat, quamdiu per ſuum amorem noſtris cordibus dominatur, nihil agemus illi non placitum, ejus amori non conſonum, ejus voluntati non attemperatum.

Tract. 7. in Epiſt. Ioan.

Porro in illa ſervitute, qua ſervitur juſtitię, nihil vile, nihil non glorioſum. *Qualibet enim res*, inquit S. Thomas, *perficitur per hoc, quod ſubditur ſuo ſuperiori: ſicut corpus per hoc vivificatur ab anima, & aër per hoc quod illuminatur à ſole.* Dum ergo homo Deo, id eſt, æternæ Juſtitiæ, Veritati, Sapientiæ, ac Caſtitati ſubditus eſt, tunc ſanus, felix, ac perfectus

2. 2. q. 81. a. 7.

fectus eſt *Oportet enim animam*, inquit *Auguſtinus*, *& regi à ſuperiore*, *& regere inferiorem. Superior illâ ſolus Deus eſt; inferior illâ ſolum corpus*, *ſi ad omnem & totam animam attendas. Ut ergo tuta eſſe ſine Domino*, *ſic excellere ſine ſervo non poteſt. Ut autem Dominus ejus magis eſt quam ipſa*, *ita ſervus ejus minus. Quare intenta in Dominum intelligit æterna ejus*, *magiſque eſt etiam ipſe ſervus in ſuo genere per illam.* Et hæc ſervitus magis homini ad gloriam, quam aëri eſt ad claritatem à ſole illuſtrari, & quam corpori eſt ad decus & gloriam ab anima vivificari. *Lib. 6. de Muſica c. 5.*

§. V.

In ſervitute juſtitiæ glorioſa libertas.

IN hac autem ſervitute ſive in hoc amore dominante, quo Deo ſervitur, maxima eſt libertas, quia animà Deo connexa victrice & dominante charitate expedita eſt à viſco terreni amoris, à ſeculi angoribus & timoribus, quibus eos anguſtiari & vexari neceſſe eſt, qui rebus perituris affectum alligarunt. *Ubi ſpiritus* *2 Cor. 3. 17.*

tus Domini, inquit Apoſtolus, *ibi libertas*. Hoc eſt, ubi regnat amor veritatis æternæ, ibi libertas à vincientibus & arctantibus ſæculi cupiditatibus. Pompeio erat anguſtia, quia in ea, quam amabat, poteſtate ſuperiorem timebat futurum Cęſarem. Angebatur Cæſar amore concupiti imperii, quia in illo ſibi parem Pompejum non ferebat. Uterque angebatur mille ſollicitudinibus, quia inviti, quod amabant, imperium amittere poterant, & quia illud ſine infinitis curis & laboribus retinere non poterant.

Omnis avarus ſervili premitur anguſtia, tametſi Cræſi opes poſſideat, eas invitus poteſt amittere, conſortem in earum poſſeſſione non admittit, & ſi admittat, ſe ipſum illis ex parte deſtituit, tam enim anguſtę ſunt, ut à pluribus integrę poſſideri nequeant. Non eſt ergo libertas ubi non eſt ſpiritus Domini; & non eſt ibi ſpiritus Domini, ubi non eſt charitas, quam ipſe diffundat in cordibus. Qui ergo liber eſſe appetit, audiat Joannem: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Audiat etiam Auguſtinum dicentem: *Quem, inquit delectat libertas ab amore mutabilium rerum*

1. Epiſt. 2. 15.

L. de vera Religione c. 48.

rum liber eſſe appetat, & quem regnare uni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat; plus eum diligendo, quam ſeipſum. Anima autem Deum ſive æternam veritatem ſuper omnia diligens, libera eſt, tum quia eum invita amittere non poteſt, tum quia, in ejus fruitione nullas patitur anguſtias, nec timet, ſed potius in iſta fruitione cupit habere conſortem. Audiamus Auguſtinum hęc diviné enarrantem: „Hæc „eſt libertas noſtra cum iſti ſubdimur ve„ritati, & ipſe eſt Deus noſter qui nos „liberat à morte, id eſt à conditione pec„cati. Ipſa enim veritas etiam homo cum „hominibus loquens, ait credentibus ſi„bi: ſi manſeritis in verbo meo, vere di„ſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis verita„tem, & veritas liberabit vos. Nulla enim „re fruitur anima cum libertate, niſi quâ „fruitur cum ſecuritate. Nemo autem „ſecurus eſt in iis bonis, quæ poteſt in„vitus amittere. Veritatem autem atque „ſapientiam nemo amittit invitus: non „enim locis ſeparari ab ea quiſquam po„teſt: ſed ea quæ dicitur à veritate atque „ſapientia ſeparatio, perverſa voluntas eſt „qua inferiora diliguntur. Nemo autem „vult aliquid nolens. Habemus igitur

Lib. 2. de lib. arbit. cap. 13. & 14.

„quâ fruamur omnes æqualiter atque „communiter. Nullæ ſunt anguſtiæ,nul-„lus in ea defectus. Omnes amatores „ſuos nullo modo ſibi invidos recipit, & „omnibus communis eſt & ſingulis caſta „eſt. Nemo alicui dicit: recede ut etiam „ego accedam: remove manus, ut etiam „ego amplectar. Omnes inhærent, ipſam „omnes tangunt. Cibus ejus nulla ex „parte diſcerpitur: nihil de ipſa bibis „quod ego non poſſim. Non enim ab „ejus communione in privatum tuum „mutas aliquid: ſed quod tu de illa capis, „& mihi manet integrum. Quod te in-„ſpirat non expecto ut reddatur abs te, & „ſic ego inſpirer ex eo: non enim aliquid „ejus aliquando fit cujuſquam unius, aut „quorundam proprium, ſed ſimul omni-„bus tota eſt communis. Minus ergo ea „quæ tangimus, vel quæ guſtamus, vel „quæ obſacimus huic ſunt veritati ſimilia, „ſed magis ea quæ audimus & cernimus: „quia & omne verbum à quibus auditur, „totum auditur ab omnibus, & ſimul à „ſingulis totum. Et ſpecies omnis quæ „oculis adjacet, quanta videtur ab uno, „tanta & ab alio ſimul. Sed multum lon-„go intervallo ſunt iſta ſimilia: nec tota

„enim

„enim ſimul ſonat quælibet vox, quia per „tempora tenditur & producitur,& aliud „ejus prius ſonat, aliud poſterius: & ſpe„cies omnis viſibilis tanquam intumeſcit „per locos, nec ubique tota eſt. Et certè „omnia hęc auferuntur invito,& quo mi„nus eis frui poſſimus, quibuſdam impe„dimur anguſtiis. Hęc ibi Auguſtinus, ut oſtendat nos frui veritate cum ſecuritate ſine timore conſortis,atque adeo ibi ſummam eſſe libertatem, ubi anima ſubditur veritati, quæ eſt Deus noſter.

Porro quamvis anima in corpore mortali conſtituta eatenus cum ſecuritate diligat veritatem, quatenus eam invita non poteſt amittere, attamen gerens adhuc corpus peccati & concupiſcentiæ pondus ſibi à ſeipſa debet timere, ne perdat dulcedinem charitatis, & ſuperetur ab illecebris cupiditatis. Quia ergo de ſuo erga Deum perenni amore ſecura non eſt, propterea hic perfectè libera non eſt, & quia non eſt perfectè libera, ideo timens peccare clamat ad Dominum: *Libera nos à malo. Nec ille plenam*, inquit Auguſtinus, *libertatem habere dicendus eſt, qui ſe adhuc poſtulat liberari.* Erit autem plena libertas, ubi erit Deum ſemper aman- *Lib. de nat. & grat. cap. 55.*

di plena ſecuritas. Hac ſecuritate quia Sancti in cœlis donabuntur, ideo ibi erunt perfectiſſimè liberi. *Quid enim liberius libero arbitrio quando non poterit ſervire peccato?* Beati itaque in cœlis erunt liberrimi, quia prorſus expediti ab omni viſco terreni amoris, tanta perfundentur delectatione & amore juſtitię, ut tam non poterint tunc velle peccare, quam ſe eſſe miſeros nunc velle non poſſunt.

Vide Auguſt. ibid.

Cum itaque homini nihil ſit ſalubrius, nihil melius, quam Deum amando, Deo ſervire, nec illi quidquam ſit glorioſius, quam ab omni amoris vinculo, quo creaturis ſervitur, eſſe liberum: & cum è contra probroſum homini ſit per ſervilem amorem adhærescere creaturis abrupto divinæ charitatis vinculo; hinc eſt cur ſervire Creatori verè libertas, ſervire autem creaturis verè ſervitus appelletur: quamquam & hoc aliqualem habeat libertatem adjunctam & illud aliquo ſenſu ſervitus nuncupetur.

§. VI.

§. VI.

Liberum nobis eſt quod fit cum volumus.

HIs dictis de libertate ſub eâ conſideratione quâ deſignat independentiam ab aliquo; nunc pauca dicenda ſunt de libertate, quatenus illud nobis dicitur eſſe liberum quod eſt in noſtrâ poteſtate ſive quod fit dum volumus. *Non eſt nobis liberum*, inquit Auguſtinus, *quod in poteſtate non habemus.* Porro *hoc quiſque*, ut ait idem, *in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit.* *Lib. 2. de lib. arbit. cap. 3.* *Lib. de Spirit. & lit. cap. 31*

Illud autem per quod opera conſtituuntur in poteſtate voluntatis noſtræ eſt quædam delectatio. *Voluntas ipſa*, inquit Auguſtinus, *niſi aliquid occurrerit quod delectet, atque mutet animum, moveri nullo pacto poteſt. Hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.* Ad peccandum trahitur voluntas terrenâ delectatione. Hinc ait Auguſtinus, *quod quicquid eſt peccatorum in dictis in factis, in cogitationibus non exoriatur niſi ex illicita delectatione.* Econtra ad Deum amandum trahitur voluntas *Lib. 1. q. 2. ad ſimplic.* *In ſerm. de verb. Apoſt. cap. 1.*

Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 17. cœleſti voluptate. *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius.*

Quod nos peccare delectet, provenit ex infirmitate. Multa enim ægris jucunda ſunt quæ ſanis moleſtiſſima forent. Econtra quod æterna juſtitia & veritas nos delectet, provenit ex mentis ſanitate. Unde quia in cœlis erit pleniſſima mentis ſanitas, ideo ibi nos peccata delectare non poterunt. Et quia peccata ibi delectare non poterunt, ideo ibi erit maxima libertas. *Nec ideo Beati liberum arbitrium non habebunt, quia eos peccata delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 30.*

§. VII.

De libertate Deiparæ, quâ fiebat quod volebat.

HIs de libertate generatim ſpectata breviter expoſitis, agendum nunc de libertate Deiparæ ac præſertim de illa, qua dotata erat dum in terris vivebat. Nam

Nam cognitio iſtius libertatis Deiparæ magis erit ad morum noſtrorum ædificationem, tum quia quæ egit in terris adhuc mortalis, potius nobis ſunt ad exemplum imitationis, quam quæ nunc agit in cœlis; tum quia perſpectâ libertate, quâ vixit in terris, faciliùs eam, quâ gaudet in cœlis animo complectemur.

Si ſpectemus libertatem ſub eâ conſidaratione, quâ illud, quod eſt in noſtrâ poteſtate, ſive quod fit dum volumus, nobis liberum dicitur, liberrima dum hic viveret, fuit Deipara. Habuit enim in poteſtate puriſſimas affectiones divini amoris, quia nulla fuit in ipſa delectatio concupiſcentiæ. Ejus velle non tenuit inimicus, ut inde catenam, quâ eam conſtringeret, facere poſſet. Non erat ex illis, qui deſiderantes Deo adhærere toto corde, & illud perficere non valentes clamabant ingenti cum dolore: *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.* Et *velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio.* Etenim quod volebat bonum, illud perficiebat, quia nihil erat; quod ex ipſâ illi reſiſteret. Nec enim dum mente condelectabatur legi Dei, videbat aliam legem in mem-

Rom. 7. 15.
Ibid. 18.

bris repugnantem legi mentis ſuæ, & captivantem in lege peccati. Exultabat ſpiritus ejus non ex parte, ſed ex ſe toto in Deo ſalutari ſuo. Magnificabat Dominum integra anima ejus, non pars animæ ejus. Erat igitur ad amandum Deum liberrima, quia ſpiritus ejus non aſperſus ſed immerſus exultationi cœleſti in ſuâ habebat poteſtate ut Deum diligeret, laudaret, & magnificaret perfectiſſimè. Nos ſępè frigeſcimus ab amore Dei, quia nonniſi quibuſdam guttis, gaudii cœleſtis ſumus aſperſi: Unde etiam non eſt nobis liberum, ſive non eſt in poteſtate noſtrâ mentis intentionem ad Deum ſemper tenere directam, quantumvis illud deſideremus. At virgo quia fuit gratiâ, ſive cœleſti dulcedine plena (nam gratia eſt delectatio cœleſtis, quâ fit ut animam juſtitia delectet) habuit in poteſtate animam ſuam amore integro ad Deum attollere, illique ſemper tenere affixam.

Gaude Maria virgo, quia exultare in Deo ſalutari tuo, ipſumque magnificare, ſublimiſſimæ libertatis ac diviniſſimæ poteſtatis eſt. Erubeſcite mundi Principes, quia quod vobis liberum, nempe conſcribere

ſcribere militem, urbes obſidere, hoſtes interimere, plerumque ſervilis ſuperbiæ, invidæ ambitionis, & iræ intemperantis eſt. Gaude Maria virgo, quia quod tu libera ſis ad Dominum laudandum, cujus *miſericordia à progenie in progenies timentibus eum*, provenit ex gratiæ ſive lucis ac charitatis plenitudine. Erubeſcite mundi Principes, quia quod vos intrepidè hoſtes aggrediamini, ruatis in pericula, non paveatis ad mortem, plerumque provenit ex vanæ laudis, & gloriæ cæcâ & immenſâ cupidine. Gaude Maria, quia tua libertas, libertas eſt ſanitatis. Erubeſcite mundi Principes, quia veſtra libertas, libertas eſt vanitatis.

Deus eſt liberrimus, quia *omnia quæcumque voluit fecit*. Cauſa omnium quæ fecit, voluntas ejus eſt. *Facis tu domum,* *In Pſ. 134.* inquit Auguſtinus, *quam ſi nolles facere, ſine habitatione remaneres.* „Neceſſitas „coegit te facere domum, non libera vo„luntas. Facis veſtem; quia ſi non face„res, nudus ambulares. Ad faciendam „ergo veſtem neceſſitate duceris, non li„berâ voluntate. Conſeris montem viti„bus, ſemen ſpargis: quia niſi feceris, ali-

„menta non habebis. Omnia hæc ne-
„ceſſitate facis. Deus bonitate fecit, &
„nullo quod fecit eguit: ideo omnia
„quæcumque voluit, fecit. Putas habe-
„mus & nos quod liberâ voluntate facia-
„mus? Ea enim quæ diximus ex neceſſi-
„tate facimus: quia ſi non faceremus,
„egentes & inopes remaneremus. Inve-
„nimus aliquid quod liberâ voluntate fa-
„ciamus? Invenimus planè, cum ipſum
„Deum amando laudamus. Hoc enim
„liberâ voluntate facis, quando amas
„quod laudas: non enim ex neceſſitate,
„ſed quia placet. Unde juſtis & ſanctis
„Dei placuit Deus, etiam flagellans eos.
„Quando iniquis omnibus diſplicet, pla-
„cuit illis: & ſub flagello ejus, in ærum-
„nis, in laboribus, in vulneribus, in æge-
„ſtate conſtituti laudaverunt Deum. Non
„eis diſplicuit nec torquens. Hoc eſt
„gratis amare, non quaſi propoſitâ acce-
„ptione mercedis, quia ipſa merces tua
„ſumma Deus ipſe erit, quem gratis dili-
„gis: & ſic amare debes: ut ipſum pro
„mercede deſiderare non deſinas qui ſo-
„lus te ſatiet, ſicut Philippus deſiderabat
Joan. 14. 9. „cum diceret, *oſtende nobis patrem, &*
„*ſufficit nobis*. Merito quia hoc de liberâ
„voluntate

„voluntate facimus, & de libera volun„tate facere debemus, quia delectati fa„cimus, de hinc amando facimus: quia „etſi corripimur ab illo, nobis nunquam „diſplicere debet, quia ſemper juſtus eſt. Ex his Auguſtini verbis conſtat Mariam liberrimâ voluntate feciſſe continuo opus ſuum. Liberâ voluntate amavit, quia ipſum laudavit, non neceſſitate victûs aut amictûs, ſed quia placebat. Non intuitu mercedis, ſed quia merces ejus erat ipſe Deus ejus, quem gratis diligebat. Dilexit illum, laudavit illum, magnificavit quia voluit, quia delectabatur laude & gloria ejus.

§. VIII.

Maria ampliſſima libertate Deo ſervivit, quia in præceptis non ſolum dilexit hunc aut illum juſtitiæ radium in hoc illove præcepto fulgentem, ſed in omnibus operibus ſibi præſcriptis dilexit Dei voluntatem, omnis juſtitiæ fontem.

MUlti dum bonis ſtudiis ac operibus Deo ſervire proponunt, illud anguſta

guſtâ faciunt libertate, quia in præceptis Dei diligunt hanc aut illam ſpecialem rationem juſtitię; non vero ipſam juſtitiæ amplitudinem, quâ juſtum eſt quidquid juſtum eſt. Alius amat cœlibatum aut præcepto, aut voto impoſitum; alius amat Sacramentis ſæpe refici; alius intereſſe divinis officiis; alius prędicare Verbum Dei; alius adminiſtrare Sacramenta; alius viſitare infirmos; alius redimere captivos; alius amat à cibis abſtinentiam; alius amat receſſum & ſolitudinem; alius alia juſtitiæ opera, à quorum exercitio ſi impediantur aut per ægritudinem, aut per hominum malitiam, aut per aliud obſtaculum, turbantur & contriſtantur; quod ex eo arbitror provenire, quia non ipſum fontem juſtitiæ, ex quo omnia juſta ſunt, ſed hunc aut illum diligunt juſtitiæ radium in hoc iſtove officio refulgentem. Qui ſi in uſu Sacramentorum, & in pręfatis virtutum officiis non diligerent niſi ipſum juſtitię fontem, Dei voluntatem, ex quâ omnia juſta ſunt, & cujus permiſſio ęquè ac ordinatio adoranda, minimè conturbarentur, & ea, in quibus non amarent niſi Dei voluntatem, læti omitterent ut alia exercerent, quæ eâdem

dem voluntate à ſe poſtulari viderent. Audiamus hæc Auguſtinum ſuis verbis exponentem: „ *Beatus*, inquit, *eſt quip-* „*pe* qui fruitur ſummo bono: hęc enim „veritas oſtendit omnia bona, quæ vera „ſunt, quæ ſibi pro ſuo captu intelligen- „tes homines, vel ſingula vel plura eli- „gunt, quibus fruantur. Sed quemadmo- „dum illi, qui in luce ſolis eligunt quod „libenter aſpiciant, & eo aſpectu lętifi- „cantur, in quibus ſi fortè fuerint vegeti- „oribus, ſaniſque, & fortiſſimis oculis „præditi, nihil libentius quam ipſum ſo- „lem contuentur, qui etiam cætera, qui- „bus infirmiores oculi delectantnr, illu- „ſtrat: ſic fortis acies mentis & vegeta, „ cum multa vera & incommutabilia cer- „tâ ratione conſpexerit, dirigit ſe in ip- „ſam veritatem, quâ cuncta monſtrantur, „eique inhærens tamquam obliviſcitur „cætera, & in illa ſimul omnibus fruitur. „Quidquid enim jucundum eſt in cęteris „veris ipſâ utique veritate jucundum eſt. „ Hęc eſt libertas noſtra cum iſti ſubdi- „mur veritati: & ipſe eſt Deus noſter. Addere poſſumus ad Auguſtini verba, quod iſta veritas ſit juſtitia & ſapientia noſtra, quam ſani oculi in ſe ipſâ, ſive

Lib: 2. de lib. Arbit: cap: 13.

in

in ſuo fonte potius, quàm in hoc iſtove opere diligunt. Et quia Deipara ſaniſſimis mentis oculis fuit dotata, ipſum juſtitię ſolem, ex quo omnia juſta, in ſeipſo aſpexit & dilexit. Servavit religioſe judaicas cæremonias, in illis amans Dei juſtitiam quæ illas inſtituit. Uſa fuit Sacramentis & Sacrificiis, in illis colens Dei ſapientiam, quæ iſta præſcripſit. Per ſævitiam Herodis ipſi exulandum, & feſtorum obſervatio, & uſus Sacramentorum ac Sacrificiorum intermittenda ſunt. Quid? turbaturne? in quibus ritibus divinam dilexerat voluntatem, in eorumdem rituum intermiſſione tranquilla & læta eandem Dei diligit voluntatem, tanquam omnis juſtitiæ fontem.

Ex Dei inſtinctu virgineam voverat caſtitatem, in voti obſervatione & cultu virginalis continentiæ non niſi divinam juſtitiam diligebat. Ait illi Angelus: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.... Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* *quaſi dicat*, inquit Bernardus, *cum ſciat Dominus Deus meus, teſtis conſcientiæ meæ,* *votum*

votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat iſtud? ſi oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito. Fiat tamen voluntas ejus: ſin vero virgo concipiam, virgo & pariam, quod utique ſi placuerit ei, impoſſibile non erit, tunc ſcio verè, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. En quomodo in Dei præceptis & ſuis officiis non dilexit virgo niſi Dei voluntatem omnis juſtitiæ fontem. Hæc Dei voluntas cum omnia juſta tanquam fons omnis juſtitiæ complectatur, & cum illum potius, quam ſpecialia virtutum dilexerit officia; hinc ſuo amore comprehendebat quidquid juſtitiæ eſt in omnibus virtutum officiis, quamvis omnia omnium virtutum officia exercitio non teneret. *Serm: 4. ſuper miſſus eſt.*

Ex his conficitur Deiparam fuiſſe liberrimam, quia habuit in ſua poteſtate, ut non ſolum hęc, aut illa ſpecialia virtutum officia amore proſequeretur, ſed ipſam adamaret Dei voluntatem, immenſum æternumque juſtitiæ fontem, quo continetur quidquid ullo loco aut tempore juſtum eſt. Adhortarer pias animas, ut virginis exemplo non anguſtâ liberta-

te, huic aut illo virtutis officio affectum addicerent, ſed amarent habere in poteſtate ipſum diligere juſtitiæ fontem non in ſuo radio, ſed in ſeipſo refulgentem. Exſtimularem etiam ad talem amorem exemplo Abrahæ, qui dum jubenti Deo, ut immolaret filium ſuum unigenitum quem diligebat Iſaac, ſuâ ad Deum obediendum promptitudine ac animi libertate, omnibus notum fecit, quod in præcepto, *non occides*, non ſpecialem diligeret juſtitiæ radium, ſed ipſum omnis juſtitiæ ſolem, Dei voluntatem: verum properandum eſt ad ſpecialius oſtendendum, quomodo Deipara voluntate ab omni, quod creatum & tranſitorium eſt, liberrima humillimè ac libentiſſimè Deo ſervierit, atque creatori ſuo humillimè & libentiſſimè ſerviendo Domina omnium fuerit effecta.

§. IX.

Deipara fuit liberrima, quia ab omni creaturarum viſcoſo amore fuit expedita. Iſtud probatur ex geſtis ejus.

EX Nazareth loco habitationis hyberno tempore ipſi gravidæ abeundum eſt,

eſt, ut in Auguſto imperanti Deo ut profiteretur unuſquiſque in Civitate ſua, obediat, & ſerviat. Nullo habitationis domicilii, aut ſupellectilis ligata commodo, nullis terrenæ quietis vincta illecebris, jubenti per Auguſtum Deo liberrimè & promptiſſimè obtemperat. Confecto itinere quærit locum in diverſorio, ſed illum quærit, non jubente cupiditate avidâ proprii commodi, ſed ſuadente prudentiâ, quæ vult ut utilia humanæ indigentiæ ſubſidia non faſtidiamus. Repellitur à diverſorio, ſed nullam ipſi triſtitiam parit repulſa: quod ſine vinculo cupiditatis poſtulaverat, eo caret ſine doloris vinculo. Audiens verba Pandochei eam repellentis, non minus mente liberrima & ſereniſſima magnificabat anima ejus Dominum, & exultabat ſpiritus ejus in Deo ſalutari ſuo, quam dum ejus virtus & dignitas ab Eliſabeth laudabatur & colebatur. Tam contenta parit in ſtabulo, ac peperiſſet in diverſorio. Animi ejus libertas ac magnitudo nihil mutatur à locis: in paupertate & moleſtiis ſtabuli perinde expedita eſt ut Deum contempletur, eoque perfruatur, ac erat in ſuo Nazareth, aut ædibus Zachariæ.

Ubi natus in ſtabulo infans à Paſtoribus & Magis adoratur, unàque ipſa colitur in fructu ventris ſui, capiturne vano gaudio? Congratulatur Paſtoribus & Magis, quod ſuum agnoſcant Salvatorem: Non foris rapitur, ut laudis & honoris dulcedini adhęreſcat; ſed ſui maximè compos animo liberrimo advertit, quæ de Jeſu dicuntur. Et dum omnes mirantur de his quæ dicta erant à Paſtoribus de puero
Luc. 2. 19. Jeſu, *Maria autem*, inquit ſcriptura, *conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Poſt adorationem à Paſtoribus & Magis infanti exhibitam, Maria Dei legibus obſequens proficiſcitur in Jeruſalem, ut Jeſum ſuum Domino ſiſtat. Quid ibi contigit? poſtquam vidiſſet Simeonem complectentem & laudantem Jeſum ut ſalutare Dei, ut Lumen ad revelationem gentium, & ut Iſraëliticæ plebis gloriam, miratur Maria de his quæ dicuntur de Puero: miratur autem non quaſi à Simeone audiret de Filio prædicari, quod ante non noviſſet; etenim ab Angelo antequam conciperet, didicerat ſe parituram eſſe mundi ſalvatorem. Quid ergo miratur? miratur Simeoni innotuiſſe ejus claritatem, quem ipſa in ſilentio

&

& obſcuritate ſtabuli genuerat. Et ut videas Mariam in hiſce Filii ſui encomiis nullâ fuiſſe illectam illecebrâ, nullave laudis vanitate emollitam, animo à blandimentis libero & terroribus ſuperiore audit ſibi à Simeone dici: *tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* *Luc. 2. 35.*

His Hieroſolymæ peractis, illi in Ægypto exulandum eſt, verum ab omni viſco curioſitatis expedita, non interrogat cur in Judæa conſiſtens non poſſit eſſe tuta, quoniam habeat Filium omnipotentem, ſine cujus voluntate Herodes ne vel digitum poterat movere. Non inquirit quamdiu ſibi ſit exulandum. Non tenetur ulla ſollicitudine de craſtino, tota in eo eſt, ut quod impræſentiarum Deus ab eâ poſtulat, illud ipſa perficiat. Scit quod ſive exulet in Ægypto, ſive vivat in patriâ, Deum ſuum amare poſſit & laudare. Iſto amore & laude ſe beatam fore credebat quiſcumque tandem locus teneret corpus ejus.

Ex obedientiâ ingreditur Ægyptum, ex obedientiâ redit in terram Iſraël, & habitat in Nazareth in Jeſu ſuo habens omnia. Et licet ſciat illum eſſe Dominum mundi, nihil tamen de mundo concupiſ-

cit, perſuaſa iſtis Cantici ſui verbis: *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.* Nihil obſtante exteriori inopiâ credebat ſe intus opulentiſſimam nempe poſſidendo Deum ſuum. Volentes verò ſæculi bonis eſſe divites, credebat intus eſſe inanes; atque adeo nullo interiori bono ſuffultos, ſibi ipſi oneri eſſe. Veriſſima eſt hæc Auguſtini Deo loquentis ſententia. *Cum inhæſero tibi ex omni me, omnino nuſquam erit mihi dolor & labor, & viva erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, ſublevas eum: quoniam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum.* Deo ſuo inhæſit Virgo ex omni ſe, nuſquam ergo erat illi intus dolor & labor, & viva erat vita ejus tota plena Deo, quia plena gratiæ, quæ ſine Deo non eſt. Sublevabatur ab illo à quo implebatur, nec ſibi oneri eſſe poterat Deo plena. Ex illa ergo inhęſione, quâ Deo tota inhærebat, illique ex ſe omni ſerviebat, omne ejus erat gaudium, & ex gaudio libertas, tùm à laborioſis concupiſcentiæ vinculis, tùm à preſſura illius ponderis, quo anima Deo deſtituta gravat ſeipſam.

Lib. 10. *Confeſ. cap.* 28.

Qui voluerit examinare omnia verba

&

& acta, quæ de Virgine narrantur in Evangeliis, advertet facile, illam ab omni peccato ſive concupiſcentiæ vinculo fuiſſe liberrimam, atque ad omne Dei juſſum expeditiſſimam, neque etiam fuiſſe aliâ re delectatam quam juſtitiâ divinæ voluntatis, quam pulchritudine legis æternę. Cum itaque Deipara in ſervandis Dei pręceptis fuerit læta ſemper, eam neceſſe eſt ut fateamur ſummâ libertate fuiſſe donatam; *nam* ut fere alicubi Auguſtinus, *in Dei ſervitio placere perfectè ſola libertas eſt.* Et alibi, *ipſa eſt vera libertas propter recti facti lætitiam, ſimul & pia ſervitus propter præcepti obedientiam.* *De quant: anima c.34* *In Enchir: cap. 30.*

§. X.

De Regiâ poteſtate & ſublimitate Deiparæ.

QUemadmodum hęc libertas à peccato ſive à vinculis concupiſcentiæ ex amore, quo Creatori ſervitur, profluit; ita ex illâ libertate emanat regia quædam dignitas atque dominium. *Quem regnare delectat*, inquit Auguſtinus, *uni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat, plus eum diligendo quam ſeipſum.* Et alio loco dicit: *Lib. de vera Relig. cap. 48.*

Lib: de moribus Eccl: Cathol: cap. 22.

Juſtitia eſt amor ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans, quo amoris igne, cum ſe anima rapit in Deum ſuper omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur. Hoc regnum, poteſtas, & dominium in eo conſtituta ſunt, quod anima illis decorata, res omnes temporales ſub ſe habeat, & eas ſibi ſubjiciens ex illis ſibi gradus faciat, quibus ad Deum ſemper aſcendat. Occurrant proſpera tali animæ, illa tanquam ſcabellum pedum ſuorum ſibi ſubjiciet, ut vicinius ad Deum exurgat. Adverſa illi obveniant, & iſta ſibi ſubſternet, ut per illa veluti ſcalam aſcendat ad Deum. Nihil verius iſto effato, *Rationalis anima, ſi Creatori ſuo ſerviat, à quo facta eſt, cuncta ei cætera ſervient*: nempe non ad vanitatem ſed ad æternitatem; non ad luxum, ſed ad ſalutem; non ut in illis affectu & delectatione conquieſcat, ſed ut per illa ad bona inviſibilia & immutabilia conſcendat. Viſitatur & laudatur ab Angelo Deipara; Quid illa? libera à laudis & philautiæ illecebrâ, iſtâ viſitatione & laudibus utitur, ut excelſâ humilitate dicat: *Ecce Ancilla Domini.*

August. lib. de vera Relig. cap. 44.

Eam

Eam prædicat Eliſabeth, ſed Deipara mentem à propriis laudibus avertens, & ad æternæ veritatis pulchritudinem convertens, cantat: *Magnificat anima mea Dominum.* Non dubium quin eodem dominante affectu viderit & audierit ſtupenda Filii ſui miracula; nempe in illis & ob illa non ſibi vanè complacuit, ſed Deum benedixit, qui per filium ſuum mirabilia operans, & ſalutaria docens oſtendebat, quod *ſuſcepiſſet Iſrael puerum recordatus miſericordiæ ſuæ.*

Adverſis, quæ illi ſęviſſima obvenerunt pariter dominata eſt, quia illorum ſenſu acerbiſſimo mens ejus minimè deprimebatur, ſed magis ſtimulabatur, ut adoraret incomprehenſibilem Dei juſtitiam pro cujus amore & honore videbat filium morientem; ut laudaret Dei patientiam, qui tot commiſſa in filium ſuum facinora tolerabat; ut gratularetur miſeris Adæ filiis, qui talem ac tantum meruiſſent habere Redemptorem; nec non ut iſto recrearetur amore, quo *Deus ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, & quidem daret in mortem, & mortem crucis.* Virgo itaque ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans, divini

amoris igne in Deum rapta, ſuper omnem carnificinam libera & admiranda volitabat pulcherrimis & integerrimis pennis, quibus ad Dei ſui complexum caſtus ejus animus ſemper innitebatur. Quid magis regium, quid magis dominans, quam talis animi affectio? Si ex Philoſopho & D. Thomâ ſervus ille, qui non eſt ſui gratiâ, Dominus vero qui, eſt gratiâ ſui, quid magis dominans quam animus virginis, cui omnia ſive proſpera, ſive adverſa cooperantur in bonum, id eſt in Dei poſſeſſionem? Si regnantis & dominantis eſt eſſe invictum, quid magis regnans & dominans, quam anima Deiparæ, quæ nec corrumpitur proſperis, nec frangitur adverſis? quid Principum mundanorum majeſtas ad hanc virginis regiam ac dominatricem ſublimitatem?

§. XI.

Declaratur quantum regia poteſtas Deiparæ excellat ſæcularem principum poteſtatem.

DOminantur reges aliis hominibus, verum hoc non eſt ex natura hominis, ſed ex pœna damnati. Homini, ut creatus

creatus & inſtitutus fuit, dixit benedicens Deus: *Replete terram & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Adverte nullum hic à Deo homini in hominem dominium dari. Ubi vero homo Dei mandatum violavit, tum dictum eſt à Deo hominem reum puniente: *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Hominis ergo in hominem dominium non tam ex Dei benedictione quam punitione deſcendit. Illud dominium, quod in Maria prædicamus ex gratiâ eſt Dei miſerantis, non vero ex irâ Dei vindicantis. Reges occidere poſſunt homines ex eo, quod in illos exercent, dominio. Hæc ſumma illorum poteſtas; atque hac poteſtate etiam pollent cicuta, arſenicum, & malus fungus.

Gen. 1. 28.

Gen. 3. 16.

*D*ices magnam eſſe regum dignitatem, quod ipſorum voluntas aliis hominibus ſit pro lege, quam ſequi teneantur. regum voluntas nequidem ipſis regibus pro lege eſt, tantum abeſt ut cæteris hominibus poſſit eſſe pro lege. Sola *D*ei voluntas ſibi ipſi regula eſt, quia *D*ei voluntas eſt ipſa ſapientia atque juſtitia.

Quemadmodum reges nequidem de ſe ipſis pro libitu diſponere poſſunt, ita minus alios pro ſuo libitu regere debent. Si ſuum libitum à *D*ei legibus diſſonum ab
Actor. 5. 29. aliis velint ſervari, ipſis dicendum: *Oportet Deo magis, quam hominibus obedire.* Et quia Reges non regunt juſtè niſi recti à *D*eo; hinc unus ex regum beatiſſimis
Pſal. 118. 33. orare ſolebat: *Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum.* Nec ille ipſe Rex ſe felicem putabat, quia homines regebat, ſed quia à *D*eo regebatur, *D*eoque ſubditus adhærebat. *Mihi autem*, in-
Pſal. 72. 28. quit, *Deo adhærere bonum eſt.* Regum ergo quemadmodum cæterorum hominum ſublimitas conſtituta eſt in obedientiâ & ſervitute, quæ uni *D*eo ſacranda eſt.

Quis ex his non videt virginis dominium tantò regum dominio eſſe ſublimius, quantò ipſa præ regibus *D*eo ſervit devotius. *D*einde in regum dominio nulla ſecuritas, tot habent quos timent, quot ſunt à quibus timentur. Virginis regia dignitas ab omni libera timore, quia ibi poſita, nempe in abſcondito cordis, quò hoſtis & perſecutor pervenire non poteſt. Nec objicias regibus ſervire

homines.

hominès. Non regibus ſerviunt, ſed auro, quod à regibus expectant. Hoc ſi rex dare nequit, vix inveniet, qui ei ſerviant. Vilis ergo poteſtas illa, quæ vix coleretur ſi avaritia aurum non coleret, ſi ambitio faſtum non magni faceret. Virginis poteſtas non ob aurum colitur, ſed ob auri contemptum & excellentiam charitatis; nullos etiam habet cultores magis ſibi devotos, quam qui ab auri & honorum cupiditate maximè defæcati ſunt. Neque putes arctum fuiſſe virginis regnum, quia illud ſuo cordi gerebat incluſum. Nil magis amplum eo corde in quo habitat & regnat Deus; nil anguſtum in ea mente, quæ extra juſtitiæ & ſapientiæ metas nullâ rapitur cupiditate. Cantare poterat Deipara: *ambulabam in latitudine, quia mandata tua dilexi.* Cupiditas arctat cupiditatem, avaritia premit ſuperbiam. Luxuria angitur per zelotypiam. Ebrietas & gula cruciantur per verecundiam. Ipſa avaritia in ſeipſam armatur; dum agris cupit eſſe dives, tum cruciatur, quia ut agros habeat, nummi expendendi ſunt. Et dum avaritia nummos cupit, cum dolore vendit, quos amat, agros. Superbia ſemper ſibi anguſtias facit:

Pſal. 118. 45.

facit: tum quia omnis ſuperbus cruciatur invidiâ, tum quia metuit, ne amittat aut non acquirat rem illam, quâ cupit excellere, tum etiam quia ſępe per diverſa cupit eminere, quæ ab eodem homine nequeunt poſſideri. Verum nulla virtus aut à ſeipſâ, aut ab alia virtute premitur. Conſentit ſecum ſapientia, conſentit etiam cum fortitudine, cum temperantiâ, nec non cum omnibus cæteris virtutibus.

Virgo his virtutibus Deo ſerviens nullas patiebatur anguſtias. His virtutibus adhæreſcens ubique lucentibus veritatis, & æternæ ſapientiæ præceptis afficiebatur incomprehenſibili latitudine cordis. Reges mundi foris habent latitudinem, ampla palatia, amplos hortos, amplas urbes atque provincias, amplos exercitus, amplas opes & gloriam; verum niſi ſuam illam externam amplitudinem contemnant, intus anguſti ſunt, quia plerumque ſui ipſius laborant faſtidio, & pondere reæ damnatæque naturæ intus premuntur; hinc Caini inſtar à ſeipſis profugi foris quærunt latitudinem. Pyrrhus Epirotarum rex nova quærit regna ut ambitioſis belli tumultibus extra ſe raptus arctantis ſe animi non ſentiat anguſtias.

Vide Plutarch. in Pyrrho.

Quod

Quod autem poſt illorum acquiſitionem ſibi, ſuiſque polliceatur otium atque quietem, illud ex ſui ipſius ignorantiâ eſt. Etenim ſi victoriis, quas animo deſtinaverat, fuiſſet potitus, perinde ſibi ipſi gravis, ſuique impatiens fuiſſet, atque erat illis necdum poſſeſſis. Alexander adepto Aſiæ imperio ſęvis torquetur pavoribus, & tanto auctus dominio non minori cordis anguſtiâ premitur, quam cum ſolummodo Græciæ imperaret. Deipara foris quaſi nihil poſſidens, intus gaudet immenſâ cordis latitudine, nullæ ejus animum premunt libidines, nulli torquent timores, nullę angunt ſolicitudines, quia nihil amat, quod poſſit invita amittere, & quia excellit inter illos *eſurientes* quos Deus *replevit bonis*, dum *divites dimiſit inanes*.

Repit in terra regum ſublimitas, unde? ab hominibus in terra repentibus;& quid dico ab hominibus? à veneno, ab epilepſia, à nephritide, à calculo ſæpe dejicitur. O quam humilis & abjecta illa ſublimitas, quam evertunt res tam exiguæ! *D*eipara exultans in *D*eo ſalutari ſuo ſublimior eſt, quam ut ab ullis mundi machinamentis queat proſterni.

Nihli

Nihil à mundo cupiens aut timens, à mundo lædi non poteſt. Ut aves non læduntur aut capiuntur, niſi dum terræ propinquant; ita animæ non læduntur à creatâ poteſtate, niſi dum creata amant, & amando illis appropinquant. Virgo in charitatis ſuique Dominii celſitudine conſiſtens, & videns ex alto abjectionem regum hujus mundi, cantat: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, cum illos, qui aliud non videntur parturire, quam illud
Gen. 11. 4. ſtructorum veſanæ molis: *Celebremus nomen noſtrum*, fruſtrat deſtinatâ gloriâ; turres gloriæ vertens in turres ignominię, & dum monumenta quæ Abſalomes ſibi e-
2. Reg. 18. 18. rigunt & ambitioſo titulo vocant, *manum Abſalom*, commutat in monumenta dedecoris, quæ illorum ſcelera, mortiſque turpitudinem atteſtantur. Deponit potentes de ſede, cum vel alios de throno ad ignominiam ſervitutis, carcerumque trudit pædorem: & alios de poſt fętantes accipiens ad regale ſolium evehit: vel cum ſinit reges ſuperbos mentis tam eſſe abjectæ, ut vilium ſcortorum mendicent favores, ſe pedibus illorum proſternant illorum

illorum ferant improperia, & ſub illorum tyrannide ingemiſcant, & è contra cum pauperrimis dat mentem tam ſanctè ſuperbam, ut ſuperbos faſtidiant tyrannos, illiſque plus quam regia magnitudine dicant: *Quid mihi & tibi eſt? Vade ad prophetas Patris tui, & matris tuæ..... vivit Dominus in cujus conſpectu ſto, quod ſi non vultum Joſaphat Regis Judæ erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem.* 4 Reg. 3. 13. Quantumvis magnâ te jactes majeſtate. Quid magis ſervile quam ſcortorum inſultus, faſtidia, dedignationes, & improperia ſuſtinere? Atqui hanc viliſſimam ſervitutem plerumque ſerviunt reges ſuperbi. Quid magis majeſtuoſum quam rebellibus Deo regibus dicere: *Quid mihi & tibi eſt?* te quidem nec attendo, nec reſpicio. Atque hæc eſt ſublimitas animi illorum, qui ab amore mutabilium rerum liberi Deo ſe ſubdunt.

§. XII.

In puritate Divini amoris ejus Regia ſublimitas & Dominium ſunt conſtituta. Hoc quia non adverterunt adverſarii, ideo ægrè ferunt

runt Deiparam dici Dominam.

IN hoc puriſſimo amore, quo Deipara Deo ſervivit in terris, & nunc perfectius ſervit in Cælis, conſtituta eſt ejus libertas, regia Majeſtas, dominium, atque ſublimitas. Eam dicimus Reginam cæli, Dominam mundi, quia nihil eorum, quæ in mundo aut cælo ſunt, *manſorio*, ut loquitur Auguſtinus, amore dilexit, & quia illa non diligens niſi amore *tranſitorio*, eis omnibus veluti gradibus uſa fuit, ut in Deum ſuum tota tranſiret. Eam dicimus Reginam Angelorum, quia Deum præ Angelis purius diligit. Quemadmodum Plato dicitur Princeps Academicorum, Zenon Stoïcorum; & quemadmodum Ariſtoteles vocatur Princeps Philoſophorum omnium, quia illi nempe Plato & Zenon ſuper cæteros ſuæ ſectæ, Ariſtoteles vero & ſuper ſuæ & aliarum Sectarum Philoſophos creditur eminuiſſe: vel quemadmodum Iſaias vocatur Princeps Prophetarum, quia dono Prophetiæ cæteris fuit illuſtrior; vel quemadmodum Joannes Baptiſta vocatur Princeps pænitentium, quia virtute pænitentiæ cęteros anteivit. Hoc eodem ſenſu vocatur Maria

ria Regina Sanctorum omnium, quia præ omnibus Sanctis excelſâ charitate Deo ſervivit devotius. Hinc Iconoclaſtæ in Concilio Conſtantinopolitano, quod laudat *Rivetus*, Deiparam definiunt cælis altiorem & Cherubinis ſanctiorem: & in definitione decimâ quintâ anathema contra illos pronunciant, *qui non confitentur ſanctam ſemper Virginem Mariam, propriè & verè Deiparam, quavis viſibili & inviſibili creaturâ ſuperiorem: & cum ſincera fide ejus interceſſiones, tanquam quæ libertatem apud eum, qui ex ſe genitus eſt, Deum habeat, non poſtulaverint.*

Vide Rivetum Apolog: pro SS. Virgine. lib.2. cap.1.

Quia ergo Maria inter omnes ſanctos ſive illi Angeli, ſive homines, Patriarchę, Prophetę, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, aut Virgines fuerint, puritate divini amoris eminuit; hinc illorum omnium Regina ſalutatur, nullus dubito quin quicumque adverſariorum hæc animo pacato legerint, confeſſuri ſint Deiparam meritò honorari, ut Reginam Sanctorum omnium. Crediderim etiam vix aliâ eos de cauſâ ferre ægerrimè, quod Deiparam ſalutemus Dominam, quam quia verba Eccleſiæ non in ſenſu Eccleſiæ intelli-

gunt. Nam ſi cogitarent eam ab Eccleſiæ filiis vocari Dominam mundi, quia ſufficientiam ſuam in Deo habens, nullis mundi partibus ſe ſubjicit eas diligendo, ſed eas omnes ſibi ſubjicit contemnendo, in Dominæ appellatione, ut arbitror, nil eos offenderet. Atqui, quemadmodum explicatum eſt, non alia magis de cauſa vocatur Deipara à Catholicis *Domina* mundi, quam quia in animæ ſuę pennis nullum habens viſcum terreni amoris ſuper mundum libera volavit.

§. XIII.

A puritate Divini amoris quidam Angeli dicuntur Dominationes. *Dominium iſtud non eſt anguſtum, ſed ampliſſimum.*

AB amore ſoli Deo ſerviente & propterea cæteris dominante, quidam Angeli vocantur *Dominationes*: neque enim dicuntur Dominationes, quaſi haberent in res inferiores vulgare, vile, & anguſtum dominium, quo dum uteris, plerumque excidis, conſiſtente uſu talis dominii, aut in conſumptione, quâ res, cui dominaris, interit, aut in venditione, aut donatione, aut alia alienatione quâ à te

tranſit

tranſit ad alium dominum. Verum juxta S. Dionyſium dicuntur dominationes, ob libertatem ab omni ſubmiſſione terreſtri, ab omnibus blanditiis, ſive illecebris concupiſcentię, atque ab omni affectu, quo anima æternæ Veritati ſit diſſimilis. In hac dominatione nullæ anguſtiæ, eâ gaudent non ſolum illi omnes, qui Dominationes dicuntur, ſed etiam qui vocantur Seraphini, Cherubini, Throni, Virtutes, nec non cæteri ſpiritus beati. Hoc dominium nullo perit uſu, quin potius uſu augetur, ac in æternum conſervatur. Non enim eſt dominium indigentiæ, ſed opulentiæ; non ęrumnoſæ cupiditatis, ſed beatæ charitatis; non dominium rebus terrenis, avaritiâ, & ſuperbiâ incubans, ſed dominium magnitudine charitatis & ſcientiâ veritatis eas deſpiciens, ut in ſolo Deo mens conquieſcat. Vili dominio non niſi unus dominus eidem urbi, provinciæ, & regno dominatur. At ſancto amoris dominio omnes juſti eidem rei in ſolidum dominantur. Hinc illa celeberrima ſententia, nempe, *hominis juſti totum mundum divitiarum eſſe, impii vero ne quidem obolum.* Omnium & ſingulorum juſtorum totus mundus

Vide Dionyſ. de cœleſti Hierarchiâ c. 8.

divitiarum eſt, quia omnes & ſinguli juſti cognoſcunt, & contemnunt rerum creatarum præ Deo vilitatem; omnes & ſinguli juſti per iſtam cognitionem ac contemptum religioſum creaturis dominantur. Quia hoc ſanctiſſimi dominii genere Deipara excelluit; hinc per antonomaſiam ferè ab omnibus Chriſtianis *Domina* vocatur.

ubi ſupra. Nec video quid ullum, qui credit, prout etiam credit Rivetus, *Deiparam virtutibus omnibus ſexu ſuo & vocatione ſuâ dignis excultam fuiſſe non ſolum acquiſitis, ſed maximè infuſis, infracta & conſtanti fide, ſpe certiſſima in promiſſiones divinas & ardentiſſima charitate*, in iſta appellatione offendere poſſit.

§. XIV.

Deipara à nobis vocatur Domina noſtra, quia amor, quo illam diligimus, nos movet ad imitationem virtutum ejus.

SEd forſan offenduntur Proteſtantes, non quia illam Dominam vocamus, ſed quia eam vocamus Dominam noſtram. Verum ſi attendant, quod eam præcipue vocamus

vocamus Dominam noſtram ob iſtam eandem charitatis excellentiam, quam etiam ipſi in eâ agnoſcunt, neceſſe erit, ut poſita offenſione hac in re Eccleſiæ conſentiant. Quo enim colore ſtomachabuntur, ſi eam Catholicus vocet *Do*minam ſuam, quia nempe virginis virtutes diligens atque honorans, eas ſequatur, vel ſequi ſaltem contendat? Ob amorem, quo Paulus proſequebatur Corinthiorum aliorumque ſalutem, ſe illorum ſervum vocabat: nec ſe poterat illorum ſervum agnoſcere, quin ipſos etiam ſuos dominos agnoſceret. Sed unde domini ejus? quia per amorem, quo ipſos Paulus complectebatur, ejus cordi imperabant, ne quidquam ageret, quo eorum ſalus retardaretur, nec quidquam omitteret, quo illorum ſalus promoveretur. *Cum eſſem liber ex omnibus*, inquit, *omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem .... omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*. Quia Judæorum cupit ſalutem juxta Moyſaicę legis uſum, crinem ſibi tondet, & Nazaræatus ſe voto implicat, ac Iudæorum ſe more purificat; & ut illorum deſideriis condeſcendens illos citius Chriſti cognitione & amore imbuat, Timo-

1Cor.9.19.

Ibid. 22.

theum circumcidit. Cum illis diſputans iis utitur argumentis, quæ illis ad Chriſtum adducendis, vel in Chriſto confirmandis maximè ſunt accommoda. Quia gentium optat ſalutem, ita actiones ſuas moderatur, ut diceres illum non aliud cogitare & velle, quam gentium ſalutem. Cum illis differens utitur argumentis, quibus aſſueverant. Nunc illorum ſtudens ſaluti, citat illorum Poëtas, & altarium inſcriptiones: nunc arguit Petrum, ne gentibus ſit ſcandalo; nunc reſiſtit judæis ne illis imponant jugum Moyſaicæ ſervitutis; nunc ſine ſumptu annuntiat Evangelium manibus laborans nocte ac die, ne quempiam ſuo victu gravet. Si prædicabat, charitas, quâ aliorum cupiebat ſalutem, miniſterium verbi ab illo exigebat. Si ſilebat eadem charitas illi ſilentium imperabat. Si proficiſcebatur, itineris labores ei præſcribebat charitas, qua flagrabat erga ſalvandos. Si morabatur in aliqua urbe, moram illi mandabat amata proximi ſalus. Si carceribus includebatur, ſi virgis cædebatur, ſi naufragio periclitabatur, ſi fame & nuditate torquebatur, ſi falſorum fratrum vexabatur invidiâ atque calumniis, tot ac tantas

tas

tas ſubibat moleſtias, quia ſe omnium ſalvandorum ſaluti devoverat. Et ut verbo dicam, omnia agebat & ſuſtinebat propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequerentur, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Tot ergo Paulus habebat dominos, quot homines ad Dei amorem atque ſalutem, quæ in perfectione iſtius amoris conſtituta eſt, perducere cupiebat.

Cum Dei cognitio & amor, quibus Paulus illuſtratos accenſoſque ſalvandos cupiebat, ipſum ſervum, & ſalvandos quadam ratione ejus dominos fecerint: quidni Virgo vocetur noſtra *D*omina ob amorem & ſtudium, quibus ejus virtutes amamus & imitamur? ſi Paulus omnium eorum, quos ſalvos fieri cupit, rectè ſe ſervum appellat; quidni Catholici potiore jure Marię, à qua virtutis normam & interceſſionis beneficium obtinent, ſe ſervos appellent? Qui impuro flagrant amore, fęminas carnali pulchritudine præditas vocitant ſuas Reginas, ſuas Dominas, ſuas Heras, quarum omnis voluntas apud ipſos legis habeat auctoritatem. Qui caſtiſſimam virginem ob ejus puriſſimum erga Deum amorem, & erga proximos charitatem diligunt, vene-

rantur & obſervant, cur illi non poſſunt eam appellare Dominam ſuam? etenim hoc ipſo, quo ejus virtutes amant, non poſſunt non eas in virgine venerari, non poſſunt non ſe compeſcere ab omnibus quibus iſtę virtutes violarentur. Dum ergo virginem in Deo & propter Deum amamus,ſicut in tertio tractatu explicatum eſt, tum ejus ſanctiſſimam voluntatē, quâ Deum coli & à nobis diligi concupiſcit, non poſſumus non amare; nec poſſumus illam amare, niſi illam imitari ſtudeamus. Quicumque Paulum vehementer amabant, hi eum imitandi ſtudio tenebantur; ne autem ipſum aliâ ratione imita-
1 *Cor.* 11.1. rentur quam vellet; hinc ait: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Dominus erat Paulus ſuorum diſcipulorum, quando amor, quo diligebatur, efficiebat, ut libenter facerent quidquid illi placebat. Diſcipuli Pauli erant viciſſim ejus Domini, quia illorum charitate inflammatus, non poterat non facere, quod illorum ſalus poſtulabat. Deipara dicitur Domina noſtra, quia amor & veneratio, quibus proſequimur virtutes, quibus eam excellentiſſimè ornatam credimus, nos reddunt imitatores ejus,& ad ea omnia

nia promptos, quæ ipſi, ſive Deo in illâ habitanti placita ſunt.

Ex his conficitur iſtud dominium, quod agnoſcimus in Deipara, & à quo eam Dominam noſtram ſalutamus, ab illo amore, quo Deo ſervit, ejuſque gloriam concupiſcit, vix eſſe diſtinctum: illam autem ſervitutem, qua nos illi in Deo & propter Deum ſervimus, non eſſe diſtinctam à charitate, quâ virginem ex Dei præcepto amamus: unde ſicut amor, quo virginemdiligimus, amori, quem Deo debemus, minimè præjudicat: ita nec ſervitus, quâ virgini ſervimus ut Dominæ noſtræ, ullatenus præjudicat ſervituti, quæ debetur uni Deo ac Domino noſtro. Amor virgini delatus non prejudicat amori qui Deo debetur, quia Virgo in Deo & propter Deum diligitur: ſervitus qua ſervitur Deiparæ, vel etiam aliis Sanctis ſive ſalvandis ſive ſalvatis, non præjudicat ſervituti, quæ uni Deo debetur, quia Deiparæ aliiſque Sanctis in Deo & propter Deum ſervimus. Hanc ſervitutem à nobis virgini impenſam tunc Acatholici jure reprehendent, quando jure reprehendent proximi dilectionem. Hoc eſt quando iſtud iniquum

erit, in quo Paulus plenitudinem totius
Rom: 13. 10. legis dicit eſſe comprehenſam. *Plenitudo legis*, inquit, *eſt dilectio*. Et iterum: *qui*
Ibid. 8. *diligit proximum, legem implevit.*

§. XV.

Duplex Dei regnum, nempe amoris & poteſtatis. Sancti ac præſertim Deipara conſors eſt regni amoris.

EXpediet non ſolum ad aſſerendam contra æmulos doctrinam Catholicorum agnoſcentium Deiparam, alioſque ſanctos ſuos dominos, verum etiam ad iſtius doctrinæ pulchritudinem ac ſublimitatem adverſariis oſtendendam, eamque eis reddendam amabilem, hic paucis declarare, quomodo Sancti idem cum Deo regnum ac dominium obtineant.

Dominium, quo Deus creaturis dominatur, aliud eſt amoris, aliud eſt dominium poteſtatis. Dominium amoris eſt, quo Deus nonnullis creaturis rationalibus ſuæ juſtitiæ, veritatis, ac ſapientiæ incommutabilis amorem inſpirans, eos iſto amoris vinculo ſibi alligat, ad ſua juſſa

juſſa inflectit, & ad ea, quæ ſibi ſunt placita, reddit expeditos. Hoc dominio ut Deus dominetur, orant pii Domino dicentes: *Intende proſpere, procede & regna.* Hoc dominio ſe non regi illi miſerabiliter dolent, qui ad Deum clamant: *Facti ſumus, quaſi in principio cum non dominareris noſtri, neque invocaretur nomen tuum ſuper nos.* Hoc dominio omnes probi ſe ſubditos cupiunt, dum Domino dicunt: *Adveniat regnum tuum.* De hoc loquitur Paulus, dum ait: *Gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam.* Hoc regnum ardentiſſimè deſiderat dum exclamat: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus!* Hoc regno ſe ſubdendum ſperat, iſtaque ſe ſpe conſolatur, dum poſt dictam precem & interrogationem ſibi ipſi reſpondet, dicens: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et quia Deus per iſtum amorem regnat in vivis Eccleſiæ membris; hinc ipſa in Scripturis vocatur *regnum ejus*, hoc eſt illa congregatio, iſtud corpus myſticum, quod ſpiritu amoris ejus vivificatur, dirigitur, atque agitur. Iſto autem modo per infuſum Dei amorem à Deo agi pręcipua eſt filiorum Dei pręrogativa,

Pſal. 44. 5.
Iſai. 63. 19.
Matt. 6. 10.
Rom. 5. 21.
Rom. 7. 24.
Ibid.
Matth. 13. 41.

Rom. 8. 14. gativa, juxta iſtud Pauli: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.*

In hoc regno & dominio charitatis quædam uni Deo competunt. Charitatem concupiſcentiarum victricem, ſive dulcedinem, quâ pellitur libido peccandi, & quâ ſuavia fiunt Dei mandata cordibus noſtris efficienter infundere unius & ſolius Dei eſt. Unus etiam & ſolus Deus eam charitatem in illis conſervat & conſervatam auget efficienter. Hanc auxiliatricem, victricem, & dominatricem charitatem nobis meretur unus Chriſtus. Per modum vero cauſæ impetrantis ad eam nobis obtinendam Sancti ſuis orationibus conferunt. Et quia illa victrix dulcedo, & dominans charitas nos inclinat, ut Deum non ſolum in ſeipſo amemus & veneremur, ſed etiam in Sanctis ejus, nec ſolummodo diligamus æterna virtutum lumina, dum ea lucent in veritate æterna, ſed etiam dum ſplendent in moribus ſanctorum; hinc Sancti eatenus regnant & dominantur cum Deo cordibus noſtris, quatenus propter Deum & in Deo amantur tanquam veritatis, ſapientiæ, & juſtitiæ, quæ Deus eſt, animata receptacula, ſive etiam imagines ac ſimilitudines.

Arbi-

Arbitror inter eos, qui ſe Reformatos dicunt, paucos eſſe, qui huic regno Sanctorum obloqui audeant. Ob hoc regnum ſibi conceſſum videntur mihi Sancti in Apocalypſi Chriſto gratias agere, dum dicunt: *feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Hoc regnum exiſtimo Chriſtum illis polliceri, dum ait: *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Quis thronus Dei? niſi mentes rationales, quibus per amorem dominatur. Neque enim Deo, qui ſpiritus eſt, thronus ex marmore aut ebore, aut auro propriè competere poteſt. Sedet Deus in Angelis tanquam in throno, dum ipſe per cognitionis & amoris tranquillitatem eis prȩſidet, & hinc eorum aliqui *Throni* dicuntur. Sedet Deus in hominibus tamquam in Throno, quando manſionem apud eos faciens eorum mentes à libidinum inquietudine liberat, ac beatæ ſuæ ſtabilitatis eos reddit participes. Sedet Chriſtus in illis velut in throno Patris, dum ipſe tamquam unus cum Patre Deus ab illis victrice charitate diligitur. Sedent Sancti in throno Chriſti, quando tamquam

Apoc: 5. 10.

Apoc: 3. 21.

Vide Dionyſ. de caleſti Hierar. c. 7.

quam

quam myſtica Chriſti membra in Chriſto & ob Chriſtum amantur. *D*atur *D*eiparæ ſedere in throno Chriſti, quando Chriſti virtutes in eâ ſplendentes à nobis velut vivo Chriſti throno cognoſcuntur & diliguntur, & cognitæ ac adamatæ nos movent ad virginis imitationem, eamque in filio & propter filium honorandam. Virgo itaque, ut Regina & *D*omina noſtra, ſedet in corde noſtro velut in throno, dùm virtutum ejus cognitio & amor nos excitat ad caſtitatem colendam, ſicut ipſa eam coluit; ad opes & pompas ſæculi contemnendas, ſicut eas ipſa contempſit; ad injurias patienter ferendas, ſicut eas ipſa pertulit; ad vanitatem ſui ipſius loquacem & jactatricem fugiendam, ſicut eam ipſa fugit; ad contemplationis exercitationem, ſicut eam ipſa exercuit; ad temporalia omnia parvi, & æterna magni facienda, ſicut ipſa cuncta tranſitoria parvi, & permanentia magni fecit. Si qui virginem vocent Dominam ſuam, nec eam in Deo & propter Deum diligant, iſti eam non tam laudant, quam ſeipſos mentiendo aut errando decipiunt. Hęc veritas Flandro-Belgis & Germanis facilè perſuadebitur, ſi quidem ipſi

ipſi Deiparam non abſolutè Dominam, ſed charam *D*ominam ſuam, Onſe Lieve Vrouwe/ ſalutare conſueverunt. Si ergo eam non ament, quomodo eam ſuam charam *D*ominam vere appellant? Vocemus eam *D*ominam noſtram non ex uſu loquendi, ſed ex ſtudio amandi. Tum nobis proderit & illi grata erit iſta ſalutatio. At ſi illius dilectione deſtituti eam nihilominus vocemus *D*ominam, timendum, ne offenſa inani vocis ſtrepitu illos ſuos miſericordes oculos à nobis avertat; nec Ieſum benedictum fructum ventris ſui poſt hoc exilium nobis benignum oſtendat.

§. XVI.

Amor quo Sancti defuncti celebrantur eſt poteſtas, quæ ipſis datur ſuper Civitates.

SErvi regis cœleſtis qui ab eo *mnas* ſibi creditas ſaluti proximorum fideliter impenderant, iſtaque fide ac charitate ſeipſos reddiderant amabiles, in die obitus ſui interrogati à *D*omino quantum negotiati fuiſſent, oſtendentes *mnas* ſuas felicibus ſacriſque uſuris adauctas, accipiunt *Luc. 19.*

po-

poteſtatem alii ſuper decem, alii ſuper quinque civitates. Quid eſt eos donari poteſtate aut ſuper decem, aut ſuper quinque civitates? Eos pro iſta charitate, qua velut amabili poteſtate regnaverant mortales in animis iſtorum, quos ſuæ orationis patrocinio, vitæ exemplo, & exhortatione doctrinæ Chriſto ſubdiderant, hoc obtinere defunctos, ut latius diffuſâ famâ ſanctitatis illorum à multo pluribus amentur, quam amarentur dum viverent. Hic autem amor latè diffuſus per corda fidelium in omnibus Chriſtiani Orbis Provinciis Regniſque habitantium eſt poteſtas, quam ſancti exuta mortalitate accipiunt ſuper decem vel quinque civitates.

Borromęus, Philippus Nerius, Ignatius, Xaverius, & Thereſia dum viverent in terris utentes *mnis* ſibi creditis ad ſalutem proximorum habebant poteſtatem ſuper corda illorum, qui eos audiebant, illorum virtutes amabant, & ut illas imitarentur, rapiebantur amoris affectu. Verum poſtquam in cœlum aſcenderunt, acceperunt poteſtatem ſuper decem aut quinque civitates, quia jam non in Italia, Hiſpania, Francia vel Indiarum regnis

regnis tantum celebres ſunt & amati; ſed ferè in tot regnis & provinciis, quot ſuo ambitu complectitur orbis Chriſtianus, amantur & honorantur. Ut de aliis Sanctis taceam, ſuper quot civitates & regna Thereſia nunc non exercet poteſtatem? dum innumeri utriuſque ſexus homines parvi & magni, ſubditi ac Principes, alii ejus admirantur caſtimoniam, alii obſtupeſcunt ſapientiam, alii contemplantur fortitudinem, qua ſeipſam vincens vim Deo gratam cœlis intulit: alii ſuſpiciunt invictam patientiam, qua quaſlibet calumnias pro Dei amore lubens ſuſtinuit, alii venerantur orationis ſpiritum quo cum *D*eo verſabatur. Plurimi ejus ſectantur inſtitutum relinquentes mundi gloriam, principum delicias, palatiorum ſplendorem, ut in ciliciis, ſacco, & cinere cum Thereſia voluten-tur. Et qui eam ſequi non poſſunt, ſuam accuſant ignaviam, prædicantes felicitatem alumnorum & alumnarum ejus. Dum ergo Thereſia hanc vitam reliquit, non etiam reliquit, qua in mundo regnabat, poteſtatem, ſed eam obtinuit in immenſum ampliatam.

In *D*eipara illud ſingulare, quod licet

omnium fęminarum in Scripturis foret celeberrima; licet de ipſa Serpenti, ut in pœnis ſuis Adam & Eva aliquod ſola-
Gen. 3. 15. tium acciperent, dictum fuerit: *Ipſa conteret caput tuum*; licet de illa prædi-
Iſaia 7.14. xerint Prophetæ: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & voçabitur nomen ejus Em-*
Ier: 31. 22. *manuel.* Item, *Creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Attamen cum viveret in terris ferè omnibus fuerit ignota, perinde ac filius ejùs, qui licet omnes Prophetæ ejus prædixiſſent adventum, omnes Iſraëlitæ eum expectaſſent tamquam Meſſiam & Liberatorem; tamen natus in mundo, non
Iſai. 45. 15. fuit à mundo cognitus, ſed *Deus abſconditus noviſſimus virorum*, qui in propria veniens à ſuis nec recipitur, nec reputatur. Verum ſicut Chriſtus mortuus exerit poteſtatem, quam habebat ſuper gentes & regna, & reſuſcitatus omnia trahit ad ſeipſum, ab omnibus amatur, & ut Deus Salvator adoratur; ita Deipara defuncta accipit poteſtatem non ſuper decem civitates, ſed ſuper omnes generationes, quæ eam dicunt beatam, ejus laudant fidem, extollunt humilitatis celſitudinem, ardorem charitatis, mundi

con-

contemptum, magnitudinem animi omnibus terræ bonis ac malis ſuperiorem. Nam dum omnes hæc dona Dei, hæc virtutum decora, hæc increatæ perfectionis imitamenta perfectiſſima mirantur, venerantur, collaudant & amant in virgine, ſuper illos virgo exerit poteſtatem. Sed quid poteſtas hæc? niſi amor, qui eſt in cordibus omnium generationum erga eas dotes, quibus Dei gratia Deiparæ animam exornavit, ut eſſet digna Dei Mater & exemplar omnium virtutum conſummatiſſimum.

Porro quamvis huc uſque multa diximus in commendationem regni ac dominii, quod Sancti exercent in corda noſtra; attamen tam magni ac beati ſunt hoc ipſo, quo fruuntur ſummo bono, ut per illud regnum atque dominium non creſcant, quemadmodum non creſcit Deus per ſupremum in univerſam creaturam dominium. Hinc præclare Auguſtinus loquens de Sanctis: *Illi noſtris feſtivitatibus non indigent, quia in cælis cum Angelis gaudent: congaudent autem nobis non ſi honoremus eos, ſed ſi imitemur eos. Quamquam & quod honoramus, nobis prodeſt, non illis. Sed honorare & non imitari,* *Serm. 30. inter eos quos edidit Sirmond.*

 nihil

nihil aliud eſt, quam mendaciter adulari.

§. XVII.

Exponitur quid regnum poteſtatis: & quomodo illud competit Chriſto.

HIs dictis de regno ac dominio charitatis quo Deus, Chriſtus, & Sancti regnant in cordibus ſe amantium, vertendus eſt ſermo ad regnum, & dominium poteſtatis, quo Deus cuncta, quæ creavit, gubernat, omnia ſuis locis collocat, omnibus tempora præfinit, omnium motiones regit atque determinat. De hoc regno loquitur Salvator, quando
Matt: 10. ait, ne paſſerem quidem ſine voluntate Patris cadere ſuper terram; nec aliunde
Matt: 6. fœnum agri habere ſuum virorem, quam quia Deus illud, eo, quo viret, veſtit decore. *Quod ait Salvator unum paſſerem*
Lib. 5. *de non cadere in terram ſine Dei voluntate*,
Geneſ: ad inquit Auguſtinus, *& quod fœnum agri*
lit. cap. 21. *poſt paululum mittendum in clibanum ipſe tamen veſtiat, nonne confirmat non ſolum totam iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verum etiam viliſſimas ejus abjectiſſimaſque particulas*

tulas divina providentia regi.

Hoc dominio poteſtatis regit *D*eus peccatores, quando illos non in quæcumque flagitia & facinora labi permittit, ſed in ea dumtaxat, quę ſuorum ſaluti novit profutura. Sinit ut Judęi Chriſtum odio perſequantur & odiendo occidant: verum permittit hoc crimen, ut illo utatur ad gentium ſalutem. Hinc de Judęis ait Paulus: *Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos.* Quid eſt, inquit Auguſtinus, ſecundum Euangelium quidem, inimici propter vos? *Niſi quod eorum inimicitia, qua occiderunt* „Chriſtum, „Euangelio, ſicut videmus, ſine dubio „profecit? & hoc oſtendit ex Dei diſpo„ſitione veniſſe, qui bene uti novit etiam „malis: non ut ei proſint vaſa iræ, ſed ut „ipſo illis bene utente proſint vaſis miſe„ricordiæ. Quid enim apertius dici po„tuit, quam id quod dictum eſt, ſecun„dum Euangelium inimici propter vos? „eſt ergo in malorum poteſtate peccare. „Ut autem peccando hoc vel hoc illa „malitia faciant, non eſt in eorum pote„ſtate, ſed Dei dividentis tenebras & or„dinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt „contra voluntatem *D*ei, non impleatur,

Rom. 11. 28.

Lib. de præd. SS. cap. 16.

„niſi voluntas Dei. Legimus in Actibus „Apoſtolorum, quod cum dimiſſi à Judæis Apoſtoli veniſſent ad ſuos, & indicaſſent quanta eis Sacerdotes & Seniores dixiſſent: levaverunt illi vocem unanimes omnes ad Dominum & dixerunt: *Domine tu es, qui feciſti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui per os Patris noſtri David ſancti pueri tui dixiſti: quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus. Convenerunt enim verè in Civitate iſta adverſum ſanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes & Pilatus & populus Iſrael facere quanta manus tua & conſilium prædeſtinavit fieri.* Ecce quod dictum „eſt, *ſecundum Euangelium quidem, inimici propter vos.* Tanta quippe ab inimicis „Judæis manus Dei & conſilium prędeſtinavit fieri, quanta neceſſaria fuerunt „Euangelio propter vos. Juxta hęc Auguſtini & Pauli verba omni peccato, quo in Chriſtum peccaverunt Judæi, Deus ad redemptionem generis humani uſus eſt.

Actor. 4.

Hoc dominio poteſtatis fit, ut quæ ſive ho-

homines, ſive damnati Angeli faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntas Dei. Luculenter hoc docet Gregorius, dum ait: *Dei videlicet voluntati nec illa obſiſtunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur: quia ad hoc nonnunquam permittit fieri, etiam quod non præcipit, ut per hoc illud certius impleatur quod jubet. Apoſtatæ quippe Angeli perverſa voluntas eſt; ſed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, ut ipſæ quoque eius inſidiæ, utilitati bonorum ſerviant, quos purgant, dum tentant: ſic itaque ejus anima* (nempe Dei) *quodcumque voluit, hoc fecit, ut inde quoque voluntatem ſuam impleat, unde voluntati illius repugnari videbatur.* Hæc Gregorius, qui eam vim, qua Deus cuncta penetrat & gubernat ut ſerviant intentioni ſuæ, ejus animam appellat. Quia autem Dei regnantis poteſtas utitur omnibus malis ad ſalutem electorum ſuorum, nec quidquam ab illis ſinit perpetrari, quod ad promovendam æternam iſtorum felicitatem non proficiat; hinc ſæpe dicit Auguſtinus, malos eſſe ſervos bonorum, hoc eſt, malos non eſſe ſui gratia, bonos vero eſſe in mundo ſui ipſorum „gratia. Mali ſerviunt bonis non utique obſe-

lib.16. Moral. cap.18.

Aug: ſrm: 78. de temp.

„obſequendo, ſed perſequendo. Quo-
„modo ergo mali ſerviunt bonis? quo-
„modo perſecutores martyribus? quo-
„modo limæ vel mallei auro; quomodo
„molæ ſerviunt tritico; quomodo pani-
„bus coquendis furnalia ut illi coquan-
„tur, illi conſumantur. Quomodo in-
„quam mali ſerviunt? quomodo in for-
„nace aurificis palea ſervit auro, ubi ſine
„dubio palea conſumitur, aurum proba-
„tur. Non ergo glorientur, nec ſe ex-
„tollant mali, quando bonis aliquas tri-
„bulationes immiſerint: quia cum illos
„perſequuntur in corpore, ſe occidere
„probantur in mente. Ut ad virum bo-
„num perveniat hominis mali adverſitas,
„jam illius animam putrefacit iniquitas.

Hoc regnum poteſtatis, quatenus illo omnia diriguntur ad ſalutem Electorum, competit quoque Chriſto; primum quidem quoniam ipſe Redemptor noſter fuit, atque à peccatis nos liberavit, jure hanc poteſtatem accepit, ut verè Dominus noſter eſſet ac diceretur, ita enim Apoſtolus: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper om-* *Philip. 2. 8.*

ne nomen : ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum : & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Atque ipſe de ſe poſt reſurrectionem: *data eſt*, inquit, *mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* De hac poteſtate Chriſto data loquitur Daniel dum ait: *Ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit; & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpitur.* Hanc poteſtatem tradit Pater Filio, dum illi dicit: *ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Subjiciuntur inimici pedibus Chriſti, dum non ſinuntur Electos plus impugnare, quam „Electorum ſaluti convenit. Inimici e„nim omnes Eccleſiæ quolibet errore „cæcentur, vel malitia depraventur, ſi „accipiunt poteſtatem corporaliter affli„gendi, exercent ejus patientiam; ſi tan„tummodo malè ſentiendo adverſantur, „exercent ejus ſapientiam: ut autem i-

Mat.:28. 18

Dan: 7.13.

Pſal:109.

Auguſt:lib: 18.de Civitate Dei cap.51.

„inimici diligantur, exercent ejus bene-
„volentiam, aut etiam beneficentiam,
„ſive ſuaſibili doctrina cũ eis agatur, ſive
„terribili diſciplina. Ac per hoc diabo-
„lus princeps impiæ civitatis adverſus pe-
„regrinantem in hoc mundo civitatem
„Dei vaſa propria commovendo, nihil ei
„nocere permittitur. Hæc Auguſtinus,
qui ea hauſerat à Paulo, qui hæc de *D*eo
1 *Cor:* 10. 13. dicit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum.* Inimici Chriſto omnimodo ſubjicientur finito mundi curſu, quia tunc non amplius ſinentur electos impugnare, ſed inferno incluſi luent meritas ſuæ hoſtilitatis pœnas. Quæ de amoris & poteſtatis regno diximus, probant Chriſtum bonorum & malorum Regem eſſe ac Dominum, illos voluntate, iſtos invita neceſſitate ei eſſe ſubjectos, illos ſerviendo eſſe liberos, quia præceptum qui lubentes faciunt liberi faciunt; iſtos ſerviendo eſſe ſervos; quia voluntati *D*ei non lubentes, ſed inviti & neſcientes ſerviunt: denique Chriſtum ut regem ſuam in bonos & malos exerere poteſtatem, dum illos adjuvat & liberat, hos debellat & evertit, & dum efficit,
ut

ut illis omnia cedant in gloriam, iſtis omnia cedant ad pœnam. Quemadmodum hoc utrumque regnum amoris & poteſtatis à ſuo Patre Chriſtus accepit; ita hoc utrumque regnum à Chriſto accipiunt electi, quando poſt devictam carnem, mundum, & diabolum triumphaturi cœlos conſcendunt.

§. XVIII.

Oſtenditur Deiparæ ac Sanctis competere regnum poteſtatis, nec ſequi quod omnia Sanctorum miracula & apparitiones rejicienda ſint, quia aliqua falſa circumferuntur.

EXpoſuimus ſupra quomodo regnum amoris à Chriſto acceperint; ſupereſt ut declaremus quomodo acceperint ab eo regnum poteſtatis.

Chriſtus Dominus hoc poteſtatis regnum electis ſuis apud Euangeliſtam promittens, ait: *In regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Et iterum dum ait in Apocalypſi: *Qui vicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi*

Matt:19. 28.

Cap. 2. 26.

illi poteſtatm ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur. Hanc poteſtatem exercent Sancti, dum ſuis orationibus efficiunt, ut mali ſerviant bonis,ut horum perſecutionibus creſcat Eccleſia, & illorum iniquitate bonorum virtus illuſtretur. Hanc exercent poteſtatem,dum laudant Deum ita utentem malis, ut per eos licet invitos electorum virtus perficiatur. Hanc poteſtatem exercent Sancti, *quando*, ut loquitur Auguſtinus, *opitulantur iis, quos per eos certum eſt adjuvari.* Tandem hanc poteſtatem exercent, quando non ſolum beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum aſpectibus apparent ad tutandum bonos,& terrendum malos. Quemadmodum apparuiſſeFelicem confeſſorem civibus vel inquilinis piè à ſe dilectis, cum à Barbaris Nola oppugnaretur, *audivimus non incertis*, inquit Auguſtinus, *rumoribus, ſed teſtibus certis.*

De cura pro mortuis cap. 16.

Quin Deipara hoc regno poteſtatis fuerit donata, nulli, qui eam credit & carnem & mundum & diabolum viciſſe, dubium eſſe poteſt. Eo uſa fuit dum apparens Gregorio Thaumaturgo, qui floruit ferè initio tertii ſæculi, illum docuit

per

per Joannem Euangeliſtam perfectam fidem Trinitatis; quemadmodum teſtatur non qualiſcumque auctor, verum Gregorius Nyſſenus Baſilii magni Germanus, eruditione non minus quam ſanctitate clariſſimus. Hac poteſtate Narſeti pro Juſtiniano Imperatore Anno Chriſti 553. exercitum ducenti aſtitit; eumque conflicturum cum immani Totila, ut teſtatur Evagrius, dato cœlitus ſigno admonuit, quo tempore feliciter cum hoſte congrederetur. Hac poteſtate Conſtantinopolim, quam Anno 717. Maſalma Saracenorum Princeps longa obſidione ferè ad deditionem coegerat, evidenti periculo liberavit. Teſtatur hoc Gregorius Papa ſecundus, teſtatur Theophanes addens non hoc tantum, ſed fere ſemper, cum magnum aliquid à Deo conſecutus eſt populus Conſtantinopolitanus, id precibus ſanctiſſimę Dei Genitricis fuiſſe acceptum, non ob aliam cauſam, quam quod celeberrimus illic eſſet ejuſdem cultus.

In Orat. de Gregor. Thaumat.

Evagrius l. 4. Hiſtor. Eccl. c. 23.

Gregor. Papa II. Epiſt. 24.

Anno 718. Gregorius Aſturum Rex ope & interceſſione Deiparæ validiſſimum Saracenorum exercitum octoginta millium militum vicit in acie, occiſis cum

Vide Baron anno Chriſti 718 no. 6.

eorum

eorum duce viginti millibus, cæteris autem in fugam dilapſis, aut inundationes aquarum, aut montium prerupta necem attulerunt.

His aliiſque exemplis probatur in Maria completam fuiſſe illam Chriſti promiſſionem: *qui vicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.*

Apoc. 2. 26.

Rivetus ſilet illa, quæ ex *Gregorio Nyſſeno*, *Evagrio*, *Theophane*, & *Gregorio ſecundo* Pontifice Romano retulimus, ut Catholicos majori audacia irrideat, tanquam qui Mariam ex Dei Matre Bellonam efficiant. Paribus ſarcaſmis, ei ſi libitum fuerit, poterit eos omnes irridere, qui angelos credunt in bellis populo Dei auxilio, ejus vero hoſtibus terrori non ſemel fuiſſe. Eadem ridendi prurigine ſubſannet auctorem ſecundi libri Machabæorum, qui ait Jeremiam inſomnis Judæ Machabæo dediſſe gladium aureum atque dixiſſe: *accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſrael.*

Lib. 2. cap. 15. 16.

Rideat quoque Auguſtinum, qui credidit

didit Felicem confeſſorem obſidentibus Nolam Barbaris terrorem incuſſiſſe, & civibus ſive inquilinis piè à ſe dilectis animos addidiſſe, cum illorum aſpectibus appareret. Non defunctos Dei amicos (*Rivete*) in falſa numina vertimus, quando ſacris inſtructi oraculis eos dicimus à Chriſto *accepiſſe poteſtatem ſuper gentes, ut regant eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli gentes confringantur.* Ut Deus non ſit nobis gentilium Jupiter, quia eum credimus ſuperbos Gigantes diluvio ſepeliiſſe; & ut Chriſtus non ſit nobis Saturnus, quando eum credimus regem ſæculorum: ita nec ſancti fiunt nobis Mars aut Bellona, dum illam in eis poteſtatem reveremur, qua regunt gentes in virga ferrea, & qua tamquam vaſa figuli illi confringuntur. Paganicæ cæcitatis eſt ea, quæ Dei ſunt, Jovi, Saturno, Marti, & Bellonę, non numinibus ſed criminum monſtris tribuere. Chriſtianæ eruditionis eſt, malè illis attributa Deo vero vendicare, eaque in illius ſanctis agnoſcere, quibus ille eos noſcitur donaſſe. Si inſtet *Rivetus*, aliusve adverſarius, & velit, ut exponam, quomodo Deipara, aliive ſancti adſint illis, quibus

bus ſæpe diverſis, & eodem tempore à Catholicis dicuntur eſſe auxilio; an ſcilicet illis adſint per naturam propriam, an ſolummodo per Dei potentiam, an etiam per angelica miniſteria, non verebor illi cum Auguſtino reſpondere:

De cura pro mortuis cap. 16.

„*Quamquam*, inquit, *iſta quæſtio* vires „intelligentiæ meæ vincat, quemadmo„dum opitulentur martyres iis quos per „eos certum eſt adjuvari? utrum ipſi „per ſeipſos adſint uno tempore tam di„verſis locis, & tanta inter ſe longitudi„ne diſcretis, ſive ubi ſunt eorum me„moriæ, ſive præter ſuas memorias ubi„cumque adeſſe ſentiuntur: an ipſis in „loco ſuis meritis congruo ab omnium „mortalium converſatione remotis, & „tamen generaliter orantibus pro indi„gentia ſupplicantium, ſicut nos oramus „pro mortuis, quibus utique non præ„ſentamur, nec ubi ſint, nec quid a„gant ſcimus, Deus omnipotens, qui „eſt ubique præſens, nec concretus no„bis, nec remotus à nobis, exaudiens „martyrum preces per angelica miniſte„ria uſque quoque diffuſa, præbeat ho„minibus iſta ſolatia, quibus in hujus „vitæ miſeria judicat eſſe præbenda: & „ſuorum

„ſuorum merita Martyrum ubi vult, „quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc „novit expedire nobis ad ędificandam „fidem Chriſti, pro cujus illi confeſſione „ſunt paſſi, mirabili atque ineffabili po„teſtate commendet. Res hæc altior eſt, „quam ut à me poſſit attingi, & àbſtru„ſior, quam ut à me valeat perſcrutari: „& ideo quid horum duorum ſit, an ve„ro fortaſſis utrumque ſit, ut aliquando „iſta fiant per ipſam præſentiam marty„rum, aliquando per angelos ſuſcipien„tes perſonam martyrum, definire non „audeo, mallem à ſcientibus iſta per„quirere. Hæc cum Auguſtino profiteor, in cujus verbis velim advertant adverſarii. 1. Ipſum aſſerere certum eſſe aliquos per martyres adjuvari. 2. *D*eum hominibus in hujus vitæ miſeria conſtitutis per martyres præbere ſolatia, ut mirabili atque ineffabili poteſtate ſuorum nobis martyrum merita commendet. 3. Hoc expedire ad ædificandam fidem Chriſti, pro cujus confeſſione paſſi ſunt. Eſt autem ad ędificationem fidei, quod per invocationem Sanctorum varia hominibus ſolatia concedantur. Etenim

per hoc probatur, eos apud *D*eum eſſe in gloria, illamque ipſi placere fidem, quâ ſancti, dum viverent in terris, ei placuerunt. *D*einde per iſta ſolatia miraque opera, quæ *D*eus in illis operatur qui ſanctos invocant, non minus probatur, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, & eſſe omnipotentem, quam illud probetur per ea miracula, quæ in nomine Jeſu patrarunt Apoſtoli dum vivebant hic mortales. Videndus hac de re Chryſoſtomus Tomo quinto, ubi ex miraculis per reliquias Babylę in *D*aphnitide prope Antiochiam ſub Apoſtata Juliano patratis ad ſummam gentilium, ipſiusque Juliani confuſionem, & ad maximam Chriſtianorum in fide ædificationem ac ſolatium, clariſſime probat, Chriſtum eſſe *D*eum. Unde etiam librum, quem de vita Babylæ compoſuit, inſcripſit hoc titulo *quod Chriſtus ſit Deus.* Rogo illos qui hæc legent, laudatum Chryſoſtomi librum evolvant, tum quia efficaciſſima argumentandi ratione ex miraculis per ſacra Babylæ Lipſana editis divinitatem Chriſti, & Chriſtianæ Religionis probat veritatem: tum quia oſtendit quam immenſo intervallo diſtet

fides

fides primorum Chriſtianorum à fide adverſariorum, qui illud idololatriæ & ſuperſtitionis accuſant, quod iſti crediderunt ad illam evertendam & ſtabiliendam in Chriſtum fidem eſſe maximè opportunum. Iſtos Chryſoſtomi ſenſus cum ſuis ſenſibus componant adverſarii, & videbunt quam temere Catholicam accuſent Eccleſiam, & quam parum in Dei rebus ſapiant.

Quæ hucuſque tractavimus, ſufficient ingeniis non omnino pervicacibus, ut credant Deiparam, alioſve ſanctos non immerito, Reginam & Dominam, vel Reges & Dominos vocari, illoſque cum Chriſto regnare tum in regno charitatis, tum etiam in regno poteſtatis. Neque enim vereor eos elevaturos quod ex ſcriptura ſanctis aſſeruimus, & quod declaravimus apparitionibus & miraculis, quæ ex libro Machabæorum, ex Nyſſeno, ex Auguſtino, ex Evagrio, ex Theophane, ex Gregorio II. & ex Tudenſi protuli, ut declarem ſanctos in regno poteſtatis regnare cum Chriſto.

Scio quidem omnes narrationes de ſanctorum apparitionibus, ſolatiis, & auxiliis, quibus ſe invocantes adjuviſſe,

& eorum æmulos proſtraviſſe dicuntur, à ſciolis rejici ea de cauſa, quod multæ falſę iſtiuſmodi narrationes circumferantur. Verum ex eo quod multæ falſæ circumferantur, potius concludendum foret, eſſe aliquas veras Sanctorum apparitiones, eſſe aliqua vera miracula, & non omnia eſſe ficta auxilia, quæ per ſanctos hominibus perhibentur eſſe conceſſa. Nemo morborum remedia promittendo ęgros deciperet, niſi certum foret eſſe aliquam artem, quę morbis revera medetur. Etenim ſi nulla eſſent vera medicamenta, falſis fucus deeſſet ſine quo decipere non poſſent. Clemens ſervus Agrippæ poſthumi non ſe Agrippam fuiſſet mentitus, nec plebi impoſuiſſet, niſi aliquando fuiſſet verus Agrippa poſthumus ſub cujus ſpecie Tiberio imperium eripere, & ſibi ipſi ſtudebat uſurpare. Sæculo præcedenti neſcio quis lapicida perſonam induens Sebaſtiani Luſitaniæ Regis, qui in bello contra Maroci & Feſſæ Regem Abdelmelechum miſerè perierat, nullos Luſitanos decipere potuiſſet, niſi extitiſſet aliquando Sebaſtianus. Unde etiam illi ineptiſſimi ſunt, qui nullam putant eſſe veram religio-

Tacit: lib. 2 annal. n. 39.

ligionem quia tot falſæ hominibus imponunt. Nemo decipit niſi ſpecie veri. Si itaque nulla foret vera Religio, veræ ſimilis nulla exiſteret, & ſi nulla eſſet veriſimilis, nulla fidem inveniret. Quare ut apparitiones & miracula rejicias, quę protulimus ad aſſerendum ſanctorum ac præſertim Deiparæ Regnum poteſtatis: non ſufficit quod dicas falſa miracula, & apparitionum figmenta multa circumferri. Et ut peſſimè fueris argumentatus, ſi concludas nullam eſſe veram Religionem, quia multæ ſunt falſæ; ita imperitum te in ratiocinando exhibes, ſi ſtatuas nulla eſſe vera miracula, nullas veras apparitiones, quia falſa quam plurima venditantur.

§. XIX.

Adverſarii negant Deiparam rectè vocari Dominam, quia non advertunt quo ſenſu Domina vocatur. Argumenta quæ profert Rivetus contra S. Bernardinum non officiunt dominio, quod ſuæ Matri ita tribuit Chriſtus, ut illud ei tribuendo amittat nullatenus.

DUm hęc expendo, vix poſſum comprehendere, quid adverſarios moretur, quo minus Deiparam rectè à Catholicis Dominam nuncupari agnoſcant, niſi fortè ideo non agnoſcant, quia unus aut alter Catholicus ſcriptor eam à tali dominio Dominam appellat, quale ei minime competit, & quale nec rationum robore, nec ſcripturarum oraculis, nec traditionis auctoritate aſſeri poteſt. Tales ſcriptores eorumque paradoxa *Rivetus*, aliique ejus ſymmyſtæ ſtudioſè conquirunt, ut ex illis cultui, quo Catholici Sanctos ac præſertim Deiparam meritò colunt, conflent invidiam. Audiamus Rivetum.

Capite 3. lib. 2. Apologiæ pro ſanctiſſima Virgine Maria ita loquitur. Exemplo promiſſionis Aſſueri ad Heſterem (addere poſſumus Herodis ad Herodiadem) videbantur contenti aſſignaſſe B. Virgini Regni Domini noſtri Jeſu Chriſti, *dimidiam*, eamque benigniorem partem, & quæ homines magis verſus eam inclinaret. Sed ulterius procedunt, & de univerſo regno Patris cæleſtis, id eſt, de regno naturę & gratiæ, contendunt, illud etiam B. Virgini

„Virgini deberi, non ſolum ex promiſ-
„ſione divina, ſed neceſſario & jure ſuo,
„ita ut aliter fieri non potuerit, quin eſ-
„ſet totius mundi Princeps & Domina,
„etiam antequam cęlo reciperetur. Hanc
„doctrinam pluribus aſſerit Bernardi-
„nus de Buſtis, qui primum hoc ponit
„fundamentum, *tot Creaturas ſervire* *Bernardinus de Buſtis ex Bernardino ſenenſi Mariali lib. 12 ſerm: 2. de coronat. Mariæ.*
„*glorioſæ Mariæ Virgini, quot ſerviunt*
„*Trinitati. Omnes nempe creaturæ quem-*
„*cumque gradum teneant: in creaturis ſi-*
„*ve ſint ſpirituales ut angeli, ſive rationa-*
„*les ut homines; ſive corporales ut corpora*
„*cæleſtia & elementa; & omnia quæ ſunt*
„*in Cælo & in terra, ſive damnati ſive*
„*beati, quæ omnia ſunt divino imperio ſub-*
„*jugata, glorioſæ Virgini ſunt ſubjecta.*
„Quę citat ex Bernardino ſenenſi, in
„ſanctorum Catalogum relato, cujus e-
„tiam ſunt quæ ſequuntur. *Lege ſucceſſi-*
„*onis, & hæreditario jure totius Univerſi*
„*debetur B. Virgini primatus & regnum.*
„*Tanta etiam fuit perfectionis, quod eti-*
„*amſi non fuiſſet Mater Dei, non minus*
„*debuiſſet eſſe Domina mundi. Tamen ſe-*
„*cundum leges quibus mundus regitur, jure*
„*hæreditario omnem hujus mundi prome-*
„*ruit Principatum & Regnum, quia filius*

„ejus in primo inſtanti ſuæ conceptionis, „monarchiam promeruit & obtinuit Univerſi. Ex jure conceptionis ergo filii Dei, „Virgini incumbebat totum illud procurare, „& adminiſtrare, quod ex tunc filio datum eſt, uſque ad ætatem legitimam filii „ſui, ſicut ipſius diligens nutrix & tutrix, „ſecundum quod volunt jura. Nec tamen „mirum eſt, ſi tam generoſa Regina ad„miniſtrandi orbem curam omiſerit. Pri„mo quia fæmina. Secundo quia puella. „Tertio quia Virgo verecunda. Quarto „quia paupercula. Quinto quia curæ filii „Dei & ſuæ tota erat dedicata. Sexto „quia non credebatur Mater Dei, nec re„cipiebatur ut mundi Domina, ſicut nec fi„lius ejus, qui vitam totius orbis & mo„res ordinabat, & tamen non eſt ut Deus „agnitus, nec ut orbis rex & hæres recep„tus. Sciens igitur Mater in filio vim la„tentis Divinitatis, curam adminiſtrandi „rempublicam dereliquit. At ubi honeſtè „poterat, pro poſſe exequebatur. Sic pa„tet Ioan. 2. quod in reipublicæ ſolatium „& augmentum vinum in nuptiis poſtula„vit. Ac dolens quærebat filium, ne mun„dus perdidiſſet Dominum.

„Quinimo cum filius ejus unicus morere-

„tur

„*tur in cruce, cum nec ullum habuiſſet in*
„*terris qui de iure ſuccederet ei, Mater e-*
„*jus ſecundum omnia jura ſucceſſit, ac per*
„*hoc principatum omnium acquiſivit. Suc-*
„*ceſſionem autem hanc nuſquam legimus*
„*revocatam. Sed divino munere operante,*
„*& gratia Virginis impetrante, cernimus*
„*expreſſius elucidari quotidie, dum eam*
„*Dominam & Reginam omnium prædica-*
„*mus. De monarchia autem Univerſi,*
„*nunquam Chriſtus teſtatus eſt, eo quod*
„*ſine Matris præjudicio nequaquam poterat*
„*fieri. Inſuper noverat, quod poteſt Ma-*
„*ter irritare filii teſtamentum, ſi in ſui præ-*
„*judicium ſit confectum. Item, poteſt ac-*
„*cuſare ut inofficioſum. Sequitur autem*
„*prædictus Sanctus concludens & dicens:*
„*Ex his omnibus apertiſſimè claret, quod*
„*Mater Ieſu Maria hæreditario jure, om-*
„*nium, quæ infra Deum, habet regale domi-*
„*nium.* Hæc verba cum ex Bernardino de Buſtis & Senenſi Rivetus citaſſet; ſtomachabundus ita aggreditur eorum refutationem. „Ad quæ, inquit, non tam „opus eſt refutatione, quam deteſtatio-„ne; & in quibus *apertiſſimè claret*, qui-„bus tenebris fuerunt involuti falſi no-„minis Sancti, quos pingunt facie radi-

„ante & micante. Quid enim magis in-
„ſulſum aut blaſphemum dici poteſt?
„legibus humanis ſubjiciunt ipſum De-
„um: in divinis leges ſucceſſionis præfi-
„gunt: Chriſtum in conceptionis mo-
„mento mundi regnum meruiſſe, meri-
„tum non poſſe locum habere ubi non
„ſit ratio plena & voluntas libera; tamen
„eum, qui ita meruit, non potuiſſe reg-
„num acquiſitum adminiſtrare ob ætatis
„defectum. Additur poſtea contradictio,
„potuiſſe *quia Deus*; & Mariam quæ hoc
„noſſet, hanc adminiſtrationem deſeru-
„iſſe. Deinde, quam ineptum, ad re-
„giam auctoritatem & adminiſtrationem
„referre, quod de vino deficiente in nu-
„ptiis monuit. An ibi Chriſtus egit cum
„ea ut cum mundi Regina? Nonne
„etiam inſani capitis eſt, ex eo inferre
„totius mundi dominium, quod Maria
„dolens quærebat Chriſtum? Si totius
„mundi dominatio ei fuiſſet commiſſa,
„non ignoraſſet filium fuiſſe in templo
„docentem. Sed quid dicam, quod ei
„qui in morte ipſa vivebat, cujus ut ſa-
„cerdotio, ſic & regno nemo ſuccedit,
„quia æternus eſt Rex & Sacerdos, hære-
„dem aſſignat, quæ & ipſa mortua eſt.
„Quis

„Quis ergo hęres Virginis fuit in morte?
„At reſurrexit, & id adhuc incertum eſt.
„Sed certum eſt reſurrexiſſe Chriſtum,
„& nunquam in pręcipua ſui parte mor-
„tuum fuiſſe: cui dum ſuccedi volunt in
„regno mundi, eum adhuc ſub morte
„detinent. Sed nuſquam deliriorum &
„blaſphemiarum finis. Quis enim pa-
„tienter hoc audiet, B. Virginem po-
„tuiſſe *Chriſti teſtamentum irritum facere*,
„potuiſſe *tanquam inofficioſum accuſare*,
„ſi eam non conſtituiſſet mundi Domi-
„nam. Apage tales Sanctos, qui in San-
„ctum Dei tam horribiliter ſunt blaſphe-
„mi.

Ex his Riveti verbis apertum eſt, ipſum non illud regnum & dominium, quod Deiparæ aliiſque Sanctis tribuimus, nec etiam illa impugnare argumenta, quibus perſuaſi dominium iſtud illis attribuimus. Sed eum illud dumtaxat impugnare, quod temporalibus legibus ſubditum eſt. At Catholica Eccleſia veneratur in Sanctis dominium quod hoc ipſo eis competit, quo victrice charitate ſuo ſerviunt Creatori. Rivetus igitur illud ſolummodo dominium ſtudet evertere, quod Chriſtus moriens Matri traditum

traditum amiſiſſet. In Sanctis vero ac præſertim Deipara non aliud Eccleſia dominium veneratur, quam quod Chriſtus Matri ſuæ, aliiſque Sanctis tradens tam non amittit, quam illud non amiſit Pater æternus, quando filio omnia tradidit in manus; juxta illa verba Chriſti: *Omnia*
Matt: 11. 27. *mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et juxta illud Euangeliſtæ Joannis: & *omnia de-*
Joan: 3.35. *dit in manus ejus.* Et quam Chriſtus illud non amittet quando devictis hoſtibus, & finito mundi curſu, illud reddet Deo & Patri, à quo illud accepit; juxta illa Pauli verba: *Cum tradiderit regnum Deo &*
1 Cor: 15. 24. *Patri.* Et quam illud Sancti non amittunt, quando procidentes *ante ſedentem*
Apoc: 4. 10. 11. *in throno, & adorantes viventem in ſæcula ſæculorum; mittunt coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Dat Pater Chriſto, dat Chriſtus ſuis dilectis regnum & dominium; quando Pater Chriſtum ſuum, & Chriſtus electos ſuos ad ſui regni, quod tam amittere non poſſunt, quam ſe negare non poſſunt, conſortium aſſumunt. Tradit

Chriſtus

Chriſtus Patri, tradunt electi Chriſto regnum & poteſtatem, quando Chriſtus Patri, & electi Chriſto accepta referunt, cuncta quæ in ipſis ſunt laude digna, profitentes coram angelis, & hominibus nihil in ſe eſſe, quod non à Deo acceperint, & cujus ipſe non ſit principium & finis. *Illa itaque traditio regni*, qua Pater Chriſto, & Chriſtus electis regnum tradunt, & qua viciſſim Chriſtus Patri, & electi Chriſto regnum reddunt, *non eſt*, ut fere alicubi Hilarius, defectio intelligenda regnandi ſed aut regni communicatio, & ob regni, communicationem actio gratiarum. Quod Pater tradit Chriſto, Patri integrum manet, quod Chriſtus tradit electis, Chriſtus retinet ſibi totum. Quod electi Chriſto tradunt, illud à ſe minimè alienant. Si dubites quomodo hoc fieri poſſit, illud diſces, ſi advertas Doctorem ſuam ſcientiam ad diſcipulos propagare ſine ullo ſuæ ſcientiæ detrimento. Sublimis illa & ſacra poteſtas, quæ à Patre Chriſto, & à Chriſto electis traditur, ea fere ratione traditur, qua ſcientia à Magiſtro diſcipulis traditur. Et ut diſcipuli ſuam ſcientiam iterum tradunt Magiſtris, dum ob

Hilar. lib. 11. de Trinitate.

ob datam ſibi doctrinam gratias referunt; ita Chriſtum Patri, & viciſſim electos Chriſto regnum tradere, nihil aliud eſt, quam à Chriſto Patri, & ab electis Chriſto ob conceſſam regni poteſtatem gratias referri.

Qui ergo ex una parte argumenta Riveti; & ex altera Dominium & Regnum, quod in Deipara, aliiſque ſanctis laudavimus, animo tranquillo attenderit, videbit illud à Riveti inſultibus manſiſſe intactum.

§. XX.

Opinio S. Bernardini ab atroci cenſura, qua illam Rivetus perſtringit, vindicatur. Sanctitas non in ſcientia, ſed in charitate collocata eſt.

QUamvis verba S. Bernardini defendenda non ſuſcipiam; non tamen vereor aſſerere, ea non mereri adeo atroci cenſura percelli, ac ea Rivetus percellit. Hoc ut conſtet attendendum, quod definierit Joannes vigeſimus ſecundus, Chriſtum, ejuſque Apoſtolos habuiſſe

buiſſe verum dominium illarum rerum, quibus ad victum & amictum uſi ſunt; ſi autem quis diceret hoc vulgare dominium, quod ex definitione laudati Pontificis; Chriſtus habebat tum in cibos quibus veſcebatur, tum in veſtes, quibus tegebatur, humanis legibus fuiſſe obnoxium; ideòne cenſendus foret in Deum horribiliter blaſphemus? Arbitror modeſta ingenia à tam atroci cenſura eum, qui iſtud ſentiret, immunem pronunciatura. Liceat nunc magna componere parvis. Sentiat quis Chriſtum habuiſſe mundanum in regna mundi dominium, illudque legibus civilibus attemperatum, quamvis illo uti noluiſſet, quęnam foret in iſta opinione horribilis blaſphemia? errorem in illa facile agnovero, blaſphemiam non agnoverò. Agnoſco dictam opinionem eſſe erroneam, quia Chriſtus dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & iterum: *Quis me conſtituit judicem & diviſorem inter vos?* Et *ſi fuiſſet temporalis Dominus*, inquit graviſſimus Theologus Guilhelmus Eſtius, *debuiſſet illa poteſtate uſus eſſe aliquando, & conſtituiſſe & reliquiſſe in ea ſibi vicarium; ſicut fecit in poteſtate ſpirituali. Et deberent*

Ioan. 18. 36.
Luc. 12. 14.
In cap. 28. *Matth.*

deberent omnes legitimi Reges & Principes etiam infideles vocari Vicarii Chriſti; ſicut vocatur Petri ſucceſſor, & quilibet ſacerdos utens abſolvendi poteſtate. Ob has aliaſque rationes iſtos errare credo, qui putant Chriſtum fuiſſe temporalem mundi Dominum. Verum declarare eos horribiliter blasphemos, cæcutientis foret temeritatis, aut maligni livoris.

Poſtquam Rivetus retulit verba Sancti Bernardini Senenſis, ait, ut illi famam ſanctitatis eripiat, in ejus verbis *apertiſſimè clarere, quibus tenebris fuerunt involuti falſi nominis Sancti, quos pingunt facie radiante & micante.* Verum velim advertat Rivetus, ſanctimoniam non in ſcientiis, ſed in moribus eſſe repoſitam. Sine ſanctitatis detrimento ignorantur mathematicę diſciplinæ, ars corporibus medendi, Phyſicæ & Logicę eruditiones. In ipſa Theologia plurima ſunt, quæ ſive ſcias, ſive ignores ad cordis puritatem, & morum integritatem parum aut nihil per ſe conferunt. Ignores quo anni tempore, Vere, an Autumno mundus ſit conditus; quibus ſub conſulibus natus ſit Chriſtus. Quot annos vixerit: hiſtoria ſit an parabola quæ nar-

narrantur de Lazaro & Epulone: plures fuerint an una duntaxat Maria, quæ unxerit pedes Chriſti. Utrum Sacramenta producant gratiam phyſicè, an vero ſolum moraliter. An Unio Hypoſtatica ſit modus ab utroque termino diſtinctus. Non idcirco minor erit morum ſanctimonia. Quemadmodum hęc & plura ſimilia ad Theologiam ſpectantia ſine detrimento ſanctimoniæ posſunt ignorari; ita potuit Bernardinus ignoraſſe aliqua & etiam erraſſe humanæ mentis infirmitate in aliquibus, quæ ſpectant dominium Chriſti, & fuiſſe nihilominus mundo corde.

Etenim cordis munditics conſiſtit in caſto amore, quo æterna juſtitia & ſapientia Deus noſter diligitur. Æternam illam juſtitiam & ſapientiam morum directricem Bernardinus dilexit, & is amor eum reddidit ſanctum. *Mores autem noſtri*, inquit Auguſtinus, *non ex eo quod quiſque novit, ſed ex eo quod quiſque diligit, dijudicari ſolent. Nec faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.* Ex his amoribus potius dijudicare debuisſet Rivetus mores & ſanctimoniam Bernardini, quam ex eo quod Epla. 52.

G ſcripſit

ſcripſit de Dominio Chriſti aut Deiparę. dum ait: *De monarchia autem univerſi nunquam Chriſtus teſtatus eſt, eo quod ſine matris præjudicio nequaquam poterat fieri. Inſuper noverat, quod poteſt mater irritare filii teſtamentum, ſi in ſui præjudicium ſit confectum.* Item *poteſt accuſare ut inofficioſum.*

§. XXI.

Ex elogiis, quæ Adverſarii Luthero tribuunt, quamvis illum craſſis erroribus involutum agnoſcant, capere poterunt, Bernardinum poſſe eſſe Sanctum & tamen in nonnullis erraſſe.

POrro ſi quis Adverſariorum necdum capere poſſit, quomodo Bernardinus potuerit errare, non ſat dignè loquens de Dominio Chriſti, & Mariæ, & nihilominus eſſe Sanctus: diſcat illud exemplo Lutheri, quem Tigurini, & ei ferè omnes, qui à Calvino nomen habent, exiſtimant fuiſſe *magnum ſervum Dei*; licet ejus doctrina de reali præſentia Corporis Chriſti ea omnia comprehendat, quæ ipſi in doctrina Catholicorum

corum clamant eſſe abominanda. Imo ipſum credunt eſſe *eximium Dei ſervum*, licet ipſe eos, qui ſe Reformatos dicunt, vocet *factionem bilinguem*, *diabolicè in verbis Chriſti ludentem*, *hæreticos fanaticos*, *imo Archidiabolos*, *quos ſi Marchio Brandenburgicus intra ditionis ſuæ limites ſerpere pateretur*, *conſcientiam ſuam immani ſcelere aggravaret*. Si Lutherus prætenſè Reformatis, *eſt eximius Dei ſervus*, *cujus opera*, *Deus multos & eximios fructus protulit in univerſo orbe terrarum*; quantumvis circa Euchariſtiam eum craſſiſſimè erraſſe, & Dei ſponſam, nempe Reformatam Eccleſiam turpiſſimè inhonoraſſe, non poſſint non fateri: velim eâdem menſurâ metiantur Bernardinum, & non erit captu difficile quod Bernardinus ſit ſanctus, & mereatur facie radiante & micante pingi, quamvis circa Dominium Chriſti nonnihil erraverit. Hæc dicta ſunto ad vindicandam ab impugnatione Riveti ſanctimoniam Bernardini. Notandum etiam quod immerito Rivetus S. Bernardino affingat contradictoria, quaſi docuiſſet Chriſtum in primo inſtanti conceptionis meruiſſe & non meruiſſe *Do-*

Vide Hoſpinia. hiſt. Sacrament. parte altera pag. 127. & 128.

minium mundi: non meruiſſe, quia deerat ratio plena & libera voluntas; meruiſſe autem, quia Deus. Etenim nunquam hoc ſenſit Bernardinus, quod Chriſtus infantulus non habuerit uſum rationis. Nihil in citatis verbis Bernardini continetur, quod iſtum inſinuet errorem. Dicit quidem quod Chriſtus infantulus ab adminiſtratione mundanæ monarchiæ uſque ad legitimam ætatem ſe continuerit; & quod interea Virgini incumberet univerſum, orbem procurare. Verum non dicit Bernardinus illud Virgini incubuiſſe, quia Chriſtus erat uſu rationis deſtitutus. Solummodo innuit, Jeſum infantulum non decuiſſe mundi adminiſtrationem, non quia deerat regnandi ſcientia, ſed quia deerat ætas legitima. Hoc annotandum duxi ut pateat, Bernardinum à Riveto non amore veritatis, ſed ſtudio malignitatis impugnari.

§. XXII.

Horret Eccleſia illos, qui iſtis verbis Domina Domina aperi nobis, plus tribuunt; quam illis Domine Domine aperi nobis.

Prius-

PRiusquam ab hoc Tractatu manum dimoveam, aduerſarios rogatos cupio, ſiquid in hoc aut illo ſcriptore offendant de dominio Deiparæ minus rectè prolatum, non illud Eccleſiæ adſcribant. Explodant quantum voluerint, *Diſcurſu moral.* 37. exempli gratia, Calamatum, qui fingere auſus fuit, quod fatuæ Virgines, quæ in vaſis ſuis non ſumpſerant oleum charitatis & pœnitentiæ, ſi clamaſſent *Domina, Domina aperi nobis*, nuptiis cæleſtibus fuiſſent intromiſſæ, nec audivisſent illud horrendum: *neſcio vos.* quod ipſis repoſitum fuit cum clamarent: *Domine Domine aperi nobis*. Si inquam hæc ineptiſſima, ſive potius blaſphema figmenta deteſtentur, eorum zelo gaudebit Eccleſia, quæ *adulterantes verbum Dei* flagello Chriſti è Templis, & Cathedris cenſet expellendos, uti nuper eum expulit, qui quaſi auctoritate Calamati ſecurus foret, hanc Evangelii corruptelam pro Concione non timuit effutire. Ex his diſcant Adverſarii, quàm falsò affingant Catholicæ Eccleſiæ, quod in Maria aut grandius, aut par Chriſti dominio dominium honoret. Non enim alio Mariam

imperio donatam docet, quam quod Dei & Chriſti eſt ſubditum imperio; quod etiam ipſimet Adverſarii in illa non poterunt non revereri, quando cogitabunt eam inter illos eminere, quibus *dat Chriſtus ſedere in throno ſuo, & quibus donat poteſtatem ſuper gentes ut regant eas in virgâ ferreâ.* Inter has gentes ne numerentur Adverſarii tam vehementer cupio, quam deſidero ardenter, ut eos Veritas Chriſtus ab erroribus liberet, redimat à cupiditatum vinculis, donet ea libertate quâ liberi ſint à peccato, ut juſtitiæ ſerviant; quæ libertas tanto eſt liberior, quanto eſt Deo ſubjectior; eo magis Domina, quo ſui creatoris humilior Ancilla, tantòque amplior & ſublimior, quantò minus adhæret anguſtis, egeniſque bonis, & quantò intimius jungitur *Deo* ſuo, qui eſt omne bonum.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I N-

INDEX TRACTATUS QUARTI.

De Libertate, Dominio, ac poteſtate Deiparæ.

§. 1. *Offenduntur Adverſarii, quia à Catholicis Deipara vocatur Domina.* Fol: 1

§. 2. *Deus liber ſine ſervitute, homo non eſt liber niſi cum ſervitute.* 3

§. 3. *Immenſo intervallo à ſe diſtant libertas à juſtitia, cui juncta eſt peccati ſervitus, & libertas à peccato, cujus comes ſervitus juſtitiæ.* 5

§. 4. *Qui liber eſt à peccato, eſt ſervus juſtitiæ.* 12

§. 5. *In ſervitute juſtitiæ glorioſa libertas.* 15

§. 6. *Liberum nobis eſt quod fit cum volumus.* 21

§. 7. *De libertate Deip: quâ fiebat quod volebat.* 22

§. 8. *Maria ampliſſima libertate Deo ſervivit, quia in præceptis non ſolum dilexit hunc aut illum juſtitiæ radium in hoc illove præcepto fulgentem, ſed in omnibus operibus ſibi præſcriptis dilexit* Dei *voluntatem, omnis juſtitiæ fontem.* 27

§. 9. Deipara *fuit liberrima, quia ab omni creaturarum viſcoſo amore fuit expedita. Iſtud probatur ex geſtis ejus.* 32

§. 10. *De Regia poteſtate & ſublimitate* Deiparæ. 37

§. 11. Declaratur *quantum regia poteſtas Deiparæ excellat ſæcularem principum poteſtatem.* 40

§. 12. *In puritate* Divini *amoris, ejus Regia ſublimitas & dominium ſunt conſtituta. Hoc quia non adverterunt adverſarii, ideo ægrè ferunt* Deiparam *dici* Dominam. 47

§. 13. *A*

§.13. *A puritate divini amoris quidam Angeli dicuntur* Dominationes. *Dominium iſtud non eſt anguſtum, ſed ampliſſimum.* 50

§.14. *Deipara à nobis vocatur* Domina *noſtra, quia amor, quo illam diligimus nos movet ad imitationem virtutum ejus.* 52

§.15. *Duplex Dei regnum, nempe amoris & poteſtatis. Sancti ac præſertim Deipara conſors eſt regni amoris.* 58

§.16. *Amor quo Sancti defuncti celebrantur eſt poteſtas, quæ ipſis datur ſuper Civitates.* 63

§.17. *Exponitur quid regnum poteſtatis: & quomodo illud competit Chriſto.* 68

§.18. *Oſtenditur Deiparæ ac Sanctis competere regnum poteſtatis, nec ſequi quod omnia Sanctorum miracula & apparitiones rejicienda ſint, quia aliqua falſa circumferuntur.* 57

§. 19. *Adverſarii negant Deiparam rectè vocari Dominam, quia non advertunt quo ſenſu* Domina *vocatur. Argumenta quæ profert Rivetus contra S. Bernardinum non officiunt dominio, quod ſuæ Matri ita tribuit Chriſtus, ut illud ei tribuendo amittat nullatenus.* 85

§.20. *Opinio S. Bernardini ab atroci cenſura, qua illam Rivetus perſtringit, vindicatur. Sanctitas non in ſcientia, ſed in charitate collocata eſt.* 94

§.21. *Ex elogiis, quæ Adverſarii Luthero tribuunt, quamvis illum craſſis erroribus involutum agnoſcant, capere poterunt, Bernardinum poſſe eſſe Sanctum & tamen in nonnullis erraſſe.* 98

§. 22. *Horret Eccleſia illos, qui iſtis verbis Domina aperi nobis, plus tribuunt; quam illis* Domine Domine aperi nobis.

Digitized by Google

Digitized by Google